PLVTARCHI, OPERA












NCEPS
NNES STEPH

PL
CI
S
VIT
GUIL
Inte
ACCE
CVM
Sumpt
& Lib.

PLUTARCHI CHAERONENSIS, VITARUM PARALLELARUM SEU COMPARATARUM,

GUILIELMO XYLANDRO, *Augustano, Interprete;*

TOMUS III. & ultimus.

QVI SVBIECTI SVNT INDICES TRES I. AVTHORVM allegatorum. II. Rerum & Verborum in opere PLUTARCHI *memorabilium. III. Eorum, quæ in Annotationibus Interpretis cognitu necessaria traduntur. ad commodum Lectoru summa diligentia confecti.*



ARGENTORATI,
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.
M. DC. XXX.

TOMO TERTIO

continentur

H. V. 10. (c)

Illustrissimo e Reverendissimo
Illustrissimo.

PLUTARCHI DEMOSTHENES, GUILIELMO XYLANDRO, AUGUSTANO, interprete.



VI Alcibiadem Olympiæ equorum certamine victorem *Illustri loco ad quas res sit opus.*
I scripto laudavit, Sossi, sive is (ut plerique ajunt) Euripides, sive alius quispiam fuit, ad felicitatem primo loco requiri patriam nobilem asserit. Ego verò ei qui veram sit felicitatẽ consecuturus, cujus in moribus & animi affectionibus major pars consistit, non magis existimo ignobilem & obscuram patriam obesse, quàm matre deformi vel pusilla esse natum. Ridiculus enim fuerit, qui censeat Iulidem, quæ exigua pars est Cei non magnæ insulæ, vel Æginam, quam Atticorum quidam amoveri jussit veluti Piræei luminibus officientem, histriones posse & poetas bonos producere: virum autem justum, & ex sese aptum, prudentem, ac magnaminũ proferre non posse. Etenim consentaneum est alias artes quæ ad rem faciendam, comparandamve gloriam pertinent, in humilibus & obscuris urbibus elanguescere: virtutem autem, ut validam vegetamve plantam, quovis in loco radices agere, ubicunq; bonam indolem, & animum laboris tolerantem apprehenderit.

II Itaque ne nos quidem, si non ea qua debemus prudẽtia & vitæ rectitudine sumus, patriæ id nostræ humilitate, sed nobis ipsis meritò imputaverimus. Ei verò, qui historiam scribendam susceperit, non ex iis quæ domestica aut in promptu posita, sed peregrinis majori sui parte & aliorum in libris hinc inde dispersis constantem narrationibus, re vera primo omnium opus erat urbe nobili, rerum honestarum studiosa, hominumque multitudine affluente: ut & in omnis generis librorum copia versans, & ea quæ à scriptoribus omissa, memoriæ tamẽ beneficio conservata fidem merentur, percontando audiendoque percipiens, ita suum opus absolveret, ut ne multa, aut necessaria in eo desiderari non possent. Nos *Plutarchus de se.*
autem & parvam habitamus urbem: in eaque, ne minor etiam fiat, libenter hæremus: Romæ vero & in aliis Italiæ agentibus partibus ocium exercendi nos in Romano sermone civiles occupationes, & ii qui philosophandi causa nos conveniebant non permiserunt. ita serò tandem, & provecta jam ætate, Romanas literas attigimus.

III Quo in studio mira nobis, vera tamen res accidit: ut nimirum non tam ex vocabulis rerum ipsarum noticiam consequeremur, quàm ex rerum peritia, qua utcunq; eramus præditi, verba etiam ipsa addisceremus intelligere. Pulcritudinem autem Romani eloquii, & celeritatem sentire, & translationes nominum, concinnitatemque, & alia quibus oratio exornatur, existimamus quidem rem esse elegantem & non injucundam: exercitatio autem quæ ad eam requiritur,

 studium-

studiumque majoris est operæ, & eorum, quibus & ocium amplius est, & ætas integra. Itaque etiam in hoc quinto nostro libro eorum, quo Romani cum Græco aliquo vitam conjunctè comparamus, de Cicerone & Demosthene scripturi, ex actionibus eorum, & reipublicæ administratione naturas moresque ipsorum inter se contendemus: orationes autem eorum conferre, & pronunciare uter altero suavior aut majori in dicendo vi præditus fuerit, supersedebimus. nam hoc planè sit futurum id, quod Ion dixit:

Delphinis in tellure vis ——

Ciceronis & Demosthenis similitudo.

Quod non animadvertens Cæcilius, homo nimis omni in re curiosus, temerè ausus est Ciceronis cum Demosthene comparationem edere. Enimverò si cuivis in promptu esset nosse seipsum, non divinitus id præceptum creditum fuisset. Demosthenem quidem & IV
Ciceronem idem videtur ab initio effinxisse Deus, & naturæ ipsorum multas insevisse similitudines: ut fuerunt, honoris & libertatis in repub. studium, timiditas in periculis bellisve adeundis: multa etiam fortuita admiscuisse. non enim duos alios existimo inveniri posse oratores, qui de obscuris & abjectis magni clarique facti sint, reges & tyrannos offenderint, filias amiserint, in exilium acti rursus in patriam splendidè redierint, tandemq; rursus aufugerint, & in hostium manus inciderint, & unà cum publica libertate perierint. Itaque si naturæ & fortunæ, veluti opificibus, contentio incideret, difficilè judicatu sit futurum, moribusne altera, an verò altera actionibus similiores eos inter se effinxerit. Dicendum autem prius de antiquiore est. Ejus pater Demosthenes unus de optimatibus fuit V
Athenis, si Theopompo credimus, Gladiorum autem faber cognominabatur, quod officinam habebat magnam, multosque servos qui gladios cuderent. Quæ de matre nostri Demosthenis Æschines dixit, filiā eam fuisse Gylonis, ejus qui proditionis accusatus Athenis profugit, & barbaræ cujusdam mulieris: verum ne id, an confictum calumniandi causa objecerit, dicere non habeo. Septem annorum pupillus à patre relictus Demosthenes, ampla re familiari, (nam universarum ejus facultatum precium æstimatum est haud multò minus quindecim talentis) à tutoribus injuriis affectus est, bona ipsius partim subripientibus partim negligentibus, adeò ut præceptores quoque ejus mercede defraudarent. Quæ & ipsa causa fuit, cur elegantioris & puero ingenuo dignæ disciplinæ artiumque expers fuerit: quo accessit corporis imbecillitas & mollicies, ob quam mater eum à laboribus abstinebat, neq; ad eos pædagogi urgebant. Et quidem à pueris molliciem eam corporis ejus incessentibus *Batali* ei cognomen, quod deinde in contumeliam tractum est, factum dicitur. Fuit autem, ut perhibent, quidam Patalus tibicen luxuria enervatus: eumque traducens Antiphanes comœdiam in eam rem scripsit. Alii Batali ut lascivi poëtæ, & qui carmina temulentis apta scripserit, meminerunt. Videtur etiam pars quædam corporis, quæ honestè nominari nequit, Batalus tum Atticè

Demosthenis genus & educatio.

appel-

appellata. Argas verò (nam & hoc cognomen Demosthenis fer-
tur) aut ob morum feritatem & acerbitatem dictus est: quidam
enim poetarum Argam serpentem nominant. vel quod oratio ejus
audientibus esset molesta: Argas enim quidam poeta carmina scri-
VII psit maligna & mordacia. Verùm hæc (ut ait Plato) hactenus. Vt *Vt se orato-*
animum ad eloquentiæ studium appelleret, hanc ei fuisse ansam *riæ dederit.*
tradunt. Callistratus rhetor causam Oropiam acturus ferebatur, &
magna expectatio ejus erat judicii, cùm ob facundiam rhetoris, cu-
jus tunc maximè florebat gloria, tum ob causæ ipsius nobilitatem.
Demosthenes itaq; cùm audiret præceptores & pædagogos inter se
de audienda illa disceptatione agere, à pædagogo suo precibus in-
standoq; impetravit, ut ad audiendum ipse quoq; adduceretur: isq;
familiares sibi habens apparitores, qui curiam aperiunt, locum
obtinuit ab iis, in quo sedens puer occultè audiret orationes. Cùm
verò causam Callistratus præclarè egisset, magnamq; sui admiratio-
nem dicendo excitasset: videns eum Demosthenes deduci à multi-
tudine & felicem prædicari, gloriæ hominis æmulari cœpit: magis
tamen facundiæ vim admiratus est, omnia conficere & subigere va-
lentis. Itaq; cæteris relictis disciplinis, studiisq; puerilibus, ipse se-
ipsum declamitando exercitabat atque ita afficiebat, ut futurus ali-
VIII quando orator. Præceptore dicendi usus est Isæo, quanquã Isocrate
tum docente: sive quod propter orbitatem mercedem huic (decem
enim à singulis discipulis exigebat minas) persolvere non posset, si-
ve quod illius orationem, ut vehementem callidamque, usus causa
præferret. Hermippus scribit, incidisse se in autoris incerti commẽ-
tarios, in quibus scriptum sit Demosthenem Platonis fuisse audito-
rem, plurimumq; inde ad eloquentiam adjumenti accepisse. Atque
idem Ctesibium refert affirmare, Demosthenem artis precepta, qui-
bus Isocrates & Alcidamas utebantur, occultè à Gallia Syracusano
& aliis quibusdam accepisse, atq; perdidicisse. Adultus statim in jus
tutores suos vocavit, orationesq; adversum eos composuit: quan-
quam illi variè subterfugere, & latas sententias rescindere conaren-
tur, assiduitate tamen studii (ut Thucydidis verbis utar) exercitatus,
non sine magno labore & periculo eos devicit. Ac quamvis ne mini-
mam quidem paternorum bonorum partem ab eis eo extorquere
posset, audaciam tamen ad dicendum consuetudinemq; consecutus,
percepto jam gustu gloriæ atq; potentiæ forensium certaminum, in
IX medium prodire, & res tractare publicas aggressus est. Et quemad-
modum Laomedontem Orchomenium memorant, ut vitio cuidam
splenis mederetur, consilio medicorum longis usum cursibus, eo
inde habitu conservato certamina publica adiisse, & cursorem inter
præstantissimos numeratum: sic Demosthenes cùm primum causa
recuperandi bona paterna orare cœpisset, atq; ea re peritiam vimq;
sibi parasset, inde in publicis causis, veluti in coronæ præmio propo-
sito commissis certaminibus versans, omnes de tribunali perorantes
cives superavit. Sanè primum ad populũ verba faciens tumultibus

 excipie-

Vitia ejus in dicendo. excipiebatur, & derediculo ejus erat oratio, confusis circuitibus, & contortis fastidiosè nimis atque asperè argumentis constare credita. Accedebant eò vocis quædam, ut ajunt, imbecillitas, linguæ obscuritas, & spiritus defectio, quæ divulsis inter se connexionibus verborum, sensum eorum quæ dicerentur perturbabant. Tandem eum relicto populo ob ægritudinem animi in Piræeo oberrantem, Eunomus Thriasius oppidò senex cõspicatus objurgavit, quod orationem Pericleæ simillimã nactus, præ timiditate seipsum & mollicie proderet, neque tumultus populi præsenti animo sustinens, neque corpus ad contentionẽ parans, sed id luxu emarcescere sinens. Rursus deinde explosum ferunt, & cum obvoluto capite graviter X casum suum ferens domum rediret, Satyrum histrionem familiarem ipsius subsecutum, & congressum. Ibi cùm Demosthenes deploraret, se, qui omnium oratorum plurimum elaboraret, ac propè omnem corporis vigorem in eam rem impendisset, non esse tamen acceptum populo: seque neglecto, audiri & occupare suggestum ebriosos homines, nautas, bonarumque rudes disciplinarum: respondisse Satyrum: Vera quidem tu dicis: verùm ego statim causæ medebor, si mihi Euripidis aliquot, aut Sophoclis carmina recitare *Actio.* velis. Recitante Demosthene, Satyrum quæ ille retulisset repetentem, eo gestu vultuque eadem extulisse, ut omninò diversa Demostheni viderentur. Itaque eum doctum quantum ornatus gratiæque orationi actio conciliaret, exercitationem pro nullius momenti re habuisse, ubi pronuntiationis negligeretur ratio. Proinde locum in quo orationes suas meditaretur subterraneum ædificasse, quæ caverna nostra etiam ætate superstes fuit: eò ad minimum singulis diebus descendisse actionis formandæ vocisque componendæ gratia: sæpe etiam duos aut tres menses continuos egisse ibi, rasa altera capitis parte, ut ne si vellet quidem, egredi inde præ verecundia posset. Quin & congressus cum aliis & colloquia, & occupationes, IX pro argumento & occasione elaborandi arripuit. Cùm enim ab iis ad ocium esset rursum solutus, statim in conclave illud suum descendens, actiones, earumque allatas rationes secum repetebat, tum quas audiverat orationes: iisque in sententias singulas & continuationes digestis, eorum quæ ipse ad alios, aut ad se alii essent locuti, varias emendationes comminiscebatur, alioque dicendi mo-*Qualis orator fuerit.* do eadem efferre meditabatur. Inde factum est, ut non naturali, sed labore parta facundia vique dicendi præditus crederetur. Cui rei argumento esse videbatur, quod non facilè quisquam Demosthenem ex tempore verba facientem audiebat: atque adeò sæpe in concione adsidens, nominatimque à populo vocatus, ad dicendum non nisi præmeditatus paratusque surgebat. Ob id cùm alii oratores eum subsannabant, tum Pytheas argumenta ejus redolere lucernam cavillandi causa dicebat. Atque huic quidem acerbè respondit: Non earundem rerum sibi atque illi lucernã consciam esse dicens. Apud reliquos non planè inficiabatur, seque de scripto, neque omninò tamen

men non scripta dicere fatebatur. Et quidem eum, qui orationem
præmeditaretur, popularem esse pronunciabat: meditando enim
homines se ad captandam populi gratiam comparare: negligere ve-
rò quomodo multitudo orationem exceptura, id hominis esse ad
paucorum omnia potestatem revocantis, ac cogendis magis, quam
XII persuadendis hominibus intenti. Id quoque signum adducunt.
Demosthenem ex tempore dicere non ausum, quod Demades sæpe
ei tumultibus populi perculso subitò assurgens adstipulatus sit: i-
pse autem Demadi nunquam. Vnde ergo, inquies, Æschines incredi-
bili eum ad dicendum audacia præditum fuisse dicit? quomodo Py-
thoni Byzantio efferenti se, & in Athenienses acriter invehenti, so-
lus ipse ad dicendum progressus restitit? aut qui Lamacho Mirrhæ-
neo Olympiæ laudationem Alexandri & Philippi regum recitante,
in qua multis maledictis Thebanos & Olinthios proscindebat, con-
tra assurgens, & quæ Thebani ac Chalcidenses bona Græciæ fecis-
sent fide digna narratione demonstrans, tum quantorum malorum
causa ii qui Macedones adularentur fuissent, ita commovit audito-
res, ut rhetor ille tumultu perterritus, se ex conventu subduceret?
Enimverò videtur Demosthenes, cæteras quidem Periclis artes ni-
hil ad se attinere existimans, gestum modò ejus & compositionem
corporis, idque ne celeriter neque quavis de re ex tempore diceret,
imitatus esse: quod iis rebus eum magnum evasisse judicaret. itaque
neque planè dimisisse perorandi re non prius meditata gloria, neq;
XIII tamen libenter sæpius fortunæ facultatem dicendi suam credidisse.
Plus enim audaciæ atque confidentiæ dictæ ejus quam scriptæ ora-
tiones habuerunt, siquidem Eratostheni, Demetrio Phalereo, &
Comicis credimus. Eratosthenes enim sæpe eum ait inter dicendum
quasi extra se raptum bacchari cœpisse: Demetrius eum veluti fu-
rore divinitus percitum, juramentum illud numeris comprehen-
sum jurasse ad populum.

Adjuro terram fontes, latices, flumina.

Comicorum quidam eum *Rhopoperperethram* appellat, quasi di-
cas *inanis & futilis loquacitatis* hominem. Alius eum ob usum an-
tithetorum cavillans: *Ita*, ait, *recepit, ut accepit*. Delectabatur e-
nim Demosthenes hoc verbo extrinsecus adsumpto. Nisi forte in o-
rationem de Haloneso hoc lusit etiam Antiphanes, quam Athenien-
sibus suasit ille non accipere, sed recipere à Philippo. Cæterùm in
confesso apud omnes erat, Demadem natura sua utentem, invictum
esse, & ex tempore dicentem, meditatas & præparatas Demosthe-
nis orationes superare. Aristo Chius præterea Theophrasti quan-
dam de oratoribus sententiam refert: interrogatum scilicet eum
qualis orator ei videretur Demosthenes? respondisse: *Dignus urbe:*
qualis Demades? *præstantior urbe*. Idem philosophus Polyeuctum
narrat Sphettium, unum ex iis qui tum Athenis in repub. versaban-
tur, pronunciasse: Maximum oratorem esse Demosthenem, sed
Phocionis summā esse in dicendo vim: nam hunc paucissimis ver-

bis plurimum ſententiæ exprimere. Sanè ipſum quoque Demosthe- XIV
nem traditum eſt, quoties Phocionem ſibi contradicendi cauſa ſuggeſtum conſcendere videret, familiaribus dicere ſolitum: *Aſſurgit enſis, qui mea verba diſſecet.* neque conſtat, ad orationem viri, an ad mores & exiſtimationem Phocionis reſpexerit, verbum unum & nutum viri autoritate præditi plus valere multis & longis verborum continuationibus intelligens.

Vitia ſua ut correxerit.

Corporis autem vitiis ut mederetur, hujusmodi uſus eſt exercitatione: ut quidem Demetrius Phalereus ex ipſo ſe jam ſene audiviſſe perhibet. Aſſumptis in os calculis, verba aliquot recitans, hæſitantiam & balbuciem linguæ correxit. Vocem inter currendum exercuit, interque adſcendendum per acclivia locutus eſt, ſimulque increbreſcente ſpiritu verſus aliquot aut ſententias protulit. Domi habuit magnum ſpeculum, ex adverſo ejus ſtans declamare ſolitus. Ferunt eum homini cuidam ad ſe venienti, patrociniumque petenti, quod vapulaſſe à quodam ſe diceret, reſpondiſſe: At tu quidem nihil eorum quæ narras paſſus es. intendente eo deinde vocem, & clamante: Ego vero, ô Demosthenes, nihil paſſus ſum? dixiſſe: Iam profectò hominis injuria affecti vocem audio. Adeo multum conducere ad fidem faciendam vocis contentionem geſtusque putabat.

Multitudini porrò actio ipſius XV
mirum in modum placuit: politiores humilem eam, & indignam, mollemque judicabant, inter quos Demetrius etiam Phalereus eſt. Æſionem refert Hermippus de ſuæ ætatis & antiquis oratoribus ſententiam interrogatum, reſpondiſſe: Admiraturum ſanè fuiſſe, qui hos audiviſſet, ita decorè & magnificè ad populum loquentes. ſcriptas autem Demosthenis orationes longè plus apparatus habere atque virium. Iam orationes ejus ſcriptas multum habere auſteritatis atque mordacitatis, ita in promptu eſt, ut mea admonitione res non egeat.

Facetiæ.

Facetiis tamen idem ex tempore in congreſſibus uſus eſt. Vt cùm dicenti Demadi, *Demosthenes me, ſuus Minervam.* hæc, inquit, *Minerva nuper in Collyto eſt in adulterio deprehenſa.* Ad furem qui Ærei cognomento inſignis erat, auſum adverſus vigilias ipſius & lucubrationes aliquid dicere: *Scio*, ait, *me lucerna utendo tibi moleſtum eſſe. Sed vos, ô cives, deſinite mirari furta, quæ fiunt, cùm fures æreos habeamus, parietes luteos.*

Quando rempub. attigerit.

Verùm de his, etiam ſi non deſunt plura, dicendi finem faciamus. Cæteros ipſius XVI
mores & ingenium ex actionibus & reipub. adminiſtratione ſpectare convenit. Acceſſit autem ad rempublicam Phocio jam bello conflato: quod & ipſe affirmat, & colligi ex Philippicis poteſt, quarum aliæ confecto jam eo bello ſcriptæ ſunt, primæ autem res ætati illi proximas attingunt. Manifeſtum eſt, eum ſe etiam ad Midiæ accuſationem paraſſe annos natum triginta duos, nondum tantum parta in civitate potentia & autoritate. Qua maximè cauſa motum arbitror accepta pecunia litem compoſuiſſe. Et:

Non equidem placidi vir cordis, ſive benigni,

ſed vehemens & in perſequendis injuriis acer: ſed cùm videret non

vile;

vile, neque suarum virium esse negocium, Midiam hominem opibus, facundia, & amicis bene munitum dejicere, pro eo deprecantibus concessit: nam ipsæ per se triginta, quas eo nomine accepit, minæ non videntur mihi acerbitatē Demosthenis lenituræ fuisse, si certam victoriæ spem concepisset. Occasionē porrò tractandi respublicas præclaram adeptus, Græcorū adversus Philippum defensionē, & eā in re præclarè se exercens, statim gloriam sibi paravit, & ob eloquentiam libertatemq; in dicendo ita claruit, ut & apud Græcos omnes in admiratione esset, & à Persarum rege coleretur, neque ipso quenquam oratorum magis curaret Philippus: & ipsi adversarii faterentur, rem sibi cum glorioso esse homine. hoc enim & Æschines, & Hyperides de eo in accusationibus suis dixerunt. Quare nō video quid in mentem venerit Theopompo, ut eum levitatis accusaret, diceretq; neque rebus neq; hominibus diu iisdem uti potuisse. apparet enim, eum quam initio factionē & quas partes in republica sibi sumpsisset, eas ad finem usque tenuisse: & non modò non mutasse in vita sua institutum, sed & in eo tenendo vitam dimisisse. *An inconstans fuerit.*

XVII

XVIII Demades quidem excusans suam inconstantiā, sibi ipsi sæpe contraria se dixisse ajebat, civitati nunquam. & Melanopus Callistrato repugnans, cùm ab eo sæpe pecunia corruptus sententiam mutaret, solebat ad populum dicere; Callistratus quidem inimicus est: sed vincat utilitas publica. & Nicodemus Messenius cùm prius Casandri partes prætulisset, deinde rursum Demetrii causam ageret: Nō se contraria dicere ferebat: semper enim ex usu esse, potentiori obedire. Tale Demostheni nihil objici potest, quasi vel voce vel agendo ab instituto divertisset, aliove deflexisset: sed veluti descriptam aliquam immutabilem reipublicæ formulam propositam sibi habens, eundem omnibus in actionibus suis tenorem ad extremum usque conservavit. Panætius philosophus orationum quoque ejus plerasq; ita ait scriptas esse, ut solam per se expetendam honestatem censuisse appareat: veluti de Corona, in Aristocratem de immunitatibus, Philippicas, in quibus omnibus non ad id quod facilimum aut jucundissimum esset, aut commodissimum, cives ducit: sed sæpe numerò

XIX jubet honesto & decoro securitatem salutemque postponere. Atque adeò si ad argumentorum quæ tractavit præstantiam, & orationum nobilitatem, frotitudinem etiam bellicam, inque agendo integritatem adjunxisset, non cum Myrocle, Polyeucto, & Hyperide in oratorum classe censeri, sed supra cum Cimone, Thucydide & Pericle numerari merebatur: Quando & post ipsum Phocion non laudabile admodum consilium sequens, ut qui ad Macedonas videretur inclinare, propter fortitudinem tamen & justiciam nequaquam Ephialtæ, Aristidi, aut Cimoni concedere de virtutis laude visus est. Demosthenes autem neq; in armis satis laudatus, (ut Demetrii verbis utar) neque adversus corruptelas munerum satis undiq; munitus, qui cùm à Philippo & Macedonibus pecunia expugnari nō posset, auro Susis & Ecbatanis allato capi, & obrui se pateretur, præcla- *Quæ in eo vitiosa & præclara.*

 rus

rus quidem laudator virtutum quibus majores claruiſſent erat, ſed
imitando eas nihil valebat. Alioquin æquales oratores (Phocionem
excipio) vitæ etiam laude vicit. Ex orationibus quidem ipſius ap- XX
paret, liberrime omnium ad populum verba feciſſe, cupiditatibus
multitudinis reluctatum fuiſſe, & peccata ejus increpaſſe. Narrat
Theopompus eum, cùm ad accuſandum quendã delectus ab Athe-
nienſibus renueret, ideoque tumultuaretur populus, ſurrexiſſe, & ita
locutum: Vos quidem, ô Athenienſes, me conſultorem vel inviti ha-
bebitis: calumniatorem autem nunquam, utcunque cupiatis. Ve-
hementer optimatium partium ſtudioſum fuiſſe in republica, eo
cùm primis facto oſtendit, quod Antiphontem in concione populi
abſolutum arripuit, & in vicum Martium pertraxit, parum de indi-
gnatione populi ſolicitus: ibique convicit eum Philippo promiſiſſe
navalium incendium: atque tum morte damnatus ille, capite pœ-
nas luit. Theorida etiam ſacerdotem accuſavit, quod & ipſa crimen
falſi ſæpe commiſiſſet, & ſervos impoſturæ artem docuiſſet: effecit-
que ut ea damnata morte plecteretur. Ajunt etiam orationem con-
tra Timotheum ducem, qua uſus Apollodorus eum reum peregit
debitæ ærario pecuniæ, à Demoſthene actori conſcriptam fuiſſe. ſi-
cut & in Phormionem & Stephanum: quam ob rem haud injùria
Orationes eius. male audivit. quippe & Phormio contra Apollodorum in judicio
contendens oratione à Demoſthene ſcripta uſus eſt, veluti ex una
gladiorum officina adverſariis pugiones, quibus dimicarent, ven-
dente. De publicis autem rebus orationes, quæ in Androtionẽ, Ti- XXI
mocratem, & Ariſtocratem ſunt, aliis ſcriptæ ſunt à Demoſthene,
nondum ad rempub. aggreſſo. exiſtimatur enim eas duos vel tres de
triginta annos natus edidiſſe. Scriptam in Ariſtogitonem, ipſe per-
oravit: ſicut & eam quæ eſt de immunitatibus, propter Cteſippum
Chabriæ filium, ut ipſe dicit. Quidam Cteſippi matrem ab eo am-
bitam dicunt. Non duxit quidem eam, ſed Samiam quandã in ma-
trimonio habuit, ut in Synonymis Demetrius Magnes ſcribit. Ora-
tio contra Æſchinem de falſa legatione recitatane ſit necne, incer-
tum eſt: quanquam Idomeneus triginta modò ſuffragiis abſolutum
viciſſe Æſchinem dicat. rem non ita habere exiſtimo, ſi licet con-
jecturis uti de utriusque oratione de Corona ſumptis: neuter enim
apertè illius controverſiæ tanquam in judicium deductæ meminit.
Verùm hæc aliis dijudicanda ſunt. Cæterùm Demoſthenis in tra- XXII
ctanda repub. inſtitutum durante etiamnum pace manifeſtum fuit,
Contra Macedonas acta. nihil eorum quæ à Philippo agerentur non reprehendentis, ſed ad
ſingula Athenienſes turbantis, & adverſus eum irritantis. Itaque
& Philippus plurimam ejus habebat rationem: & cùm legatus no-
vem aliis adjunctis veniſſet in Macedoniam, omnibus auditis, ac-
curatiſſimè Demoſtheni reſpondit. honore autem & humanitate
eum, quo cæteros, non eadem eſt proſecutus, Æſchinem & Philo-
cratem magis amplexus. Quamobrem iis Philippum laudantibus,
quod & facundiſſimus eſſet, & formoſiſſimus, & optimus potator,

invi-

invidiæ succumbens ad irridendas eas laudes se contulit: Nullam
regiam laudem hîc esse dicens, sed primum rhetoris, alterum mu-
XXIII lieris, tertium spongiæ convenire. Rebus jam ad bellum spectan-
tibus, quod neque uti quiete Philippus nosset, & Athenienses à
Demosthene excitarentur: primùm ad expeditionem in Eubœam
faciendam cives stimulavit, quam tyranni insulam Philippo subju-
gaverant: eòque trajicientes illi, lege à Demosthene lata, Macedo-
nes ejecerunt. Deinde Byzantiis Perinthiisque bello à Macedone
infestatis, populo persuasit, ut omissa inimicitiarum, & eorum quæ
utrique bello sociali adversus Athenienses peccassent memoria, au-
xilium illis mitterent: atque id salutem istis urbibus attulit. Præ-
terea legatus Græciam obiens, colloquendo & instigando paucis ex-
ceptis omnes populos ad conspirandum adversus Philippum per-
movit: ita ut præter urbanas copias conflaretur Atheniensibus e-
xercitus quindecim peditum, duobus equitum millibus constans, &
stipendia ad alendos stipendiarios milites promptè conferrentur.
cùm quidem, ut autor est Theophrastus, sociis postulantibus ut
tributum certò numero definiretur, Crobylus oratorum unus di-
XXIV xit: Bellum non certo ali dimenso. Sublatis expectatione eventus
Græcorum animis, & in fœdus populis urbibusque coeuntibus, Eu-
bœa, Achæis, Corinthiis, Megarensibus, Leucadiis, Corcyreis: ma-
ximum supererat Demostheni certamen Thebanos in id fœdus per-
trahendi, qui & vicinam Atticæ regionem colebant, & copias ar-
morum usu nobiles habebant, & inter Græcos belli gloria princi-
pes erant. Neq; verò facilè erat Thebanos recentibus bello Phocico
beneficiis devinctos, Philippo ad defectionem pertrahere: præser-
tim cùm contiguos limites perpetuis controversiis bellicæ dissen-
siones Thebanorum & Atheniensiũ recrudescerent. Verùm ut Phi-
lippus parta ad Amphissam victoria elatus, subitò in Elateam facto
impetu Phocidem occupavit: perterritis Atheniensibus, ac nemine
audente suggestum conscendere: omnibus hæsitantibus atque ta-
centibus, neque quod dicerent habentibus, unus in medium pro-
gressus Demosthenes, consilium coeundæ cum Thebanis societatis
dedit: confirmatisque & excitatis bona spe multitudinis animis,
legatus Thebas cum nonnullis aliis missus est. Marsyas etiã Amyn-
tam & Clearchum Macedonas, tum Daochum, Thessalum & Thra-
sydæum missos à Philippo, qui contra Demosthenem agerent, af-
XXV firmat. Non fallebant sanè utilitatis rationes Thebanos, cùm unus-
quisque ante occulos proposita belli mala haberet, recenti adhuc
Phocicarum calamitatum memoria. Sed eloquentia (ut ait Theo-
pompus) oratoris, animos eorum exuscitans, inflammansque hone-
stæ laudis cupiditatem, tenebras reliquis omnibus cogitationibus
offudit, excussoq; animis metu, consilio & gratia quasi divino quo-
dam furore ad honestatis studium impulit. Id quidem Demosthe-
nis factum ita magnum atque splendidum est visum, ut & Philippus
statim missis caduceatoribus pacem petierit, & universa Græcia

even-

eventus exspectatione fuerit excitata: neque duces modò Demosthe-
nis imparata fecerint, eiq; operam navarint, sed & Bœotorum prin-
cipes, neque Thebanorum minus, quàm Atheniensium conciones
ab eo rectæ sint, utrisque hominem diligentibus eoque uno summã
rerum obtinente, (non quod Theopompus ait) injustè aut præter
quàm dignum esset, sed convenienter admodum. Verùm enimve- XXVI
Græcorum clades præmonstrata.
rò fatum quoddam in conversione rerum ad id tempus finem liber-
tati Græcorum statuens, videtur consiliis ejus adversatum fuisse,
multaque futuri signa edidisse. inter quæ & Pythia oracula cecinit
horrenda, & antiqua vaticinatio Sybillana hæc cantabatur.

Thermodontiaco procul à certamine in auras
O utinam, utq; Iovis per nubila subvehar ales:
Tum lacrymas victi fundent, victore perempto.

Thermodontem perhibent apud nos juxta Chæroneam rivum esse,
qui in Cephisum effluat. Nos quidem nostra ætate nullum rivum
hoc nomine insignem comperimus, existimamus autem eum, qui
Hæmon dicitur, eo tempore Thermodontem fuisse appellatum. Is
fanum Herculis præterfluit, quo loco castra Græci habuerunt: &
conjicimus post pugnam ei amni, sanguine cadaveribus oppleto, no-
men in Hæmona (*hæma* sanguis Græcè vocatur) mutatum. Duris
non fluvium fuisse Thermodontem, sed quosdam locum tabernacu-
lo erigendo fodientes, parvam lapideam statuam reperisse tradit, li-
teris quibusdam inscriptis declarantem, quod esset Thermodon, in
ulnis gestans vulneratam Amazonem. Aliud porro referunt oracu XXVII
lum de eadem re cantatum.

Corve operire niger, dum Thermodontis ad undas
Funesta armatæ miscebunt prælia gentes:
Tunc multa humanæ carnis saturabere præda.

Verùm hæc quomodo se habeant, judicatu est difficile. Demosthe-
nes quidem, ut memoria proditum est, armis Græcorum fretus, atq;
ob robur & alacritatem tantæ virorum multitudinis hostem provo-
cantis animo elatus, neque oraculis animum advertente suos, ne-
que audire vatum responsa passus est, & Pythiam cum Philippo col-
ludere suspicionem injecit: simul & Thebanos Epaminondæ, & Pe-
riclis Athenienses admonebat, qui hos timiditatis esse prætextus ju-
dicantes sua potius consilia essent secuti. Atque hactenus quidem
Demosthenis ad Chæroneã timiditas.
virum se gessit. In pugna autem nullo honesto, aut verbis suis con- XX
sentiente facinore edito, turpissimè deserto ordine, & projectis ar- VIII
mis fugit, ne inscriptionem quidem (ut ait Pytheas) scuti reveritus,
in quo aureis literis exaratum erat: *Quod felix faustumq; sit.* Phi-
lippus autem statim post partam victoriam immodico gaudio ela-
tus, ebrius ad cadavera veluti commessatum ivit, principiumq; le-
gis Demosthenis cecinit in pedes digestum, simul mensuram pulsu
exprimens:

Demosthenes, Demosthenis ista filius
Pæaniensis censuit——

Discussa

Discussâ verò crapula cùm magnitudinem superati certaminis secum reputaret, horruit eloquentiam & vim oratoris, qui exigua diei particula id confecisset, ut de regno ac vita discrimen adire ipse coactus esset. Gloria quidem ejus usque ad Persarum regem pervenerat, isque satrapis per epistolas mandavit, ut pecunias Demostheni darent, eumque de omnibus Græcis potissimum observarent: nimirum Græcis tumultibus occupare & detinere à bello Persis inferendo Macedonem scientem. id quod postea temporis Alexander Sardibus comperit, inventis Demosthenis quibusdam epistolis & literis regiorum ducum, quibus in literis numerus datæ Demostheni pe-
XXIX cuniæ continebatur. Tum verò in ista Græciæ calamitate oratores adversarii Demostheni insultantes, dicas ei scribebant, rationesque actorum postulabant. Sed populus non modò criminibus eum iis absolvit, verum & constanter in honore habuit, & ad Rempublicam ut benevolum ac honestè suis cupientem civem revocavit: ossibus etiam Cheronea allatis & terræ mandatis, funebrem ei laudationem defunctorum injunxit; non (quod tragicè hoc loco adscribit Theopompus) turpiter aut abjecto animo ferens acceptam cladem, sed consiliarium suum & auctorem rei actæ ornando honorandoque ostendens, non se pœnitere consiliorum. Orationem quidem habuit Demosthenes, decretis autem non suum, sed amicorum singula singulis subscripsit nomina, quasi genium fortunamque suam abominans, donec animum recepit Philippo mortuo. Periit autem Philippus non diu post Chæronensem victoriam: quod videtur postremus *Philippi exitus.* oraculi versus præmonstrasse:

Tum lachrymas victi fundent, victore perempto.

XXX Demosthenes cùm de eius obitu occultè cognovisset, ut animos Atheniensium injecta bona futurorum spe præoccuparet, læto vultu in Senatum prodiit, somnium se vidisse ferens, quod magnam aliquam populo felicitatem portenderet. Paulò post adfuere, qui Philippum vita excessisse annunciarent. Ob tam lætum nuncium statim sacrificatum à populo: & Pausaniæ, qui Philippum necaverat, corona decreta. Progressus est etiam in publicum Demosthenes splendidè vestitus, ac coronatus, septimo à morte filiæ suæ die. quod Æschines exprobrādi causa, inhumanitatem ei erga liberos objiciens. *Mors filiæ Demosthenis.* mollis ipse & degeneris animi, si luctum & ejulatus mansueti animi & suorum amantis signa censuit, moderatè autem & æquo animo casus hujusmodi ferre in vitio posuit. Equidem Atheniensibus decorum fuisse, ob mortem regis qui tam clementem victis se eis præbuerat coronas ferre, adde etiam sacrificare, nequaquam affirmo: nam præterquàm quod invidiosum hoc est, indignum etiam ingenuis hominibus erat, quem viventem honoribus affecissent, ac civitate donassent, ob ejus mortem immoderato exultare gaudio, defunctoque insultare, & quasi rem ipsi bene gessissent, triumphum ca-
XXXI nere. Quod autem domesticam calamitatem deflendam mulieribus reliquit Demosthenes, ipse ea quæ è repub. esse crederet agen-

da

da suscipiens, id laudo profectumque à forti animo, civilique judicio, cujus officium est semper reipublicæ intentum esse, eique res casusque domesticos postponere, semperque dignitatem suam tueri multò magis quàm in scenis histriones faciunt regis aut tyranni personam agentes; quos ipsos videmus non ut ipsis libitum est vel ridere vel plorare sed ut ratio propositi ad agendum argumenti requirit. Iam si contra officium est, ictum aliquem infortunio negligere, patique ut is omnis expers consolationis mœrore se suo conficiat, sed & levandus verbis eius dolor est, & abducendus ad rerum lætiorum cogitationem animus: (quomodo ex oculis laborantes à contuitu rerum splendidarum, suoque fulgore eos ferientium deflectere adspectum in virides & molles colores jubemus) quod tandem patriæ lugenti melius consolandi genus adhibeat aliquis, quàm si domesticas calamitates cum publicis temperans, melioribus deteriora obscuret? Atque hæc ut dicerem, Æschinis me impulit oratio, qua video multos frangi, & ad commiserationem emolli-
ri. Cæterùm civitates, rursum eas Demosthene inflammante, fœdus XXXII
renovarunt. Ac Thebani quidem, armis à Demosthene instructi, præsidium Macedonum adorti sunt, multosque interfecerunt. Athenienses autem se, tanquam auxilium eis laturi, bello parabant, regnumque suum in concionibus Demosthenes obtinens; ad regis in Asia duces scribebat, eos ad bellum Alexandro (quem puerum & Margiten nominabat) faciendum instigans. Sed ubi rebus Macedoniæ compositis Alexander cum exercitu in Bœotiam venit, simul & Atheniensium ferocia concidit, & ardor Demosthenis refrixit. Thebani autem ab his proditi, cùm suo Marte cum Alexandro conflixissent, urbem amiserunt. Magna apud Athenienses coorta trepidatione, missus cum nonnullis aliis legatis ad Alexandrum Demosthenes, iram regis metuens à Cithærone omissa legatione retrò abiit. Statim verò Alexander Athenas misit, qui decem sibi oratores dedi juberent. Hunc numerum Idomeneus & Duris habent: plerique & probatissimi scriptores octo tantum numerant, hos nimirum, Demosthenem, Polyeuctum, Ephialtem, Lycurgum, Myroclem, Damonem, Callisthenem, Charidemum. Cùm quidem fa- XXX
bulam de ovibus canes lupis dedentibus referens Demosthenes, se III
& reliquos oratores canibus pro populo propugnantibus comparavit. Alexandrum autem Macedonem lupum solitarium appellavit. Addidit etiam hoc: Quemadmodum videmus mercatores in patella speciem tritici circumferentes, paucis granis universum vendere: sic vos intelligitis paucis nobis dedendis vos omnes dedere. Hæc ita narrat Aristobulus Casandrinus. Consultantibus Atheniensibus & hæsitantibus, Demades ab iis qui ad dedendum postulabantur acceptis quinque talentis, pactus est se legatum ad regem iturum, pro eisque deprecaturum: sive amicitia regis fretus, sive sperans se eum veluti leonem cædis jam saturum reperturum. & quidem impetravit veniam illis, urbique regem reconciliavit. Digres-

so in

so in Asiam Alexandro floruere oratores adversarii, Demosthenes jacuit: Agide Spartano ad novas res consurgente, ipse quoque nonnihil excitatus, mox submisit se, cùm neque Athenienses unà se commovissent, & Agis cecidisset, Lacedæmoniorumque res attritæ
XXXIV essent. Per idem tempus actio de corona adversus Ctesiphontem in judicium deducta est, scripta quidem Chæronda prætore, paulò ante Chæronensem cladem, prætore autem Aristophonte, decennio post quàm scripta fuit dijudicata. Nulla unquam publica causa nobilior fuit, cùm ob oratorum gloriam, tum ob judicum integritatẽ, qui Demosthenem exagitantibus potentissimis tum, & à Macedone pendentibus nequaquam suffragia ad damnandum Demosthenem gratificati sunt, sed eum ita gloriose absolverunt, ut ne quintam quidem suffragiorum partem Æschines tulerit. Et Æschines quidem statim Athenis discessit, artemque Rhetoricam docendo Rhodi & in Ionia ætatem exegit. Paulò post Harpalus ab Alexandro profugus ex Asia Athenas venit, cùm & sibi ob luxuriam male esset conscius, & illum jam amicis gravem metueret. Cùm ergo ad populum confugisset, seque unà cum opibus & navibus suis ei dederet, reliqui oratores statim pecuniæ ejus inhiantes, patrocinari homini,
XXXV civesque hortari, ut acciperent servarentque supplicem. At Demosthenes primùm suadere ut repellerent Harpalum, caverentque ne non necessaria injustaque de causa urbem in bellum conjicerent. Paucis post diebus cùm opes Harpali inspicerentur, isque Demosthenem animadverteret regio poculo delectari, ejusque cælaturam & formam contemplari, jussit tollere, & auri pondus æstimare: miranti gravitatem, & sciscitanti quantum pondus ferret: Tibi, inquit viginti feret talenta, statimque facta nocte poculum id cum viginti talentis Demostheni misit. Callebat nimirum Harpalus artem, auri amorem in homine latentem ex vultu deprehendendi, ingeniumque ex oculorum motu & conversionibus cognoscendi. Victus enim eo munere Demosthenes, perculsusque perinde ac si præsidium sibi esset impositum, Harpali partibus se adjunxit. Postridie collo lana & fasciis accuratè involuto in concionem prodiit: jussusque ad dicendum surgere, vocem sibi intercidisse innuit. urbaniores autem homines cavillabantur, non angina, sed argentangina noctu correptum oratorem dicentes. Post cùm universus populus de acceptis ab eo donis rescivisset, eique defendere se conanti audientiam non faceret, sed iratus obstreperet, surgens quidam his verbis eum pupugit: Non audietis ergo, viri Athenienses, eum qui calicem habet? Tunc igitur Harpalus Athenis amandatus est.
XXXVI Metuentes autem cives, ne ratio pecuniarum ab oratoribus direptarum ab ipsis reposceretur, acrem instituerunt inquisitionem earum, singulas domos perscrutando. Solius Calliclis Arrhenidæ domus ab ea inquisitione immunis fuit, quod is recens peractis nuptiis sponsam intus habebat: autor Theopompus. Demosthenes autem huic se opponens rei, legem tulit, ut de ista pecunia Areopagitæ

Judicium de Corona.

Harpali corruptela.

pagitæ

pagitæ quæstionem instituerent, & qui ab iis damnarentur, ii pœnas
darent. Cæterùm inter primos ipse ab eo senatu damnatus venit in
judicium: ibi ei quinquaginta talentorum mulcta constituta, inque
Exilium Demosthenis. carcerem datus est. Quem cùm (ut perhibent) ob turpitudinem
causæ & imbecillitatem corporis non ferret, deceptis partim, partim
etiam latendi facultatem præbentibus custodibus aufugit. Cùm
haud procul ab urbe processisset, sensit quosdam inimicos suos ci-
ves se insequi, & cùm abscondere se vellet, nominatim eũ illi invo-
cantes propiusque accedentes, oraverunt uti viatica à se, quæ attu-
lissent secum, ipsumque propterea insecuti essent, acciperet, simul &
hortati sunt, ut bono animo esset, casumque suum moderatè ferret.
Tum illacrymans ille vehementius: Ego verò (dixisse fertur) non
graviter doleam cogi me ea excedere urbe, in qua tales habeo inimi-
Mollities. cos, quales amicos alibi haud facilè invenero. Tulit sanè exilium il- XXX
lud parum viriliter Æginæ & Trœzene plerunque desidens, ocu- VII
losque lacrymis oppletos in Atticam identidem intendens. Et me-
morantur etiam voces ejus parum decoræ, nihilque iis quæ in Re-
pub. jactaverat consentientes. Ex urbe enim discedens, manibus ad-
versus arcem porrectis dixisse traditur: ô Minerva Dea urbis tutela-
ris, ut tandem tribus pessimis gaudes belluis? ulula, dracone & po-
pulo. Adolescentes etiam qui ad se conveniebant, & consuetudine
ipsius utebantur, à Republica dehortabatur, dicens, se, si ab initio
duæ propositæ fuissent viæ, altera ad suggestum & concionem, altera
ad certum exitium ducens, ac si præscivisset mala quæ in Rep. ver-
santibus incumbunt, terrores, invidias, calumnias, contentiones, uti-
que eam ingressurum fuisse, quà rectà ad interitum isset. Enimverò XXX
adhuc eo in exilio degente, Alexander obiit, rursusque Græcæ res VIII
coalescere cœperunt, Leosthene præclara facinora edente, & Anti-
patrum Lamiæ conclusum munitionibus circumveniente. Ac Py-
theas quidem orator & Callimedon cognomento Carabus Athenis
profugi ad Antipatrum se contulerant, cumque ejus amicis & lega-
tis circumeuntes Græcos à defectione, & adjungendis ad Athenien-
sium civitatem rebus dehortabantur. Demosthenes autẽ Athenien-
sibus se legatis addens socium, opem eis tulit in cõmovendis civita-
tibus, ut unà Macedones adortæ Græcia eos ejicerẽt. Phylarchus nar-
rat in Arcadia Pytheam & Demosthenem in concione convitia mu-
tuò fecisse, altero Macedonum, altero Græcorum causam agente. Et
Pytheam quidem dixisse, quemadmodum crederetur domus in quã
lac asininũ infertur, omninò aliquo malo laborare: ita urbem quoq;
necessariò vitiosam esse, in quam Atheniensis legatio adveniret. eam
similitutinem ita à Demosthene inversam, ut & lac asininum sanita-
tis restituendæ causa importari solere, & Athenienses propter sa-
Reditus. lutem male habentium venire consuevisse diceret. His delectatus XXX
Atheniensis populus, reditum Demostheni decernit. Legem Da- IX
mon Pæaniensis tulit, consobrinus Demosthenis. Missa est quæ ac-
cerseret eum triremis Æginam. Ex Piræeo in urbem adscendit
omni-

omnibus & magistratibus & sacerdotibus præsentibus, universis etiam reliquis civibus obviam euntibus, & magno studio excipientibus. Tum quidem Demetrius Magnes scribit eum sublatis manibus sese beatum ejus diei causa prædicasse, quod reditus sibi quam Alcibiadi præclarior obtigisset: non enim coactis se, sed persuasis civibus redire. Mulcta autem pecuniaria, quæ ei irrogata fuerat, manente, (non enim licebat eam condonare) legem hujusmodi commento eluserunt. Cùm more antiquo solerent quoties Iovi Servatori sacrificaretur, iis qui altare adornarent, debitoque apparatu instruerent, pecuniam persolvere, Demostheni ejus rei administrationem quinquaginta talentis (quæ erat mulctæ summa. Neque tamen reverso ei patria diu frui concessum fuit: sed continuò Græcorum rebus perditis, Metagitnione mense ad Cranonem pugnatum est, Boedromione præsidium Munychiæ impositum, Pyanepsione

XL interiit Demosthenes. Id sic accidit. Cùm Antipatrum & Craterum annunciatum esset adducere ad Athenas exercitum, Demosthenes, & qui ejusdem erant factionis maturè se ex urbe subduxerunt. Iis *Fuga ex urbe posterior.* diversa in loca dilapsis, Antipatrus circummisit qui eos caperent, principe inquisitorum Archia, eo qui fugitivorum indagator Phygadotheras Græcis, cognominatus fuit. Hunc Thurium natione, aliquando histrionem fuisse tragicum perhibent, & Polum Ægynetam, qui eo artificio neminem habuit parem hujus discipulum fuisse. Hermippus Archiam inter Lacriti oratoris discipulos numerat. Demetrius Anaximenis auditorem fuisse tradit. Is igitur Archias, Hyperidem rhetorem, & Aristonicum Marathonium, & Demetrii Phalerei fratrem Himeræum Æginæ ex templo Ajacis, quo confugerant, abreptos ad Antipatrum Cleonas misit, atq; ibi necati sunt.

XLI Hyperidis etiam linguam exsectam ferũt. Demosthenem verò cùm audivissent supplicem in fano Neptuni in Calauria insula sedere, eò navigiis actuariis unà cum Thracibus stipatoribus trajecit: suasitque ei, ut digressus à fano secum ad Antipatrum iret, promittens nihil eum mali passurũ. Demosthenes autem ea fortè nocte per somnum imaginatus erat se cum Archia contendere tragœdia agenda: cùmque sibi preclarè succederet res, spectatoribusq; probaretur omnibus, penuria apparatus & sumptuũ vinci. Itaque Archia multa blandè dicente, oculos in eum conjiciens, ut tum fortè ipse adetat: O Archia, inquit, neque ante personatus neq; nunc promissis me movebis. Archia autẽ irato, & minitari incipiente: Nunc, ait, ex Macedonico tripode loqueris, hactenus simulabas. sed expecta parum, *Interitus.* dum meis nonnihil mandem. Hæc locutus intra templum se recepit, sumptoq; libello, tanquam si scripturus esset, calamum ori admovit, quod facere inter cogitandum scribendumq; solebat, & sic aliquandiu moratus, caput deinde obvelatum dimisit. Cùm stipatores, qui foribus adstabant, deriderent eum ut timidum, mollemque & effeminatum vocarent: Archias autem accedens ut surgeret hortaretur, repetensq; priorem sermonem, iterum se eum cum Antipa-

tro in gratiam repositurum polliceretur: sentiens jam venenū vim suam in corpus exercere, retecto capite Archiam intuitus: Numnā, inquit, statim tragicum Creōtem ages, corpusq; meum inhumatum projicies. ego quidem, mi Neptune, vivus adhuc tuo fano exeo: Antipatro & Macedonibus ne ædes quidem tua inviolata relicta est. Hæc fatus, cùm se jam trementē & titubantem excipi jussisset, progrediens, dum præter altare transiret, concidit, editoq; gemitu expiravit. Venenum eum ex calamo hausisse, ut diximus, Aristo narrat. Pappus autem quidam, cujus historiam Hermippus repetiit, tradit eo apud aram collapso, in libello epistolæ scriptum initium inventum, *Demosthenes Antipatro.* neq; præterea ullum verbum. Celeri- XLIII tatem vero mortis admirantibus, Thraces qui foribus adstiterant narrasse, venenum eum ex quodam panniculo in manum sumsisse, atq; ita admorum ori deglutiisse, se putasse aurum esse id, quod deglutiret: ancillam verò, quæ ipsi ministrabat, interroganti Archiæ respondisse, multo jam tempore Demosthenem hoc alligatum vestimento amuleti loco circumtulisse. Eratosthenes ipse quoque in armilla cava, quæ brachium clauderet, gestatum ab eo venenum ait. Reliquorum, qui ea de re scripserunt permulti, dissensiones referre nihil attinet: unum commemorabo, Demachorim Demosthenis necessarium referre, existimare se eum non veneno, sed Deum clementia & providentia celeri & leni morte crudelitati Macedonum subtractum. Mortuus est die mensis Pyanepsionis XVI. quam diē Thesmophoriorum mulieres tristissimam agentes Cereris in honorem cibo omni abstinent. Neque multò post populus Atheniensis De- XLIV mostheni dignos reddidit honores, ærea posita statua, factoq; decreto, ut qui ex stirpe ejus natu esset maximus, publicè in Pritaneo aleretur. Basi etiam statuæ ejus tritum illud adscriptum est epigrāma,

Si tibi vis animo, Demosthenes, æqua fuisset,
Non Macedûm ferret Græcia victa jugum.

Nimis inepti sunt, qui hoc ab ipso Demosthene in Calauria venenum sumpturo compositum nugantur. Paulò ante, quàm nos Athenas venimus, tale quiddam evenisse ferunt. Miles quidam ad dicendam causam à duce vocatus, quidquid habebat auri in digitos Demosthenis statuæ (nam consertis inter se digitis facta erat) reposuit. Iuxta fuit magna platanus: hujus folia sive sponte ea deciderint, ac fortuito casu, sive ipse miles ibi humi sumpta aggesserit, haud parvo tempore aurum occultaverunt. quod ubi reversus eo miles salvum invenit, ejusq; rei rumor dissipatus est, multi eorum, qui ingenio valebant, eo argumento usi ad Demosthenis in repudiandis muneribus continentiam laudandam, carminibus scribendis inter se decertaverunt. Demadem verò, cùm is non diuturnum sanè XLV nascentis suæ gloriæ fructum sensisset, fatum Demosthenis necem ulciscens in Macedoniam pertraxit: ibi ab his, quos adulatus turpiter fuerat, justa morte affectus periit, cùm & ante molestus iis esset, & tunc criminis, quod nulla excusatione dilui posset, convinceretur.

Demadis interitus.

Inter-

Interceptæ enim fuerunt literæ ejus quibus hortabatur Perdiccam, ut Macedoniam invaderet,& Græcos servaret,à putri & vetusto filo (sic Antipatrum appellabat) pendentes. Propter hoc Dinarcho Corinthio accusante eum irritatus Casander, filium ejus in sinu patris jugulavit, atque ipsum tandem etiam necari jussit: experientem tū summa in calamitate,proditores primos omnium seipsos vendere. quod sæpe præcedenti Demostheni fidem non habuerat. Habes, Sossi, Demosthenis vitam ex iis quæ vel lectione vel auditione accepimus conscriptam.

IN DEMOSTHENEM ANNOTAtiones Interpretis.

PHilippi & Alexandri Magni ætate vixisse Demosthenem Atheniensem oratorem, neq; multo post hujus obitum tempore periisse, res est non obscura.

Cap.1. Delphinis in tellure vis.) *Posterior est pars senarij versus. Continet autem proverbium. Nam delphinus piscis est prævalidus, & qui in mari plurimum poßit: in terra nihil valet. Ita, inquit Plutarchus, se fortaßis haud parum in rebus Ciceronis & Demosthenis gestis posse judicandis: de facundia autem minimè valere judicio, cujus rei causas attulit. Possumus uti hoc versiculo, quoties rem nobis inauditam ea ratione recusamus, quod ad eam peragendam vires nobis aut peritia desit: aut ea à natura nostra, vel instituto sit aliena. Non abludit ab adagione apud Livium, relato,* Cantherium in fossa. Proverbium.

Cap.5. De optimatibus fuit civibus.) τῶν καλῶν κἀγαθῶν. *καλοὶ κἀγαθοὶ cives apud Athenienses erant ij, quales Romani vocant optimates, à plebe sejuncti, & in repub. priores. Sic sæpe Thucydides, sæpe Plutarchus, præsertim in Pericle. Quod dico, ut intelligas non tam vitæ hic quam ordinis in repub. rationem indicari. Cic. lib. 1. de Officiis videtur optimum quemque vocare eum, qui hic est καλὸς κἀγαθὸς. Ex quo (inquit) evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusq; videantur, pauci universorum. Locus Aeschynis, qui mox citatur, est in nobili illa adversus Ctesiphontem oratione.* καλοὶ κἀγαθοί.

Cap.8. Platonis Demosthenem Oratorem.) *Hoc idem gravißimus autor Cicero affirmat, non uno loco: ut in præfatione Officiorum, & initio Oratoris, in Bruto, & primo de Oratore libro.*

Cap.12. Lamacho Mirrhenæo.) *In Græco enim est μιρρηναίῳ. malim ut alibi legitur, μυρρηναίῳ, aut potius μυρρινάιῳ. Est autem* Myrrhine, *μυρρίνη, urbs Aeolidis.* Myrrhenam *nullam, neq;* Mirrhenam *novi. itaq; non habeo quod statuam.*

Cap 13. Rhopoperperethram.) *ῥωποπερήθραν est in Græco libro, atq; ita video ab omnibus legi. Sed ut ea vox exponi poßit, nondum video: mihi enim fasciculi isti non probantur vel verborum vel sarmentorum. Sequor autem Varinum, qui ostendit, παρὰ τῆς ῥωποπερπερείας, factum esse vocabulum ῥωποπερπερήθρα, sicut à δάκτυλος fit δακτυ-*

δακτυλήθρα. *Idemq́ Eustathium scilicet secutus, exponit* ῥωποπερπερήθρα *significare inanes & futiles nugas. Nota sunt* πέρπερος, *περπέρεια & περπερεύεσθαι.* ῥῶποι, inutiles & viles res, *seu* merces *significantur: quales vulgo multæ circumferuntur, non ad instruendos aliqua utilitate, sed emungendos homines, leves præsertim, & curiosos, paratæ: &* ῥωπικὰ *etiam in Lycurgo Plutarch. eodem modo dixit: estq́ venustum Erasistrati dictum,* τὴν φύσιν οὐδὲν ἔχειν ῥωπικόν. *itaq́ ἐκ τῶν ῥώπων καὶ περπέρων componitur* ῥωποπερπερή*, eleganti translatione* inanem loquacitatem ac temerariam *explicans: (quo in genere Comici solebant ludere, & quale notum illud* κομποφακελορρήμων*) atq́ ab eo* παραγωγῇ *fit* ῥωποπερπερήθρα*: quo modo hic legendum omnino puto. quando & Eustat. in ν. Iliad. hoc ipso vocabulo notari futiles & garrulos testatur, inquiens:* ἐκ τούτου δὲ ῥωποπερήθρα τὶς περπερήθη *(nimirum Demosthenes)* ἐπὶ χυδαιότητι καὶ φλυαρίᾳ σκωπτόμενος. *Simile hujus est illud* ῥωποσωμυλήθρα*, objectum Eubulidæ Milesio, Euclidis sectatori, a quodam Comico, apud Diogenem Laertium lib. 2. Apud Suidam est* ῥωμβοσωμυλήθρα.

ῥωποπερπερή. (margin)

Cap. 14. Assurgit ensis.) *Apparet in Græco esse Iambicum senarium hoc quidem loco. nam in Phocionis vita pro* ἀνίσταται*, legitur* παρέστιν*: atque ita versus ratio tollitur. Itaque ut satisfacerem & iis qui versum esse judicant, & iis quibus aliter videbitur, versu reddidi, sed qui in oratione stare posit.*

Cap. 14. Æsionem.) *Appionem legitur in vita Demosthenis hac cum Demosth. impressa.*

Cap. 24. Tum Daochum, Thessalum, & Thrasydeum.) *Ita legit & Aretinus & Amiotus. Hieronymus VVolffius, vir doctissimus, & quem amicitiæ honorisq́ causa nomino, in hujus vitæ versione, locum hunc Asterisco notavit, quod particula* δὲ *post* μακέδονας*, omnino aliquid diversi videatur significare, id quod tamen verba non explicent, loco scilicet mutilo. Cujus ego conjecturam eatenus probo, quatenus Daocho & reliquis epithethon deesse censuit: Thessalos autem Daochum & Thrasydæum affirmare non possum. Historiam (ut obiter moneam) qui plenius & expreßius legere cupit hujus belli, Diodorum Siculum, vel Gemisthi paralipomena cum Herodoto Basileæ impressa evolvat.*

Cap 28. Demosthenes Demosthenis.) *Iambicum trimetrum, & alterius caput verba Græca efficiunt: atq́ in Græco etiam ita distinguenda sunt, ut carminis ratio appareat* ὑπορχεῖν *ego accipio, mensuram carminis vel manus vel quod huic magis quadrat, pedum motu exprimere, quod nos vulgò* die Mensur schlagen *dicimus.*

Cap. 32. Margiten nominabat.) inertem, *& nullius precij stolidumque hominem. Meminit ejus ex Homero Aristoteles, atque Clemens Alexandrinus. Vide Erasmi Chiliad.* de Margite.

Cap. 38. Phylarchus.) φύλαρχος*, alibi: & in hac vita alias cum Demosthene impressa* φίλαρχος*. Sed hoc rectius est. Aretinus* Phalereum *legit. Idem* γάλα ὤνιον *vertit* venale, *quasi si idem essent* ὄνειον *&* ὤνιον.

Cap.

Cap.39.Commento eluſerunt.) ἐψηφίσαντο πρὸς τὸν νόμον ἐσοφίσαντο *legendum, non ex altero modò exemplari, ſed palam ex ſenſu conſtat.*

Cap.41.Calauria.) *hæc aliquando* καλαβρία *ſcribitur, ob affinitatem literarum, ut* αὖρα & ἄβρα. *nam vitioſa pronunciatio hæc invexit: ſicut id quoque, quod β ferè in ſcriptis libris figura noſtro u ſimili exprimitur.*

PLVTARCHI CICERO, GVIlielmo Xylandro Auguſtano Interprete.

I MATREM Ciceronis Helviam & honeſto loco natam, & honeſtam egiſſe vitam perhibent. De patre ejus diverſiſſima traduntur. Quidam in officina fullonis & natum fuiſſe, & educatum ferunt. Alii genus ejus à Tullio Attio repetunt, nobili Volſcorum rege. Qui primus ejus familiæ Ciceronis cognomentum tulit, videtur vir haud contemnendus fuiſſe: itaque ne poſteri quidem eam appellationem repudiarunt, ſed amplexi ſunt, quanquam vulgò rideretur. A cicere enim trahitur: & primus Cicero ita cognominatus fuit, quod in extremo naſo fiſſuram obſcuram, qualis eſt in cicere haberet. Ipſe autem Cicero, de quo hic ſcribimus, cùm primum ad remp. ſe contuliſſet, & magiſtratum ambiret, ſuadentibus amicis ut cognomentum illud fugeret atque mutaret, fertur jactantius dixiſſe: Contenturum ſe, ut nomen Ciceronis quàm eſſet Scaurorum & Catulorum glorioſius efficeret. Et quæſtor in Sicilia, cùm donum argenteum Diis dedicaret, M. Tullium inſcripſit, iuſſitque loco cognominis cicer à fabro inſculpi. Hæc de nomine eo tradita Genus.

II ſunt. Natum ferunt Ciceronem III. Nonas Ianuarii, quo die nunc pro ſalute Imperatoris à magiſtratibus ſacrificatur, & vota nuncupantur: & in partu ejus matrem nullum dolorem paſſam: nutrici quoque ejus ſpectrum apparuiſſe, atque prædixiſſe, puerum quem aleret, magnæ Romanis utilitati fore. Hæc cùm ſomnium & nugæ viderentur, ipſe ſtatim demonſtravit veram fuiſſe vaticinationem, ut primùm per ętatem diſcere bonas artes licuit. ita enim ingenium ejus eluxit, tantumq; ei nominis & gloriæ inter pueros peperit, ut patres eorum ad ludum literarium venirent, videre cupientes Ciceronem, celebratamque ejus in diſcendo celeritatem cognoſcere: & inurbaniores nonnulli filiis ſuis iraſcebantur cùm honoris cauſa Ciceronem ab iis inter eundum in medium recipi viderent. Cùm autem ingenio ad omnes diſciplinas ferretur (id quod in nato ad diſcendas bonas artes, & philoſophiæ ſtudium homine Plato requirit) neque quidquam literarum eruditionisve aſpernaretur, ad poeticam tamen quodammodo propenſior fuit. Extat adhuc carmen ab eo puero quadratis verſibus ſcriptum, quod inſcribitur

Poesis. Pontius Glaucus. Progressu temporis cùm in eo genere] accura-
tius elaborasset, non orator modo, sed poeta etiam Romano-
rum optimus habitus est. Verùm illius quidē rei gloria adhuc ipsi
integra permanet, quanquam haud parum mutata eloquentiæ ra-
tione: hæc plane obscurata est, & evanuit, multis post eum præstan-
tissimis poëtis existentibus. Puerilibus studiis relictis, Philonē au- III
divit Academicum quem unum de sectatoribus Clitomachi Roma-
ni & propter doctrinam in admiratione summa habuerunt, & morū
causa magnopere dilexerunt: simul & Mucii, viri in republica & se-
natu principis, consuetudine utens, peritiam legum assecutus est.
Militavit etiam aliquandiu sub Sylla, bello Marsico. Videns deinde
seditiones in republica ortas, atque ex his ad unius dominationem
rem rediisse, otio se dans literario cum Græcis philosophis vitam
duxit, inquè studia bonarum artium incubuit. Eo tempore Chryso-
gonus Syllæ libertus bona cujusdam, qui ex proscriptione cęsus fin-
gebatur, hastæ subjecta octo millibus nummum emit: id cùm Sextus
Roscius filius & hæres defuncti indignè ferret, ostenderetq; bona
ea sexagies fuisse, reprehendi se Sylla molestè tulit, atq; opera Chry-
sogoni effecit ut Roscius parricidii, quod patrem necasset, postula-
Roscii causa retur. Cùm nemo patrocinium Roscii suscipere vellet, omnesq; in- IV
dignationem & sævitiam Syllæ timerent, destitutus adolescens ad
Ciceronem confugit. Suscepit causam ejus Cicero, amicis hortanti-
bus monentibusq; haud temerè aliam parandæ gloriæ ita commo-
dam occasionem oblatum iri: victorq; admirationem sui excitavit.
In Græcia agit Cicero. Metu tamen Syllæ, in Græciam abiit, sparso rumore, se curandi cor-
poris causa profectum. Eratq; sane gracili & minimè carnoso corpo-
re, cùm ob imbecillitatem stomachi pauco uteretur ac tenui victu,
idque serò, & jam imminente nocte. Voce præditus erat copiosa &
bona, sed aspera & rudi, & quæ ob rationis vehementiam semper ad
altitudinem contenta periculum corpori videretur denuntiare. Vt
Athenas venit, Antiochum Ascalonitam audivit, facundia ejus
& elegantia delectatus, novitatē autem doctrinæ non probans. jam
enim à nova Academia, & Carneadis factione desciscebat Antio-
chus. sive ut nonnulli censent, evidentia rei & sensuum victus, sive
ut alii putant, æmulatione adversus Clitomachi & Philonis sectato-
res: ac plerisque in rebus Stoicas opiniones sequebatur. His studiis
delectatus Cicero magnopere intendebat animum, atque ita secum
cogitabat, sibi si planè à republica arceretur, à foro & negotiis pu-
blicis in otio philosophico vitam exigendā esse. Postquam de mor- V
te Syllæ annunciatum est, amicis Romam crebro per literas revo-
cantibus, ac Antiocho etiam capessandam Rempublicam adhortan-
te, cùm jam & corporis vires exercitationibus confirmasset, habitū-
que valetudinis bonæ parasset, & vocem ita formasset, ut & suavis
ac copiosa in aures auditorum influeret, & corporis statui congrue-
ret, eloquentiam rursus, tanquam instrumentum negocia pu-
blica cum dignitate tractandi arripuit. cùm ipse se declamando
exercuit, tum nobiles oratores adiit. Ejus rei causa in Asiam &

Rhodũ navigavit, ac de rhetoribus Aſianis Xenocli Adramytteno, Dionyſio Magneti,ac Menippo Cari vacavit: Rhodii oratore Apollonio,philoſopho Poſidonio uſus eſt. Traditũ eſt memoriæ, Apollonium Romani ſermonis ignarũ, petiiſſe ab eo ut Græcè declamaret:idq; Ciceronẽ libenter annuiſſe,ſperantẽ eò melius corrigi ſe ab Apollonio poſſe.Declamatione autẽ ipſius cęteros, qui audiviſſent, omnes obſtupefactos certatim eum laudib. ornaſſe:Apolloniũ neq; inter audiendum hilari fuiſſe vultu,& finita oratione diu ſecum cogitabundum tacitumq; ſediſſe: ac cùm id iniquius ferret Cicero, in hæc verba prorupiſſe:Te quidẽ ô Cicero,& laudo, & admiror: Græciæ autem fortunam miſeror, cernens ea, quæ ſola nobis relicta erant, ornamenta etiam Romanis addere, doctrinam & facundiam.

VI Cicero autẽ cùm bona ſpe plenus ad Rempubl.ſe conferret, impetum ejus oraculum quoddã retudit. *Oraculum Cic. datum.* Delphis enim Deum conſulenti,quonam modo ad ſummã pervenire gloriam poſſet, reſponderat Pythia,ut ne hominum de ſe exiſtimationem,ſed ſuam ipſius naturam ducẽ ſibi vitæ conſtitueret. Primum tempus cautè admodum trivit, ſegniterq; ad magiſtratus petendos acceſſit negligebaturq;, ac Græcus literarioq; otio deditus, quę nomina imperitis ſordidisq; hominib. in uſu fere ſunt,vulgò appellabatur. Poſtquàm vero & innata laudis cupiditate,& patris amicorumq; adhortationibus compulſus,cauſis agendis ſe dedit: non jam paulatim ad principem locum progreſſus eſt,ſed gloria ejus ſtatim effulſit longoq; poſt ſe intervallo cæteros reliquit oratores. Annotatum eſt eum,cùm nõ minus quã Demoſthenes actionis vitio laboraret: in eo emendando cùm Roſcii comœdi,tum Æſopi tragœdi opera uſum.Hunc Æſopũ *Aeſopus hiſtrio.* dicunt cùm aliquando in theatro perſonã Atrei de ulciſcendo Thyeſta deliberantis ageret, famulum quendam,qui ſubitò prætercurriſſet,mentis ob indignationẽ aberrante, inflicto ſceptro interfeciſſe.Sanè actio Ciceroni haud leve momentum ad perſuadendũ contulit: idemq; magna vociferatione utentes oratores irridens,ob imbecillitatẽ ad clamorem,veluti claudos ad equũ confugere dicebat. Verùm hæ ejus facetiæ atq; dicacitas,cum elegans quiddam & judiciis accommodatum videretur,at ſatietatẽ usque ab eo uſurpata multis moleſta fuit,ac perverſitatis opinionem auctori conciliavit.

VII Quæſtori facto in charitate annonæ cùm obtigiſſet Sicilia, offendit *Ciceronis quæſtura.* homines,frumentum ejus Romam mittere cogendo: poſt autẽ,cùm ſuam iis diligentiam,juſtitiam,manſuetudinemq; probaſſet,majoribus eſt ab iis,quàm ullus unquã præfectus, honorib. ornatus. Et cùm multi nobiles juvenes Romani ad prætorẽ Siciliæ rei ablegarentur,quod in bello molliter ſe geſſiſſe,& contra diſciplinã militarẽ dicerentur: magna cum laude eos Cicero defendit atq; ſervavit. Ob hęc cùm altos ſpiritus duceret,Romam revertenti ſibi rem eveniſſe ridiculam ſcribit.ſe, cùm in Campania in illuſtrem quendam virum,quem pro amico ſuo habebat incurriſſet,quęſiviſſe ex eo,ecquid de rebus à ſe in provincia geſtis Romani ſentirent atq; dicerẽt. *Ambitio.*

quod existimaret suarum actionum gloria & fama Romam repletam. tum illum respondisse: Vbi enim, ô Cicero, tu interea temporis fuisti? Itaq; se tum animo prorsus concidisse, quod fama ipsius ita in urbem, tanquam immensum aliquod pelagus incidisset, neque ad gloriam quicquam contulisset. At postea quidem rationes secum VIII
subducens, multum de ambitione remisit, animadvertens se ad rem infinitam, & quæ terminum, ad quem perveniri posset nullum haberet, gloriam nimirum, contendere: verùm quod laudari se mirũ in modum gauderet, vehemensq; cupiditas gloriæ, quam ad extremum usq; retinuit, effecerunt ut sæpe ab optimis deturbaretur cogitationibus. Cùm ergo majori studio ad remp. se contulisset, turpe esse existimans, si cùm opifices instrumentorum suorum inanimatorum nomina, loca & vim cognitam habeant, in rep. versans aliqs, cui hominum opera in expediendis publicis negociis utendum est, cognitionem civilium rerum personarumq; negligeret: non nomina modò eorum, cum quibus sibi res esset, sed & habitationes eorũ, possessiones, amicos, vicinosq; ut sciret, adsuefecit: itaq; per Italiam quacunq; via incedenti facilè erat amicorum agros & prædia demõstrare. In admiratione etiam fuit, quod cùm modicas facultates, sed ex quibus tamen sumptus necessarii suppeditarent, possideret, patrocinii causa neque mercedem, neque dona à quoquam acceperit:

Varrina.

maximè cum Verrinam actionem suscepit Eum quod pretor Siciliã IX
plurimis flagitiis vexasset, oratu Siculorũ Cicero accusavit, reumq; peregit, non tam dicendo, quàm eo ipso fere, quod non dixit. Cùm enim designati magistratus faverent Verri, multisq; dilationibus judicium in ultimum diem extraherent, Cicero, cùm appareret diei spacium orationibus suis non suffecturum, neque judicium perfectum insurgens: Nihil opus esse verbis dixit, testesq; productos interrogavit, & judices suffragia jussit ferre. Veruntamen, multa ejus facetè dicta eo in judicio feruntur. Verres Romanis porcus castratus dicitur. Erat autem quidam libertinus Cæcilius, Iudaicæ superstitioni obnoxius, qui cùm invitis Siculis Verrem accusare vellet, Cicero. Quid, inquit, Iudæo cum verre est rei? Erat Verri filius jam pubescens, qui teneræ ætatis pudicitiam parum liberaliter custodivisse credebatur, itaq; Cicero cùm à Verre ei mollicies objiceretur: Filiis, inquit, ea domi exprobranda est. Cùm orator Hortensius non ausus palam defendere Verrem, in æstimatione tamen mulctæ adesset, sphingis eburneæ dono adductus, & Cicerone obliquius quippiam dicente, se dissolvendorum ænigmatum peritum esse negaret: atqui, ait Cicero, Sphingem domi habes. Damnato Verre, cùm litem ei tricies H. S. æstimasset, calumniis nonnullorum impetitus est, quasi accepta pecunia mulctam diminuisset. Siculi tamen ut gratiã

Opes Ciceronis.

ei referrent, ædilitatem gerenti multa ex insula advexerunt atque attulerunt: quorum ille nihil in suam rem vertit, sed studio eorum usus est eo, ut rerum in foro venalium precia minuerentur. Villam X
Arpini pulcram, & apud Pompejos aliam, itemq; apud Neapolim,

haud

haud magnas possedit: accessit eo dos Terentiæ uxoris, quæ erant
CCCCLXXX, sestertia & hæreditas quædam nonaginta denariorũ
millia efficiens. His opibus liberaliter simul & sobriè vivebat, con-
victoribus utens Græcis Romanisque, qui in liberalibus studiis unà
versabantur: raròque ante occasum solis accumbebat cœnandi cau-
sa, idque non tam propter occupationes, quàm stomachi vitium. In
corpore alioquin etiam curando multum posuit diligentiæ, ita ut
fricationibus etiam, certoque numero definitis ambulationibus u-
teretur. atq; hoc modo corporis habitum ita firmavit, ut id ad mul-
tos ac magnos labores satis virium haberet atq; perduraret citra in-
valetudinem. Domum paternam fratri concessit: ipse juxta pala-
tium habitavit, ne qui eum colebant, longè venire coacti graveren-
tur. colebant autem eum, & quotidie ad fores ejus ventitabant haud
pauciores, quàm ad Crassi aut Pompeji, quorum ille divitiis, hic
bellica gloria Romanorum primi, inque summa erant admiratione.
Pompejus quoq; Ciceronem coluit, ejusque actionibus plurimum
XI est ad potentiam gloriamq; parandam adjutus. Cùm in petitione *Pratura.*
præturæ multos haberet & illustres competitores, primus omnium
designatus est, creditusque est judicia præclarè & probè exercuis-
se. Fertur etiam Licinius Macer, vir & ipse multum in civitate
potens, & Crassi utens auxilio, cùm repetundarum reus Cicerone
judice esset factus, potentia sua & studio amicorum fretus, judici-
bus adhuc sententias ferentibus domum abiisse, statimq; caput to-
tondisse, puramque vestem veluti absolutus induisse, atque ita in
forum prodiisse: Crasso autem apud vestibulum occurrente, & uni-
versis damnatum suffragiis nuntiante, reversus accubuisse, & viven-
di finem fecisse. Cum Vatinius homo in patrociniis asper, & ma-
gistratuum quodammodo contemptor, idq; strumis collum opple-
tus, à Cicerone aliquid adstans peteret, eoq; non annuente, & aliquã-
diu deliberante, diceret: Se si prætor esset, nihil hac de re dubitatu-
rum: conversus Cicero: Atqui ego, inquit, tantũ collum non habeo.
XII Cùm adhuc præturæ ejus duo vel tres dies superessent, Manilium
quidam repetundarum apud eum postulavit. Favere autem huic
Manilio propter Pompejum populus videbatur, cujus erat amicus.
Itaque cùm diem unum peteret, Cicero unicum eum qui insequε-
batur ei concessit, indigne id ferente populo: cùm prætores solerent
decem, minimum, dies reis largiri. Itaq; à tribunis plebis in concio-
nem pertractus, ibique accusatus, cum impetrasset ut sibi dicendi
potestas fieret, ostendit, qui semper reis benignum se, quantum per
leges licuisset, humanumq; præbuisset, iniquè facturum censuisse, si
eundem se Manilio non exhiberet. itaque ei diem, qui unus sibi in
prætura reliquus esset, se constituisse debita opera: non esse enim e-
jus qui prodesse reo velit, judicium ad alium magistratum rejicere.
His dictis animos populi mirificè circumegit, ita ut acclamationibꝰ
eum secundis excipiendis orarent, uti patrocinium Manilii suscipe-
ret. Quod ipse haud gravatim fecit, in gratiã præsertim Pompeji ab-

Consulatus. sentis: denuoq; habita oratione, acriter in eos qui Remp. in potestate paucorum esse cupiebant, invidebantque Pompeio, invectus est. XII
Ad consulatum verò nō minus ab optimatibus, quàm à multitudine provectus est. Vt faverent petitioni Ciceronis optimates, Reip. causa factum est, res ita se habet. Cùm instituta à L. Sylla Reip. forma initiò quidē absurda visa esset, successu tamen temporis & consuetudine confirmata, tolerabilis status rerum, ac non incōmodus videretur: extiterūt qui optimo publico suis cupiditatibus postposito cōcutere eū mutareq; conarentur: eo etiā freti, quod Pompeio adhuc
Catilina scelera. bellum adversus reges in Armenia & Ponto gerēte, Romæ nullus exercitus novarum rerum machinatoribus opprimendis sufficiens extabat. Horū dux princepsq; fuit L. Catilina, audax homo, & magnarum rerum appetēs, varioq; præditus ingenio, qui præter cætera flagitia filiæ suæ virginitatē imminuisse ferebatur, fratremq; ipse suū occidisse: ac ne parricidij ejus postularetur, Syllam exorasse, ut ille tanquam vivus adhuc inter necandos proscriberetur. Hunc improbi homines nacti antesignanum, cùm alijs sese sacramentis obstrinxerunt, tum mactati hominis carnibus gustatis. Corrupit autem Catili- XIV
na magnam urbanæ juventutis partem voluptatibus variis, cōpotationibus, & muliercularum amoribus singulos illiciens: ad eamq; rem effusè sumptus suppeditans. Ad defectionē tota Etruria, & pleræq; cisalpinæ Galliæ partes spectabant. Vrbi autem gravissimum à mutatione impendebat periculum, propter inæqualitatem facultatum inter cives. Nam & quorum summa erat gloria, atq; animorum elatio, ij theatris, epulis, ambitu, & ædificando rem familiarem cōminuerant: & divitiæ ad ignobiles & abjectos homines redierant, ut levi momento Resp. impelli, & propè à quovis everti posse videretur, ipsa suis vitijs laborans. Verùm enimverò Catilina ut validā aliquam arcē præoccuparet, consulatum ambiebat, magnaq; in spe
C. Antonius qualis. erat, se cum C. Antonio consulē designatum iri, viro qui se ipse neutrā in partem ducem præberet, sed ducem nactus, facilè sequeretur, ejusq; potentiam augeret. Hæc cùm præstantissimi civium præsen- XV
sissent, Ciceronē ad consulatum petendum produxerunt: isq; a populo magno favore exceptus est, & repulso Catilina cum C. Antonio consul designatus, quanquam solus inter competitores nō patricio, sed equestri patre natus esset. Latuerūt adhuc plerosq; Catilinæ cōsilia. Magna autem certamina, ac quasi eius rei exordia in Ciceronis consulatus initium inciderunt. Primùm enim ij, quibus Syllanis legib. interdictum erat magistratuum petitione, neq; pauci numero, neq; viribus destituti, populum concitabant, multa, & quidem non vana, de Syllæ tyrannide conquerentes, sed alieno tempore rempub. concutientes. Deinde tribuni plebis leges eodem pertinentes promulgabant de constituendis decemviris cum plena potestate, qui totam Italiam, & Syriam, & quascunq; regiones nuper Pompejus Romano imperio adjecerat sub se habentes publica bona venderēt, damnarent quos vellent, & in exilium agerent, urbes conderent,

pecu-

pecunias ex ærario sumerent, exercitus quantos videretur scriberent
XVI atque alerent. Huic legi cum alij primarij viri tum princeps Anto-
nius Ciceronis collega favebat, sperans se unum ex decem istis futu-
rum: idemque videbatur, Catilinæ institutum cùm sciret, non ægrè
tamen ferre, propter alieni æris multitudinem; & optimatibus hoc
maximum injiciebat metum. Itaque hunc primo omnium sibi de-
viciendum Cicero ratus, provinciam ei Macedoniam decrevit, si-
biq; destinatam Galliam dimisit: quo officio Antonium ita obstrin-
xit, ut quasi mercede conductus histrio actioni suæ subserviret. Eo
subacto fiducia auctus, novarum rerum machinatores aggressus est:
atq; in senatu habita in legem istam oratione, ita eius autores per-
terruit, ut quod contradicerent non haberent. Cum rursus eam ferre
conarentur, consulesque ad populum vocarent, nihil perterritus, se-
natu se sequi jusso in concionem prodijt: ac non legem modò eam
sustulit, sed etiam oratione sua tribunos plebis ita fregit, ut de reli-
quis etiã, quæ moliebantur, desperarent. Is enim præsertim vir ostẽ-
dit Romanis, quantũ suavitatis eloquentia rebus honestis conciliet.
atq; id quod justum est si rectè oratione exprimatur, invictum sit:
tum eum qui in republica versari præclarè velit, debere semper re
quidem id quod rectum est rei quod aduletur multitudini præferre,
XVII oratione autem efficere, ut id ipsum quoque molestum sit. Exem- *Lex Roscia.*
plum quo quanta fuerit in dicendo præditus gratia appareat, est et-
jam actio de spectandis ludis ipso consule habita. Cùm autem in
theatro equites permixti plebi spectassent, primus M. Otho præturã
tum gerens honoris causa eos à cæteris civibus separavit, locumque
peculiarem assignavit, quo etiamnum utuntur. Hoc ad ignominiam
suam spectare sentiens populus, visum in theatro Othonem exibila-
vit, equites cum plausu exceperunt: rursumq; sibilos populo, plau-
sum equitibus tollentibus, confusio in theatro tumultusq; & jurgiũ
ordinum extitit. His auditis Cicero in theatrum venit, populumq;
in Bellonæ ædem evocavit: ibi ab eo dictis castigati cùm in theatrũ
revertissent, plausum Roscio alacrem dederunt, in eoque honoran-
do vinci se ab equitibus passi nequaquam sunt. Interim conjurati
XVIII Catilinæ cùm initio metu concidissent, animis receptis conventus
agere, & mutuò se ad rem audacius aggrediendam ante reditum
Pompeij, qui jam cum exercitu reverti ferebatur, cohortari cœpe-
runt. Catilinam Syllani maximè milites excitabant, quorum per to-
tam Italiam dissipatorum maxima & validissima pars per Etruriæ ur-
bes dispersa prædas rursum & direptiones bonorum alienorum ani-
mo agitabant. Hi ducem nacti Manlium qui sub Sylla præclarè mi-
litaverat, Catilinæ se conjunxerunt, Romamque venerunt, ut comi-
tia eius obirent. Rursus enim petebat consulatum, ac decreverat i- *Catilina II.*
pso in tumultu comitiorum Ciceronem interficere. Videbãtur qui- *cons. petit.*
dem ea quæ agebantur divinitus terræmotibus, fulminibus, spectris
indicari: indicia verò ab hominibus delata erant quidem ea vera, sed
quæ tamen contra ita nobilem atq; potentem virum non sufficerẽt.

Itaq;

Itaque Cicero dilato comitiorum die, in senatum vocat Catilinam,
ac de iis, quæ allata erant, interrogat. Ibi Catilina, quod & multos es- XIX
se in senatu rerum novarum cupidos putaret, & simul conjuratis o-
stentare se vellet, molliter Ciceroni respondit: Quid tandem, in-
quit, mali facio, si cùm duo sint corpora, alterum capite præditum,
sed gracile & tabe confectum; alterum validum & magnum, sed ca-
pite carens, huic ego caput impono? His ambagibus senatum ab eo
populumque notari sentiens, magis etiam sibi metuit Cicero, eum-
que thoracibus induti primores urbis universi, & multi juvenes in
campum deduxerunt: atque ipse dedita opera togam ab humero
aliquantum demittens, thoracem quem gestabat ostentavit, pericu-
lum in quo constitutus erat significans. Itaque multi eum stipave-
runt indignitate rei moti. Tandem populo in suffragia misso rursum
repulsam passus est Catilina, designatique consules Silanus & Mu-
rena. Haud multò post cùm iam Catilinarij milites in Etruria con- XX
venissent, diesq; facinori destinata appropinquaret, media nocte ad
domum Ciceronis veniunt primi potentissimiq; Romanorum, M.
Crassus, M. Marcellus, & Scipio Metellus: hi cùm ostium pulsas-
sent, evocato janitore, vt excitaret Ciceronem seq; adesse indicaret
iubent. Res ea erat. Crasso secundum cœnam litteras reddiderat ia-
nitor ab ignoto quodam homine allatas, alias aliis inscriptas, unas
verò ipsi Crasso incerto autore: quas unas cùm legisset Crassus,
eæq; ostenderent à Catilina magnas in urbe cedes editum iri, iube-
rentq; urbe ipsum excedere, reliquas non solvit, sed statim ad Cice-
ronem contulit, cùm periculi atrocitate perculsus, tum ut suspicio-
nem de se ob amicitiam Catilinæ conceptam purgaret. Cicero re
deliberata, prima luce senatum convocavit, allatisq; eò epistolis
singulis ut erant inscriptæ distribuit, iussitq; palam recitare. Omnes
idem indicabant, nempe insidias. Ad hæc Q. Attius prætorius vir,
milites in Etruria occultè cogi indicavit. Relatum etiam est, Man-
lium cum magna manu circum illas urbes hærere, & semper novum
aliquid ex urbe operiri. Itaq; S.C. fit, darent operam consules, ne
quid resp. detrimenti capiat: fieri hoc non nisi magni periculi metu,
à senatu solebat. Hac sibi potestate data Cicero res extra urbem Q. XXI
Metello commisit, urbem ipse gubernādam sumpsit, ac quotidie in
publicum tanta hominum multitudine stipatus prodijt, ut ab ijs
magna fori pars occuparetur. Quapropter moram porrò non ferens
Catilina, statuit ex vrbe se ad exercitum Manlianum proripere:
Marcium autem & Cethegum quasi salutandi causa ire, itaq; admis-
sos eum occidere. Hæc Fulvia nobilis mulier Ciceronem noctu con-
veniens aperit, monetq; ut sibi ab ijs caveat. Ita hi cùm summo ma-
ne venissent ac aditu prohibiti essent, molestè id ferentes, ac ante fo-
res vociferantes, suspicionem auxerunt. Tum Cicero senatū in ædē
Iovis Statoris (quæ est initio Sacræ viæ, qua ad Palatium itur) con-
vocat. Eò cùm Catilina etiam socijq; venissent purgandi causa, ne-
mo senator assidere eis sustinuit, sed universi de sedilibus cesse-
runt.

Indicia de Catilina.

runt. Catilina autem loqui orsus, perturbatus est. Tandem surrexit
XIX Cicero, Vrbeque eum exire iussit: nam inter se, qui verbis, & eum
qui armis rempub. gerere vellet debere murum esse interpositum.
XXII Catilina statim cum trecentis armatis urbe exivit, fascibusque &
lictoribus, perinde ac si magistratum gereret, assumptis, signisq; *Lentuli Suræ*
sublatis ad Manlium contendit: iamq; ad viginti hominum millia *flagitia.*
coactis, urbes obiens ad defectionem solicitabat. Itaque cùm iam
haud dubie bellum immineret, missus est consul Antonius qui eum
debellaret. Qui in urbe relicti erant Catilinæ socij, eos continebat
atque confirmabat Cornelius Lentulus, Sura cognomento, illustris
natus familia, sed vita inhonestè actæ, & qui ob libidines senatu
eiectus, tunc (qui mos est recuperantibus senatoriam dignitatem)
iterum præturam gerebat. Fertur cognomentum Suræ hoc modo
adeptus. Cùm sub Sylla quæstor multum publicæ pecuniæ inter-
XX vertisset, idq; Sylla indignè ferret, inq; senatu rationem ab eo exige-
ret: progressus contemptim admodum, rationem se redditurum ne-
gavit, suram autem præbiturum, id quod pueri solent cùm in lusio-
ne pilæ erraverunt. Inde Sura dictus est. Alio tempore cum reus es-
set, ac corruptis pecunia quibusdam iudicibus, suffragiis duobus
absolveretur: Inutiles se sumptus in altero iudicum corrumpendo
XIII fecisse dixit, satisque fuisse, si una sententia absolveretur. Hunc tali
ingenio præditum, & à Catilina excitatum, insuper vana spe & confi-
ctis vaticinationibus impostores quidam & præstigiatores perde-
bant, oracula ementita pro Sybillinis versibus cantantes, quibus in-
dicaretur in fatis esse, vti tres Cornelij Romæ omnium domini es-
sent: ex his duos Cinnam & Syllam explevisse iam fatum: tertium
esse hunc Cornelium, ei divinitus dominationem offerri: modò ac-
ciperet, neq; cunctando, ut Catilina, occasiones perderet. Ob id nihil
iam humile, nihil vile Lentulus cogitabat. Statuerunt ergo senatum
uniuersum trucidare, & quotquot præterea possent cives, vrbem in-
cendere, nemini omninò parcere, præterquam Pompeij liberis: hos
rapere & detinere obsidum loco, per quos transigere cum Pompeio
possent, iam enim constans rumor tenebat, eum magno cum exer-
XI citu adventare. Nox ad rem istam peragendam definita fuit una Sa-
turnalium: gladii, stuppa, & sulphur in Cethegi domum compara-
ta: centum viri ad singulas vrbis partes singuli destinati, vt certis
intervallis simul accensa urbs undiq; conflagraret: alij ordinati, qui
aquæ ductus obthurarent, & aquam petentes necarent. Fortè tum
Romæ erant duo legati Allobrogum, quæ gens tunc maximè affli-
gebatur, Romanorumq; dominationem ægrè tolerabat. Has Lentu-
lus existimans vtiles sibi fore ad concitandam Galliam coniuratio-
nis socios effecit, literasq; eis ad senatum Allobrogicum & Catilinã
dedit, libertatem illi promittens, hunc hortans, ut servis libertate
donatis statim Romam peteret: missus unà cum iis ad Catilinam
XXIV qui literas perferret T. quidam Crotoniata. Hæc hominum futiliũ,
& qui plerunq; inter pocula & scorta colloquerentur, consilia, Cice-

ro vigili ſobrioq; animo & ſummo ſtudio ſolertiaq; indagans, multoſq; habens, qui in ſpeculandis extrinſecus eorum conatibus ſe adjuvarent, cum multis quoq; eorum, qui ſocij conjurationis videbantur, occultè colloquens, eorumq; indiciis credens, de re cum Allobrogibus communicata certior eſt redditus: noctuq; adjuvantibus occultè etiam Allobrogibus Crotonienſem illum cum literis per inſidias intercepit. Orto primùm ſole in templum Concordiæ ſenatū convocavit, ibiq; & literas recitavit, & indicia deferentibus audientiam fecit. Retulit etiam Iunius Silanus, eſſe qui audierint Cethegum dicentem, tres conſules & quatuor prætores interfectum iri: & his germana Piſo vir conſularis. Cajus autē Sulpitius prætor in domum Cethegi miſſus, multa ibi jacula & arma, plurimos gladios ſicasq; recens acutas reperit. Tandem Crotoniata accepta publica fide in ſenatu omnem rem expoſuit. Ita convictus Lentulus, præturā XXV ejuravit: depoſitaq; in ſenatu prætexta, veſtem fortunæ ſuæ convenientem ſumpſit: isq; & ſocij eius in liberam cuſtodiam prætoribus traditi ſunt. Cùm jam adveſperaſſet, populuſq; frequēs exſpectaret, progreſſus Cicero civibus rem narravit, ab iisq; in domum amici cujusdam vicini deductus eſt: ſuam enim mulieres obtinebant, arcana Bonæ Deæ ſacra celebrantes. fit hoc quotannis, in domo conſulis, & ſacrificium præſentibus Veſtalibus, à matre vel uxore cōſulis peragitur. Ingreſſus eā in domum Cicero, paucis admodum præſentibus, ſecum quomodo agēdum cum deprehenſis eſſet deliberabat. Nam & ab extremo, & tali facinore digno ſupplicio abhorrebat, cùm ob innatā humanitatem, tum quod verebatur, ne poteſtate ſua luxuriare, inſolētiusq; inſultare videretur viris nobiliſſimis, & amicos potentes habentibus: & ſi clementius eos tractaſſet, imminens ab iis periculum reformidabat: videbat enim niſi mortis ſupplicio affectos non quieturos, ſed accedente ad veterem nequitiam nova ira quidvis auſuros: tum ſe, qui alioquin parum animoſus haberetur, mollem timidumq; judicatum iri. His illo curis diſtracto, mulieribus ſacrificantibus oſtentum eſt factum. Ara enim, cùm jam ſopitus putaretur ignis, ex cinere & crematis corticibus flammā copioſam ſplendidamq; edidit. ob hanc reliquis metu diffugientibus, Veſtales Terentiam Ciceronis uxorem celerrimè ad maritum accedere, & quæ pro ſalute patriæ cogitaret agere jubere, hortatæ ſunt: flammam enim à Dea editam multum illi ad ſalutem & gloriam momēti polliceri. Terentia autem mulier minimè demiſſi aut timidi ingenii, ſed animo elato prædita, & quæ (ut ait Cicero) magis à marito partem publicarum curarum acciperet, quam domeſticarum in eū conferret, ut juſſa erat fecit, virūmq adverſum reos incitavit. Idem fecerunt Quintus frater, & P. Nigidius, quem Cicero in ſtudiis Philoſophiæ ſocium habuit, eoq; inter reip. negocia plurimum eſt uſus. Poſtridie cum in ſenatu de ſupplicio conjuratorum ſentētiæ dicerē- XXVII tur, Silanus, qui primus interrogatus erat, cenſuit abductos in carcerem ultimo ſupplicio eſſe afficiendos. Huic ſuffragati ſunt omnes,

Sacra Bonæ Deæ.

XXVI (beside "tur, mollem timidumq;")

Coniurati ut ſupplicio affecti.

usque ad Cajum Cæsarem, qui deinde dictator factus est. Is tum primum fundamenta suorum jaciens incrementorũ, jamq; eam in spẽ & viam ingressus, qua res Romanas in suam unius potestatem inferioribus temporibus redegit, cùm lateret reliquos, non fefellit Ciceronem, conjurationi favens: multas enim suspiciones colliget Cicero: nullum tamen ad convincendum sufficiens indicium consequi potuit: neq; desunt qui tantum non ab eo deprehensum Cæsarem subterfugisse dicant. alij cõsultò præteritum in detegẽda cõjuratione Cæsarem à Cicerone affirmant, amicos eius & potentiã metuente, & animadvertente id, quod in prõptu erat omnib. videre, potius fore ut conjurati propter Cæsarem salute donarentur, quam is propter eos supplicio afficeretur. Is igitur Cæsar jussus sententiã ferre, pronunciavit: Non esse necandos, sed bona eorum publicãda: ipsos in custodiã per Italiæ urbes, quascunq; ad eam rẽ Cicero dele-

XVI gisset, vinctos tradendos, tantisper dum Catilina debellaretur. Huic sententiæ, cùm & clemens esset, & ab homine summa vi dicẽdi prædito dicta, haud parum momẽti Cicero addidit, cum ipse quoq; surgens in utranq; partem disputasset: & omnes amici Ciceronis Cæsaris in sententiam inclinabant: quam Ciceroni utiliorem, eoq; minus calumniis eum obnoxium fore, si illi non necarentur, videbant. Quo factum adeo est, ut Silanus quoq; mutatus sententiam suã retractaret, seq; non de nece cẽsuisse diceret, verùm carcere, quod ultimum posset Romano irrogari supplicium. Hanc sententiã primus omnium impugnavit Catulus, deinde sermonem eius excipiens Cato, & oratione vehementer ad suspectum conjurationis faciendum Cæsarem tendens, excitavit animavitq; senatum, ita ut morte damnaret reos. Tum publicationi bonorum Cæsar reclamavit, indignum esse affirmans, suæ sentẽtiæ humanioribus capitibus repudiatis, id unum quod esset durissimum arripi: multisq; urgentibus contrà, ad tri-

XIX bunos plebis provocavit. Sed ij non sunt assensi: ipse Cicero eã partem concessit, publicationemque remisit. Assumto deinde senatu, damnatos adijt, quos diversis in locis apud prætores asservatos fuisse dictum est. Primùm à Palatio Lentulum per Sacram viã deduxit, mediumq; forum, principum virorum caterva cinctus atq; stipatus, populo autem tacito prætereunte, ac horrente eorum quæ agebãtur metu, juvenibus præsertim, qui videbantur quasi sacrificium quoddam avitum potentiæ optimatium cum timore & stupore obire. Cùm per forum transijsset, atque ad carcerẽ venisset, carnifici Lentulum tradidit, & necare jussit: deinde Cethegum, & reliquos unum post alium eodem abduxit, & occidi mandavit. Videns autẽ multos conjurationis socios confertim in fore adstare, qui ignorantes quid esset actum, noctem expectabãt, vivere adhuc illos, & eripi posse putantes: magna ad eos voce: Vixerunt, inquit, eo enim verbo infaustum mortis nomen evitare consueverunt. Vesperi per forum domum se contulit, non jam tacitis civibus, aut ordine eum comitãtibus, sed quocunq; pervenisset cum clamore & plausu excipientibus,

ser-

servatoremque patriæ & conditorem invocantibus. Passim lucebant angiportus, lampadibus & facibus ante fores ubique constitutis. Mulieres etiam de tectis prospiciebant, honorandi spectandiq; eius XXX viri causa, qui tam splendido præstantissimorum virorum comitatu domum repeteret. Quorum quidem pleriq; maximis gestis bellis, triumphis ductis, & terra mariq; auctis Romani imperij finibus insignes inter eundum mutuo colloquebantur: fatebanturque multis quidem ducibus eius ætatis deberi à populo Romano divitias, spolia, & potentiam accepta ferri: securitatem autem & salutem uni Ciceroni, qui tale tantumque avertisset periculum. neq; enim tam mirabile id videbatur, quod conatum istum perditorum hominum represserat, & sontes puniverat, quàm quod maximum omnium qui unquam extiterunt motum minimis malis, & absq; seditione ac tumultu sedaverat. Etenim pleriq; eorum, qui ad Catilinam confluxerant, ut de Lentuli & Cethegi exitu cognitum fuit, deserto eo diffugerunt: cum reliquis ipse adversus Antonium commisso prœlio, cæsus est cum exercitu. Neq; verò defuerunt, qui ob hæc Ciceronem XXXI maledictis injuriisq; vexare parati essent, duces nacti eos qui insequenti anno magistratus essent gesturi, Cæsarem prætorem, Metellum & Bestiam tribb. plebis. Hi cùm paucis ante finem consulatus Ciceroniani diebus magistratum occepissent, cōcionem eum habere passi non sunt: sed in rostris subsellia collocantes, conscendere eū, & verba ad populum facere vetuerunt, jusseruntq; ut inferiori loco magistratum modò eiuraret. Progressus ergo jurandi causa Cicero, silentio facto, non patrium, sed suum quoddam novum jusiurandū dixit: Se utique patriæ salutem attulisse, & imperium conservasse. idemque universus populus juravit. Qua re magis etiam Cæsar & tribb. plebis irritati, cùm alia quibus cōturbarent Ciceronem moliti sunt, tum legem de vocando cum exercitu ad Ciceronis potentiā dissolvendam Pompeio tulerunt. Verùm eo tempore tribunus plebis M. Cato plurimum & Ciceroni, & toti civitati profuit, qui illorū conatibus pari potestati, majore autem fretus gloria se opponebat. Is & reliqua facilè solvit, & pro concione consulatum Ciceronis iis laudibus tulit, ut & honores ei, omnium, qui Romano alicui unquā obtigissent, maximo decerneret, & patrem patriæ appellaret. Primus omnium hoc nomen tulisse videtur Cicero, ita à Catone apud populum salutatus. Cùm autem plurimum eo tempore in repub. valeret. XXXII multis seipsum invisum reddidit, nullo quidem malo facinore, sed quod seipsum identidem laudaret atque jactaret, eò multos offendens: nam neque senatus, neq; populus convenire, neque judices poterant, quin Catilinæ & Lentuli inculcaretur mentio. Denique libros etiam suos laudibus suis replevit, orationemque suam suavissimam alioquin & gratiosissimam auditoribus molestam effecit, hac veluti peste quadam assiduò infectam. Enimverò quanquam ita immodica teneretur arrogantia, fuit tamen ab invidia vacuus, & cùm

Cic. ut eiuravit consulatum.

Cic. cur invisus multis.

In laudandi ingenuitas.

cùm priores, tum æquales liberalissimè laudavit, id quod ex scriptis ejus patet, &, quæ feruntur, dictis. Aristotelem auréum eloquentiæ flumen dixit: de Dialogis Platonis affirmavit, Iovem, si locuturus fuisset, eo sermone usurum: Theophrastum delicias suas appellare solebat: de orationibus Demosthenis interrogatus quam earum pulcerrimam putaret, longissimam respondit. Et tamen inveniuntur, qui cùm se Demostheni favere præ se ferant, dictum quoddam Ciceronis invadunt, quod is in epistola quadam ad amicum scripserit, Demosthenem alicubi in orationibus suis dormitare; obliti interim magnarum & admirabilium laudationum, quibus eum passim evehit, & quod is imitatione Demosthenis orationes suas, in quas plurimum studii contulerat, Philippicas inscripserit.
XXXIII Qui eodem tempore doctrinæ & sapientiæ nomine illustres fuerunt, horum nemo est, cujus non Cicero vel loquens de eo vel scribens amice, gloriam auxerit. A Cæsare jam rerum potito jus civitatis Cratippo Peripatetico impetravit. effecit etiam, ut Areopagitæ decreto facto à Cratippo postularent, ut tanquam ornamentum urbis, Athenis maneret, ibique juventutem philosophicis studiis informaret. Sunt & epistolæ Ciceronis ad Herodem una, altera ad filium, qua eum Cratippo se conjungere jubet. Gorgiam autem rhetorem incusans, quod filium ad voluptates & compotationes illexisset, consuetudine ejus prohibet: hæc una fere Græcarum Ciceronis epistolarum, & alia ad Pelopen Byzantium, objurgatoriæ sunt. Ac Gorgiam quidem haud immeritò traducit, si quidem ita pravus, ut videbatur, & luxoriosus fuit. Cum Pelope autem minus liberaliter & morosè expostulat, neglectum ejus culpa querens, ne sibi à Byzantiis honores quidam certi decernerentur. Arrogantiæ quidem hæc sunt imputanda: sicut & illud, quod sæpe orationis vehementia elatus decorum prodidit. cujus generis quædam perstringemus.
XXXIV Cùm Munatium in judicio defendisset, isque absolutus socium ipsius Sabinum accusaret, ita fertur ira evectus Cicero fuisse, ut in hæc verba prorumperet: Nimirum tua opera, Munati, damnationem effugisti, non me multas tenebras in luce judicibus offundente. *Dicta aliquot eius.* Marcum Crassum pro concione laudans, placuerat. Eundem cùm paucis post diebus verbis proscinderet, isque diceret: Nonne de hoc loco nuper me laudasti? Verò, inquit, exercitationis causa de vili materia declamans. Cúmque idem aliquando publicè dixisset, nullum Crassum Romæ ultra sexagesimum annum vixisse, idque deinde negaret, ac diceret: Quanam ego id de causa locutus essem? respondit Cicero: Sciebas Romanos id libenter audituros, itaque iis verbis gratiam eorum captasti. Eidem probari sibi Stoicorum sententiam ferenti, qua virum bonum ajunt esse divitem: Vide, inquit, ne id tibi magis arrideat, quod omnia dicunt sapientis esse. nam avaritiæ crimine Crassus notabatur.
XXXV Alter filiorum Crassi Axio cuidam erat forma similis, ideoque mater ejus male audiebat, quasi cum eo adulterium fecisset.

Ejus cum quædam oratio in senatu placuisset, interrogatus Cicero quid sibi videretur, Græcè respondit, *Axius Crassu.* Est autem *Axius* Græcis, quod Latinis *dignus:* itaque bifariam intelligi id dictum poterat, ut is vel *dignus Crasso* acciperetur, vel *Axio patre natus*, Crasso pro vero filio subditus videretur. Abiturus in Syriam Crassus, malensq; amicum quam inimicum relinquere Ciceronem, blandè eum compellavit, & velle se cùm eo cœnare dixit: atque eum Cicero comiter accepit. Paucis post diebus de Vatinio, inimico & ipso, amici ad Ciceronem retulerunt reconciliari eum& in gratiam amicitiamque redire velle: tum Cicero: Numnam, inquit, Vatinius quoque apud nos vult cœnare? Eundem Vatinium causam agentem, tumidum vocavit oratorem: quod collum strumosum haberet. Cùm eum mortuum esse audivisset, & mox certò cognovisset eum vivere: Male, inquit, pereat, qui male mentitus est. Cæsare legem ferente de agro Campano militibus dividendo, cùm multi in senatu id ægre ferrent, Lucius quidam Gellius decrepitæ jam ætatis dixit: Nunquam id se vivente futurum. tum Cicero: Expectemus, ait, non enim longam dilationem petit Gellius. Erat quidam Octavius, qui Afer domo putabatur, huic quodam in judicio Cicero, eum à se exaudiri neganti: Atqui, inquit, auris tua foramine non caret. Metello Nepoti objicienti, plures eum testi- XXXI
monio dicendo perdidisse, quàm patrocinando servasse, fassus est VI
ita rem habere: plus enim sibi fidei quàm facundiæ esse. Adolescenti cuidam, qui in placenta venenum dedisse patri ferebatur, minanti se convicium ipsi facturum; Cicero: Id malim, inquit, quàm placentam. Cùm Publio Sestio advocatus in judicium cum aliis nonnullis venisset, Sestiusque neminem pro se quicquam dicere pateretur, sed ipse omnia vellet, cùm eum jam absolutum iri à judicibus appareret, & sententiæ ita ferrentur, Cicero eum ita notavit: Vtere hodie, Sesti, tempore, cras enim privatus eris. P. Cottam hominem indoctum & hebetem, sed qui jurisperitus videri vellet, in quadam causa testem citaverat. is cùm nihil se scire diceret: Fortassis, ait Cicero, de legibus & jure te interrogari putas. Metello Nepoti in contentione quadam sæpenumerò quærenti: Quis fuit tuus, ô Cicero, pater? Ad talem, inquit, interrogationem ut tibi sit quàm mihi respondere, difficilius, mater tua fecit. mater enim Metelli impudica existimabatur. Ipse Nepos homo erat levis, ut qui aliquando tribunatu plebis subitò deserto ad Pompeium in Syriam navigârit, ab eoque inconsultius redierit: sepeliens autem Philagrum præceptorem suum studiosè, corvum lapideum monumento ejus imposuit. Hoc, Cicero ait, prudenter fecisti: magis enim volare te, quàm loqui docuit. M. Appio in actione cujusdam causæ præfante, oratum se ab amico, uti diligentiam, facundiam, fidemque adhiberet: tu verò, inquit Cicero, ferreus es, qui ne unum quidem istorum, quæ amicus petiit, adhibueris. Enimverò inimicos XXX
aut adversarios acerbioribus insectari dicteriis, oratorium videtur: VII

proxi-

proximum vero quenque risus captandi gratia offendendo, multorum in se odia concitavit. cujus generis etiam pauca adscribam. M. Aquilium, quod is duos generos exules haberet, Adrastum vocabat. L. Cotta, homine vinosissimo, censuram gerente consulatum petebat Cicero: sitiensque cùm bibisset amicis circumstantibus: Rectè, inquit, à vobis factum est. metuebatis enim ne mihi quod aquam biberem, censor, si vidisset, irasceretur. Voconio obviam factus, tres insigniter deformes filias ducenti secum, versum hunc pronunciavit,

Phœbo haud sinente hic seminavit liberos.

M. Gellio, qui videbatur non ingenuis parentibus ortus, magna & clara voce literas senatui recitante: Ne miremini, ait, ipse quoque unus est eorum qui proclamarunt. Cùm Faustus Sylla, magni illius dictatoris Syllæ filius magnam bonorum partem decoxisset, & ære alieno pressus bona quædam proscripsisset: Hanc sibi melius placere, quam paternam proscriptionem dixit. Hac dicacitate multos sibi inimicos paravit: Clodiusque cum aliis adversus eum conspiravit, nactus hujusmodi occasionem.

XXX VIII Erat Clodius patricio genere natus, juvenis audax & insolens. *Clodij flagitia.* Is cùm Pompeiam Cæsaris amaret uxorem, inque hujus domo mulieres sacra Bonæ Deæ (quæ viris adiri spectarive nefas) peragerent: vestitu & habitu psaltriæ sumpto occultè se ingessit, sperans se quod adhuc imberbis esset, latêre posse, & ita per mulieres ad Pompeiam venire. Cæterùm noctu in tam amplam ingressus domum, cùm transituum esset ignarus, hinc atque hinc oberrans ab ancilla Aureliæ (mater hæc erat Cæsaris) conspectus est: jussusque nomen edere, & loqui coactus, quærere se Auram Pompeiæ pedissequam dixit. Ancilla voce maris cognita exclamavit ac mulieres convocavit: atque illæ foribus clausis omnia loca perscrutatæ, Clodium deprehenderunt, qui in cubiculum ancillæ, quà cum ingressus fuerat, confugerat. Hac re divulgata Cæsar nuncium uxori remisit. Clodium pollutorum sacrorum postulavit. * Erat sane amicus Clodii Cicero, ejusque in negocio Catilinario promptissima opera, & custodia corporis usus fuerat. Verùm tunc eo crimen ita depellente, ut affirmaret se tempore sacrorum istorum longissimè ab urbe abfuisse, testimonium Cicero contra tulit, Clodium tum ad se domum suam venisse, ac de quibusdam rebus collocutum affirmans. Erat quidem hoc verum, sed Cicero videtur non tam veritatis studio, quàm ut se uxori Terentiæ purgaret, testimonium dixisse. Infensa enim Clodio Terentia erat propter sororem ejus Clodiam, quam Ciceroni nubere cupere suspicabatur, idque agere per Tullium quendam, qui Ciceronis socius atque familiaris crebrò ad Clodiam in propinquo habitantem commeabat. itaque uxor morosa, & marito imperans, perpulit eum ut Clodium testimonio premeret. Multi

XXX IX etiam alii præstantissimi viri Clodium pejerasse, falsum commisisse, ambitus sontem esse, ac mulieres ab eo corruptas testati sunt. Lu-

cultus etiam ancillas ad quæstionem præbuit, quæ eum cum sorore natu minima, dum ea uxor sua fuit, rem habuisse dicebant. Tenebat fama cæteris etiam duabus sororibus corpus eum miscuisse: Terentiæ nimirum, quæ Marcio Regi, & Clodiæ, quæ Metello Celeri nupta fuit, quam & Quadrantariam appellabant, quod amator quidam ipsi quadrantes (æreum nomisma est, omnium minimum) in loculis pro argento miserat. Propter hanc præsertim male audiebat Clodius.

Iudicium constupratum.

Verùm populo se testibus illi & adversariis XL
opponente, judices sibi metuentes præsidio se cinxerunt, plerique etiam tabulas confusis literis scriptas intulerunt. pluribus tamen visus est absolvi Clodius suffragiis. Largitione autem corrupti ferebantur. Itaque Catulus judicibus istis obviam factus: Verè, inquit, securitatis caussa præsidium petiistis: metuebatis enim ne quis vobis nummos eriperet. Cicero, cùm ei Clodius objiceret testimonio ipsius fidem à judicibus non habitam: At verò, ait, mihi XXV judices crediderunt, qui te damnaverunt: tibi XXX non crediderunt, qui te non nisi prius accepta pecunia absolverunt. Cæsar quidem vocatus testimonium adversus Clodium non dixit. seque uxorem pro adultera habere negavit: repudiasse autem eam, quod Cæsaris conjugium non facto modo turpi, sed etiam fama sinistra vacare debeat.

Clodij tribunatus.

Absolutus Clodius, ac tribunus plebis creatus, sta- XLI
tim Ciceronem infectari cœpit, & contrà eum omnes res, omnes homines concitare: itaque plebem sibi legibus gratis devincire, consulibus magnas provincias, nempe Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam decernere, multorum inopum manum contrahere, quorum opera propositum conficeret, servos armatos secum habere. Summa tum potentia Crassus, Pompeius, ac Cæsar valebant. Ex his Crassus Ciceronem palam impugnabat, Pompeius eum ludificabatur, Cæsar cum exercitu in Galliam iturus erat. Hunc, quanquam non amicum, sed ob Catilinariam rem simultatibus adhuc durantibus, Cicero subiit, oravitque ut se legatum in bellum secum duceret.

Cicero in exilium actus.

Annuente Cæsare, Clodius videns Ciceronem ex tribunatu suo elapsurum, simulavit se cupere cum eo in gratiam redire, Terentiæ majorem culpæ partem imputans, Ciceronisque mentionem honestam identidem faciens, ac præ se ferens, non odisse eum se, aut male ei velle, sed esse de quibus cum ipso amicè & leviter queratur. Hac arte effecit, ut omni excusso metu Cicero, legatio- XLII
nem Cæsarianam detrectaret, rursusque ad Rempublicam se conferret. Ea re irritatus Cæsar Clodium confirmavit, Pompeium à Cicerone abalienavit, atque ipse apud populum testatus est: Videri sibi contra leges Lentulum & Cethegum reliquosque indicta causa necatos. Hujus enim rei causa Cicero postulabatur. Is itaque tum reus factus, & periclitans, vestem mutavit, comaque profluente obambulans populo supplicabat. At Clodius hominum petulantium & temerariorum caterva stipatus, undique in angiportibus ei occurrebat, qui contumeliosè mutatum Ciceronis habitum exagitantes,

tantes, sæpe etiam luto & lapidibus jacientes supplicationes ejus impediebant. Enimverò Ciceroni primùm universus fere equestris ordo, vestem unà mutans, & haud pauciores viginti millibus juvenes promissis crinibus ei in deprecando aderant. Deinde cùm senatus convenisset, ut populum veluti in publico luctu squalidum amictum sumere, S.C. juberet, eique rei consules repugnarent, Clodius autem cum armatis ante curiam oberraret: haud pauci Senatores foras excurrerunt, vestes dilacerantes suas & vociferantes.

LIII Qui aspectus cùm nullam misericordiam, nullam verecundiam moveret, Cicero cùm aut exulandum sibi, aut rem ferro decernendam sentiret, coactus est Pompeii implorare auxilium, qui tum dedita id hoc opera se in agros apud Albanum subduxerat. Ad hunc primo Pisonem generum suum misit, deinde ipse adiit. Pompeius ut de adventu ejus cognovit, in conspectum venire non sustinuit, verecundia ejus viri perculsus, qui pro ipso gravia sustinuisset certamina, & in ipsius gratiam multa egisset: sed tum Cæsare socero ita volente prodito officio referendæ gratiæ eum destituit, ac per aliud ostium elapsus congressum ejus evitavit. Ita proditus desertusque Cicero ad consules confugit: quorum Gabinius semper se difficilem præbuit, Piso autem humanius collocutus, suasit ut cederet, impetuique Clodiano se subduceret, mutationem temporum æquo animo ferret, rursusq; patriam seditionibus & malis ipsius causa objectam servaret. Hoc responso accepto, cum amicis deliberavit: ex his Lucullus manere jubebat, ut victoria potiturum: alii fugere, mox enim populum furore & sceleribus Clodii saturatum, desiderio ipsius captum iri. Horum sententia approbata Cicero signum Minervæ, quod diu domi dedicatum habuerat, atque coluerat, in Capitolium portavit, ibique dedicavit, hac inscriptione: MI-

LIV NERVÆ VRBIS CVSTODI. Deinde comitibus ab amicis acceptis, circa mediam noctem urbe exivit: ac per Lucaniam pedestri itinere contendit, Siciliam petens. Postquam fugisse eum innotuit, Clodius de exilio ejus fert, edictumque proponit, quo aqua & igni ei interdiceretur, neque tecto eum recipere intra quingentesimum ab Italia miliare licitum esset. Nemo ferè id edictum curavit, reverentibus omnibus Ciceronem, omnique officio prosequentibus. Hipponii, quæ urbs est Lucaniæ, & nunc Vibo dicitur, Vibius homo Siculus, qui & alios multos fructus amicitiæ Ciceronis perceperat, & ab eo consule præfectus fabrûm factus fuerat, venientem domo non recepit, pollicitus tamen est se ei locum in agro, ubi lateret, designaturum. Cajus autem Virgilius Siciliæ prætor, qui plurimum Cicerone usus erat, missis literis ei Sicilia interdixit. Debilitato eam ob rem animo, Brundusium perrexit, atque inde vento secundo Dyrrhachium vectus, cùm ventus ab alto contrarius incidisset, retrò unde venerat avectus est, deinde rursus trajecit. Ferunt *Prodigium.* cùm jam littus apud Dyrrhachium attigisset, essetque in terram egressurus, simul & motum terræ extitisse & mare æstu retrò absor-

ptum: indeque collegisse divinos homines, haud diu eum exulaturum, quod ista signa essent mutationis. Quanquam autem multi XLV ad eum benevoli viri convenirent, Græciæque urbes certatim officiis prosequerentur: mœstus tamen, & in summo dolore vivebat, crebrò ad Italiam, ut infeliciter amantes ad amasias, respiciens animo calamitate planè dejecto; quod de viro ita in optimis studiis diu multumque versato nemo sibi pollicitus fuisset. Atqui frequenter ipse ab amicis postulabat, ut non oratorem se, verùm philosophum appellarent: nam se philosophiam, ut rem, sibi proposuisse: arte oratoria tanquam instrumento in rebus publicis tractandis uti. Sed profectò ea vis est gloriæ, ut ejus studium eorum qui in reipub. versantur ex animis doctrinam, veluti tincturam aliquam elicere possit, affectusque multitudinis ob consuetudinem in iis effingere: nisi si quis admodum cautus ita cum hominibus agat, ut rerum non affectionum quæ eas sequuntur, particeps esse studeat. Clodius ejecti Ciceronis villas & domum incendit, inque ea area ædem Libertatis ædificavit: bona ejus venditavit, quotidie præcone ea proclamante: Sed nemo quicquam emebat. Terrori exinde optimatibus esse cœpit, populumque cujus libidini & temeritati habenas laxarat, secum trahens, ipsum etiam Pompeium adortus est, quædam ab eo dum bella gereret constituta rescindens. Quapropter Pompeius infamia laborans, incusare seipsum, qui Ciceronem projecisset, mutatoque consilio in omnes se partes vertere, & reditum ei amicorum opera machinari. Cùm intercederet Clodius, S. C. factum est, ne qua de re publica statueretur, nisi Ciceroni reditu decreto. Lentulo consule, cùm augesceret seditio, ita ut & in foro vulnerarentur tribuni plebis, & Quintus Ciceronis frater inter cadavera veluti mortuus lateret, animi populi mutari cœperunt, ac primus tribunorum plebis Annius Milo ausus est Clodium vi in judicium trahere. Pompeio etiam se multi ex populo & vicinis urbibus adjunxerunt, cum quibus ille in forum progressus, pulso Clodio ad suffragia cives vocavit. Nihil unquam tanto populi XLVII consensu decretum ferunt. Senatus ne à populo hac in parte vince-

Reditus Ciceronis.

retur, decrevit ut gratiæ agerentur urbibus, quæ in exilio Ciceronem fovissent: utque villæ ejus & domus, quæ Clodius perdiderat, publicis sumptibus instaurarentur. Rediit Cicero decimo sexto quàm fugerat mense. Tanto autem gaudio civitates, tanto studio homines obviam ei contenderunt, ut quod ipse postea Cicero dixit, minus quàm ipsa rei veritas fuerit, se humeris Italiæ Romam reportatum. Quando Crassus etiam, inimicus ejus ante exilium, revertenti studiosè obviam ivit, ac in gratiam rediit: gratificatus, ut ajunt, filio suo Publio, Ciceronis studioso. Parvo interjecto tempore, cùm Clodium peregrè abiisse deprehenderet Cicero, mul- XLVIII tis comitantibus in Capitolium ascendit, & tabulas, quibus res à Clodio in tribunatu plebis gestæ inscriptæ erant, deturbavit atque perdidit. Quam rem cùm ei Clodius objiceret, & ipse diceret,

Clo-

Clodium contra leges à patriciis ad plebeios transivisse, neque eo-
rum quæ egisset quicquam ratum esse : Cato molestè id tulit, ac
contradixit, non quod Clodium probaret, cujus actiones admo-
dum oderat : sed quod iniquum & violentum fore censebat, si
to Decreta & actiones Senatus rescinderet, inter quæ & sua erat
negotii Cyprii & Byzantii administratio. Ea res fecit ut simultas
inter Ciceronem & Catonem existeret, quæ tamen non in aper-
tas inimicitias erupit, sed usum tantum familiaritatis imminuit. *Milo Clodium cædit.*
XLIX Post hæc Clodium obtruncat Milo : eaque de cæde postulatus, pa-
tronum sumpsit Ciceronem. Senatus autem metuens ne illustri
& animoso viro Milone in judicio periclitante tumultus in urbe e-
xistret, Pompeium huic & reliquis quæstionibus præfecit, ea lege,
ut urbem & judicia tuta præstaret. Pompeius ante diem forum à
summo ad imum militibus cinxit. Milo itaque metuens ne inso-
lens conspectus armatorum Ciceronem perturbaret, isque eò de-
teris certaret in agenda causa, consuluit ei ut lectica in forum
delatus, in ea se contineret, dum universi convenissent judices.
Cicero autem erat, ut apparet, non in armis modò timidus, sed
& ad dicendum trepidè accedebat, vixque titubandi & tremendi fi-
nem faciebat plerisque in certaminibus, provecta jam oratione &
augescente. idemque Licinium Murenam à Catone accusatum de-
fensurus, cùm Hortensium superare contenderet florentem tunc
laude eloquentiæ, nullam noctis partem conquievit : ita ut ni-
L miis curis vigiliisque læsus, deterior seipso visus fuerit. Tum er-
go ex lectica ad dicendam pro Milone causam progressus, cùm su-
blimi loco Pompeium tanquam in castris sedere, arma circumjecta
foro splendore conspexit, conturbatus ægrè tandem dicendi ini-
tium fecit, corpore ante toto tremente, ac voce suppressa, cùm qui-
dem ipse Milo fortiter sanè constantique animo adstaret, dedigna-
tus etiam comam alere, aut pullam vestem induere : quod quidem
haud parum fecisse ad damnationem ejus videtur. Verùm hoc ta-
men judicio factum est, ut magis amicorum studiosus quàm timi- *Ciceronis in*
LI dus crederetur Cicero. Augur in locum Crassi junioris apud Par- *Cilicia res*
thos interfecti creatus est. Sortitus deinde provinciam Ciliciam, & *gestæ.*
exercitum duodecim peditum millia, equites bis mille sexcentos
continentem, Roma navigavit. Mandatum ei erat, ut Cappado-
ciam Regi Ariobarzani benevolam & obedientem redderet. Non
hæc modò ita absque bello confecit, ut reprehendi à nemine pos-
set : sed & Cilices ob Parthicam Romanorum cladem, & res novas
in Syria existentes suspensos, mansueta provinciæ gubernatione
continuit. Munera regibus offerentibus repudiavit : cœnas provin-
cialibus remisit, quotidie autem ipse urbaniores ex illis convivio
non sumptuoso quidem, sed liberali tamen adhibebat, domus i-
psius nullo janitore tenebatur, neque ipsum cubantem conspexit
quisquam, sed prima luce ante domum suam stans aut obambulans
salutantes excipiebat. Ferunt eum neq; virgis cecidisse quenquam,

neque vestes ullius diripuisse, neque convicium per iram fecisse
cuiquam, neminem etiam contumeliosè mulctasse. Cùm juvenis-
set multos peculatus per provinciam factos, cum iis quæ surrepta
erant restituendis urbes ditavit, tum iis qui ablata redderent nulla
præterea supplicio affectis integram famam conservavit. Bellum
quoque attigit, latronibus qui Amanum montem insederant pro-
fligatis: ejusque rei causa imperator à militibus est appellatus. Cœ-
lio autem oratori petenti, ut sibi ad ludos quosdam pantheras mit-
teret, ostentans res à se gestas ita rescripsit: Non esse pantheras
in Cilicia, sed omnes diffugisse in Cariam, quod ægrè ferrent o-
mnibus aliis pacatis se unas bello infestari. E provincia decedens LII
Rhodum appulit. Athenis autem desiderio actæ olim ibi vitæ ali-
quantisper commoratus, cum doctissimisque viris collocutus a-
micis & familiaribus salutatis, dignisque honoribus à Græcis acce-
ptis Romam reversus est, jam Republica velut ex inflammatione
quadam in bellum erumpente civile. Ibi cùm in Senatu de trium-
pho ei decernendo agerent: Iucundius sibi fore dixit compositis di-
scordiis Cæsaris triumphantis currum sequi. Privatim quoque &
Cæsarem per literas, & Pompeium coram deprecans, autor pacis
fuit, mitigare utrunque & placare tentans. Postquàm insanabile
malum esse vidit, & Cæsare adventante Pompeius non substitit,
sed cum multis & bonis viris Roma cessit: in hac quidem fuga Ci-
cero non fugit, adeoque Cæsari visus est accedere. Et verò constat LIII
diu eum consilii incertum fuisse, gravique solicitudine in utran-
que partem distractum. Scribit enim in epistolis: Quo me vertam?
cum Pompeius quidem gloriosam & honestam belli causam ha-
beat, Cæsar autem rem melius gerat, magisque suæ & amicorum
saluti consulat. quem fugiam habeo, non autem ad quem confu-
giam. Cùm Trebatii, unius de amicis Cæsaris, epistolam accepisset,
quæ ostendebat Cæsaris eam esse sententiam, debere Ciceronem
omninò sibi se adjungere, eandemque spem sequi: si tamen ob se-
nectutem à bello abhorreret, in Græciam proficisci, & ab utraque
parte remotum ibi quietem agere: miratus Cæsarem ipsum nihil
scripsisse, respondit: Nihil se suis rebus gestis indignum ommis-
surum. Cæterùm profecto in Hispaniam Cæsare, statim ad Pom-
peium navigavit. Adventus ejus gratus omnibus aliis fuit. Cato LIV
autem privatim eum graviter objurgavit, qui se Pompeio adjunxis-
set. Se quidem dicebat honestè non potuisse eam, quam ab initio
delegisset, reipublicæ constitutionem deserere. Ciceronem autem,
qui & patriæ & amicis utilior fuisse potuerit, si neutram partem
secutus ad eventum se accommodasset, inconsultè & nulla neces-
sitate hostem Cæsaris factum ad tanti periculi societatem venis-
se. Cùm hoc Ciceronem ut consilii pœniteret effecit, tum quod
nulla magna in re opera ejus Pompeius utebatur, in causa fuit i-
pse Cicero, non negans se pœnitere facti sui, & apparatum Pom-
peii exagitans, occultéq; consilia ejus improbans, & à facetiis dicte-
riisque

Studium pacis.

Pompeium sequitur.

riisque in socios non abstinens, ac cùm ipse austero vultu in castris circumiret, subinde aliis ridendi occasionē intempestivè objiciens *Dicteria in Pompeij apparatum.*

LV Non ab re est, quædam ejus generis narrare. Domitio hominem belli imperitum militari imperio præficere volenti ejusq; morum probitatem & temperantiam laudanti: Cur ergo, inquit, non eum liberis tuis tutorem servas? Laudantibus quibusdam Theophanem Lesbium fabrûm in castris præfectum, quod Rhodios de amissa classe pulchrè esset consolatus: Magnum verò, inquit, bonum est, Græcum habere præfectum. Cùm Cæsari pleraque succederent, & is Pompejanos quasi in obsidione haberet, Lentulo dicenti audisse, se amicos Cæsaris tristes esse: Ais, inquit, eos à Cæsare dissentire. Marcio cuidam, qui recens ex Italia cùm venisset, rumorem Romæ esse ferebat Pompejum obsideri: Ergo, inquit, propterea huc navigasti, ut coram ipse spectans crederes. Post acceptam cladem Nonio affirmante, bonam spem restare, superesse enim septem aquilas in castris Pompeij: Præclarè eum dicere respondit, siquidem adversus graculos bellum gereretur. Labieno ex vaticinationibus quibusdam asseverante, omninò victoriam Pompeij fore: Nunc ergo, inquit, quod amisimus castra nostra, id dolo quodam bellico à nobis factum est.

LVI Enimverò pugna apud Pharsalum facta, cui Cicero ob invaletudinem non interfuit, & fugato Pompejo, Cato qui Dyrrhachii magnas copias & numerosam classem habebat. Ciceroni nimirum legibus & ob dignitatem consularem se præstantiori, imperium detulit. Quod cùm recusaret Cicero, & omninò cum illis amplius militare subterfugeret, Pompejus junior & amici proditorem eum vocantes, & gladios stringentes occidissent, nisi Cato obsistens eum cædi eripuisset, & ex castris amandasset, Cicero Brundusium appulit, ibique Cæsarem præstolatus est, ob negocia Asiatica & Ægyptia morantem. Qui ut nunciatus est Tarentum applicuisse, atque inde terrestri itinere Brundusium proficisci, occurrere ei statuit, non quidem admodum diffidens, sed veritus tamen nonnihil in tot hominum conspectu victoris hostis animum experiri. Verùm ille metus supervacaneus fuit. Cæsar enim ut eum longè ante alios occurrere sibi vidit, ex equo descendit, hominemque salutavit: cumque eo solo colloquens per multa stadia processit. *Cæsar Ciceroni ignoscit.*

LVII Exinde constanter cum honore & benevolentia prosecutus est: adeo, ut laudationi quoque Catonis ab eo scriptæ respondens, vitam & orationem Ciceronis, ut Periclis maximè & Theramennis similia laudaret. Oratio Ciceronis Cato, Cæsaris Anticato inscribitur. Q. etiam Ligario accusato, quod in hostium Cæsaris numero fuisset, ac Cicerone eum defendere aggresso Cæsarem dixisse ferunt: Quid obstat, quo minus aliquandiu Ciceronem audiamus orantem? nam Ligarius sanè jam pridem malus homo & hostis est judicatus. Vt verò orsus dicere Cicero mirificè animos movit, & oratio cum varietate affectuum tum venustate mirabili crevit, varios in Cæsaris vultu colores apparuisse, neq; fefellisse eum animum varias in par-

tes versantem: & tandem cùm ad Pharsalici prœlii mentionem orator pervenisset, victum animi perturbationibus contremuisse corpore, & quasdam schedas manibus ei excidisse. Ligarium quidem vi ejus orationis expugnatus absolvit. Porrò reipublicæ forma mutata, & omnibus in potestatem unius redactis, Cicero publicorum negociorum dimissa cura, adolescentibus philosophiæ studiosis vacavit: eorumque ferè consuetudine (erant enim nobilissimi & primarii) iterum in urbe plurimum valuit. Occupabat autem suam operam in scribendis philosophicis Dialogis, vel convertendo aliquid de Græco, & vocabulis Dialecticorum ac Physicorum in Latinum sermonem transferendis. Hic enim est, ut perhibent, qui de Græcis nominibus visa, assensionem, assensionis retentionem, perceptionemque, tum individuum, vacuum, & multa horum similia aut primus expressit, aut maximè omnium Romanorum usitata & nota reddidit, pro Græcis vocibus Latinas commodis translationibus aut aliis proprietatibus affingens. Sua in scribendo carmine facilitate animi causa utebatur: fertur enim quoties ad eam rem se dedisset, una nocte quingentos versus fecisse. Ejus temporis majorem partem in prædio suo apud Tusculum exigens, amicis scribebat, Laertæ vitam se vivere: sive ita jocabatur, sive omninò præ ambitione immodico reipubl. desiderio ardens, præsentem rerum statum iniquè ferebat. Raro autem in urbem veniebat, idque colendi Cæsaris causa: princepsque erat eorum, qui honores ei decernerent, novique aliquid in laudem ejus, & rerum ab eo gestarum dicere studerent. Cujus generis est, quod de Pompeij statuis, quæ cùm ab aliis dejectæ essent, jussu Cæsaris restitutæ erant, dixit: Ea humanitate suaCæsarē Pompeij statuas erexisse, suas verò fixisse. Cùm autem animum induxisset (ut traditum est) Romanam historiam conscribere, multaque ei operi de Græcis rebus immiscere, & omnes eorum fabulas narrationesque inserere, multis publicis privatisq; casibus adversis impeditus est. quorum tamen majori parti causam ipse videtur præbuisse. Primùm cum Terentia divortium fecit, quod tempore belli ab ea ita neglectus fuisset, ut & necessario viatico destitutus dimitteretur, neque revertens in Italiam sui eam curam gerentem reperiret. nam neque Brundusium ipsa venit, cùm diu ibi Cicero moraretur: & filiæ eo proficiscenti adolescentulæ ad tam longum iter neque comitatum, neque sumptus, ut par erat, præbuit. quin & domum Ciceronis inanem omnium rerum vacuamque redegit, multis insuper nominibus factis, gravique ære alieno conflato. Hæ sunt, quæ honestissimæ feruntur ejus divortii causæ: quas ipsas neganti veras esse Terentiæ defensionis argumentum præbuit, ducta non multo post virgine. Id amore formæ factum Terentia spargebat rumorem: Tito libertus Ciceronis, ut esset, qui æs alienum dissolveret. Erat enim puella dives admodum, ejusque bona fidei suæ commissa Cicero hæres ab ea scriptus servabat: & cùm magnam pecuniæ summam deberet, persuasum

Cicero ocio se dedit. LVIII

LIX

Terentiam repudiat.

LX

suasum

suasum ei ab amicis est, ut eam duceret, ipsiusque pecunia credito-
ribus satisfaceret. Antonius in Philippicarum refutatione nuptia-
rum earum mentionem faciens, ejecisse eum mulierem ait, apud
quam consenuisset: eleganter Ciceronem notans, quod à negociis *Tulliæ mors.*
& bello ociosus domi semper hæsisset. Paulò post nuptias istas filia
Ciceronis in partu apud Lentulum periit, cui post Pisonis mariti
prioris mortem nupserat. Ad consolandum verò Ciceronem undi-
que philosophi convenerunt. Nam nimis quàm graviter eum ca-
sum ferebat, adeò ut uxorem quoque repudiarit; quod morte Tul-
liæ voluptatem cepisse videbatur. Hoc modo res domesticæ Cice-
LXI ronis habebant. Conjurationis autem in Cæsarem particeps non
fuit, quanquam summus Bruti amicus esset, neque eo quisquam
præsentem statum iniquius ferret, amissamve rempub. magis desi-
deraret. Verùm illi cùm ingenium Ciceronis metuebant, natura
timidum: tum ætatem, qua etiam fortissimorum hominum auda-
cia deficit. Interfecto Cæsare, & amicis cæsi coeuntibus, cùm pe-
riculum esset ne civitas denuò bello intestino concuteretur, Anto-
nius consul senatu convocato de concordia paucis verbis dixit.
Cicero autem copiosam, & tempori illi congruentem orationem
habuit: persuasitque senatui, ut Atheniensium exemplo oblivio-
nem eorum, quæ de Cæsare acta essent, sancirent: Brutoque, & Cas-
sio, ac sociis eorum provincias decernerent. Sed horum nihil per-
fectum fuit. Nam populus cùm ultrò ad miserationem Cæsari tru-
cidati duceretur, ut funus efferri per forum vidit, Antonio insuper
vestem ejus cruore oppletã & plurimis vulneribus discissam osten
tante, ira ad furorem concitatus per forum percussores Cæsaris
quæsivit: arreptoque igne ad domos eorum accurrit, easq; inflam-
mare conatus est. Illi hoc evitato periculo, quod præviderant, &
se contra munierant, cùm multa alia & magna imminere viderunt,
LX urbe cesserunt. Statim verò Antonius elatus, omnibus terrori fuit,
II tanquam regnum invasurus: maximè autem omnium Ciceroni,
cujus cùm redintegratam in civitate potentiam videret, Brutique
amicum esse nosset, præsentiam ejus molestè ferebat. augebant o-
dium simultates jam ante ob vitæ & morum dissimilitudinem ob- *Acta post mortem Cæsaris.*
ortæ. Hæc metuens Cicero, statuit cum Dolabella in Syriam lega-
tus proficisci. Cùm autem consules post Antonium designati Hir-
cius & Pansa, boni viri, & Ciceronis imitatores, orarent ne ipsos
desereret, promitterentque se præsente eo Antonium oppressuros:
neque fidens eis plane, neque diffidens, jusso valere Dolabella, cum
Hircio & Pansa pactus se æstatem Athenis acturum: cùmque ipsi
consulatum occepissent rediturum, solus navigavit. Mora autem
navigationi injecta, cùm (ut fieri assolet) novi Roma adferrentur
nuncii: Resipuisse Antonium, & mirificè mutatum omnia secun-
dum voluntatem senatus agere: id modò ad optimum reipublicæ
statum deesse, quod ipse Roma abesset: seipsum propter nimiam
culpans timiditatem, reversus est Romam. Prima spes non sanè eum
fefellit.

fefellit. tanta enim multitudo ei obviam effusa est, ut totus ferè dies excipiendo eum dextrasque jungendo apud portas exactus sit. Postridie ab Antonio senatus convocatus est, atque ipse etiam vo- LX
catus: sed non venit, prætexens se male affecto ob navigationem III
corpore decumbere: reipsa autem id metu insidiarum faciebat, quas sibi structas suspicabatur ex indicio ad se in via delato. Antonius graviter ea contumelia irritatus, militibus missis adduci eum, aut domum incendi jussit: multis tamen obstantibus & deprecantibus, pignoribus ab eo acceptis quievit. Reliquum tempus paulatim sibi alter ab altero caventes, mutuòque vitantes, exegerunt: donec Cæsar junior Apollonia advenit, hæreditatemque Cæsaris interfecti crevit, & propter millies sestertiûm, quod Antonius de bonis Cæsaris detinebat, cum eo litem contraxit. Eo tempore Philippus vitricus, & Marcellus sororis maritus, adolescentem Cæsarem ad Ciceronem adduxerunt: pactique sunt, ut ei Cicero suam in dicendo & republica potentiam in senatu & apud populum accommodaret: vicissimq; Cæsar operibus eum suis & armis (multos enim jam tum milites Cæsarianos secum habebat) tutum præstaret. Vide- LXIV
batur autem Cicero perquam libenter amicitiam Cæsaris amplecti. Nam Pompejo adhuc & Iulio viventibus per quietem imaginatus erat, vocare se nonnullos patricios pueros in Capitolium, ex quibus Iupiter unum ducem Romæ deligeret: accurrisse autem cives certatim & templum circumstetisse, puerosque prætextatos tacitè assedisse. tum subitò foribus apertis pueros surrexisse, & in orbem circum Deum obivisse, eumque omnes inspexisse, ægrèque ferentes dimisisse. ut verò accessit Octavius, tum Deum manum ad eum protendisse, ac dixisse: Hic ô Romani dux vester factus finem civilibus bellis imponet. Et pueri ejus faciem animo comprehensam fertur retinuisse Cicero, cùm ipsum non nosset. Postridiè cùm in campum Martium descendisset, ac pueri jam ab exercitationibus discederent, primum omnium eum Ciceroni visum eadem qua in somnis forma: itaque eum admiratione perculsum, quæsivisse quinam parentes ejus essent. (Erat autem filius Octavii, viri non planè illustris, & Attiæ sorore Cæsaris natæ: itaque Cæsar eum, quod liberos non habebat, testamento filium & hæredem instituerat) atque exinde Ciceronem ajunt quoties occurrisset Octavio puero, accuratè cum eo collocutum, & puerum hoc ejus studium amicè probasse. ita autem fortuna tulerat, ut Cicerone consule nasceretur. Hæc igitur LXV
Ciceronis cum Cæsare conjunctionis occasiones ferebantur. Enimverò Ciceronem odium in Antonium primò, deinde ambitiosum ingenium Cæsari conjunxit, sperantem se ejus potentia auctum eo majorem in republica fore. nam adolescens ita ei se submittebat, ut patrem quoque eum suum appellaret. Quod indignissimè ferens Brutus, in epistolis ad Atticum Ciceronem culpat, qui metu Antonii Cæsarem colens, palam ostendat se non libertatem reip. quærere, sed dominum sibiipsi benignum. Filium tamen Ciceronis Bru-

Octaviani & Ciceronis in Antonium conspiratio.

tus

tus Athenis apud Philosophos degentem ad se recepit, eoque usus legato multas res feliciter gessit. Maximè tunc Romæ potentia Ciceronis vigebat, ita ut quidquid vellet obtinens Antonium factione sua victum urbe ejiceret, duosque consules Hircium & Pansam ad bellum ei faciendum mitteret. effecit etiam, ut senatus Cæsari, tanquam pro patria bellum gerenti, lictores, honoresque prætorios decerneret.

LXVI Victo Antonio, & utroque consule mortuo, cùm post pugnam ad Cæsarem copiæ confluerent, senatus sibi à juvene fortuna ita secunda uso metuens, donis & honoribus ab eo avocare copias intendit, non indigere se propugnatoribus dicens, Antonio jam profligato. Id Cæsar timens, submisit ad Ciceronem qui ei persuaderent, ut sibi Cæsarique consulatum adipisceretur, res autem omnes suo arbitrio administraret, & adolescentem Cæsarem gloriæ honorisque cupidum ipse regeret. Ac fassus est quidem ipse Cæsar, se cùm periculum esset ne opprimeretur & destitueretur, Ciceronis ambitione tempestivè usum fuisse, eoque adjuvante consulatum petiisse. Cicero sanè tum senex à juvene inductus deceptusque, in petitione consulatus eum juvit, senatusque ei voluntatem conciliavit: quam ob rem statim ab amicis culpatus, paulò post & se perditum, & libertatem populi à se proditam sensit.

LXVII Cæsar enim consulatum potentiamque adeptus, jusso valere Cicerone, cum Antonino & Lepido amicitiam contraxit: collataque in unum omni potentia, imperii Romani quasi hæreditatis alicujus divisio inter eos facta est: proscriptique, qui necarentur, viri plures quam CC. Maxima inter eos contentione de proscriptione Ciceronis certatum est, cùm Antonius nisi necato Cicerone pacem se accepturum negaret, Lepidusque ei adstipularetur; Cæsar autem utrique repugnaret. Conveneru nt soli tres isti occultè apud Bononiam, in loco aqua circumfluo procul à castris, totoq; triduo inter se collocuti sunt. Tertia die Cæsar fertur, cùm biduum pro Ciceronis salute certasset, concessisse ut is proscriberetur. Fuit autem permutatio ita instituta, ut Cæsar Ciceronem, Lepidus Paulum fratrem, L. Cæsarem avunculum Antonius proscribi permitterent. Adeo ira eis & rabies omnes humanas cogitationes excusserant: imò autem illi demonstraverunt, nullam est belluam sæviorem homine potestate ad exequendum quod perturbato animo decrevit armato.

Cæsar cum Antonio reconciliatur.

Cicero proscribitur.

LXIII Erat tum in Tusculano Cicero, unà cum fratre. Vt de proscriptione renunciatum est, statuerunt Astyra descendere, prædium Ciceronis maritimum, atque inde ad Brutum in Macedoniam navigare, quem obtinere jam istas regiones rumor ferebat. Ferebantur autem lecticis, mœrore confecti: & sæpe in itinere subsistebant, junctisque lecticis sortem suam deplorabant. Magis tamen Q. Cicero mœrebat, penuriæ recordatione motus quod neque ipse quicquam secum cum domo abstulisset, & fratri quoque viaticum erat perexiguum: itaque præstare dicebat, ut M. Cicero fugam occuparet, ipse domum recurreret, & rebus convasatis sequeretur. Hoc consilio probato, mutuò

Q. Cicero perit.

mutuò se complexi, facta salutatione digressi sunt. Et Quintus quidem paucis post diebus à servis proditus, & percussoribus traditus, unà cum filio necatus est. Cicero autem Astyrâ perrexit: inventoque ibi navigio, statim solvit, & usque ad Circæum vento perlatus est. Inde cùm rectà navigaturi essent gubernatores, sive maris me- LXIX
tu, sive quod nondum omninò de fide Cæsaris desperasset, in terram exiit: pedestrique itinere ad centum stadia Romam versus profectus est. rursus deinde animo æstuans, mutata sententia ad mare descendit, ibique pernoctavit, incertus animi, & varia atque gravia consilia agitans. nam id etiam cogitabat, occultè in domum Cæsaris intrare, seque apud lares ejus jugulare, eoque diras in eum ultrices concitare. A quo consilio metu tormentorum depulsus, aliisque rursum tumultuosis cogitationibus ductus, famulis se devehendum mari commisit, ad prædia juxta Capuam. Habebat enim ibi prædia, & commodum tempore æstivo refugium, cùm suavissimi sunt Etesiarum flatus. Erat & parva ibi Apollinis ædes supra mare. ex ea corvi confertim advolantes cum clangore navim Ciceronis terræ accedentem petierunt, & utrunque insessis antennis partim crocitarunt, partim rudentum capita rostris momorderunt. idque ab omnibus pro infausto signo est acceptum. Egressus tamen LXX
est Cicero, & villam intravit, ibique quietis captandæ causa accubuit. Corvi autem & fenestram assidentes, clamorem importunum ediderunt: unusque eorum ad lectum advolans, Ciceronis vestem, qua se velaverat, paulatim rostro à facie detraxit. Hæc videntes servi, suamque ipsorum ignaviam damnantes, quod inspicere heri cædem sustinerent, & non defenderent potius eum, cujus pro salute indigna fortuna utentis etiam bruta animantia solicita essent, partim exoratum, partim invitum in lectica ad mare detulerunt. Interim percussores superveniunt Herennius centurio & Popillius tribunus militum, quem olim de paterna cæde postulatum defenderat Cicero, cum ministris. Cùm autem fores clausas invenirent, iisque effractis neque intus reperiretur Cicero, & scire se ubi esset reliqui negarent, ferunt adolescentem quendam Philologum nomine, libertum Quinti, & à Cicerone in bonis literis educatum, Popillio indicasse, lecticam per sylvestres & umbrosas ambulationes ad mare deferri. Is ergo paucis comitatus ad exitum accurrit. Heren- LXXI
nio cursim per ambulationes properante, sensit rem Cicero, famulosque deponere lecticam jussit: ipse more suo læva meatum tangens, immoto vultu in percussores intuitus est, squalore oppletus, & coma profusa, facie ob solicitudines confecta, ita ut plerique necante eum Herennio ora velaverint sua. Iugulatus est autem, collum ex lectica protendens, annum ætatis agens sexagesimum & quartum. Caput ejus, & manus, quibus orationes in Antonium Philippicas scripserat, jussu hujus amputavit Herennius. Quæ cùm essent Romam allata, Antonius qui tum fortè comitia habebat, audita re, & visis membris, exclamavit: Finitas jam esse proscriptiones:

Cædes Ciceronis.

nes: ac pro rostris poni manus caputque Ciceronis jussit, horrendum Romanis spectaculum. non enim Ciceronis se videre faciem, sed imaginem animi Antonii putabant. Vnum tamen id Antonii factum æquum videtur, quod Philologum Pomponiæ Q. Ciceronis uxori dedidit: quæ eum cùm aliis gravibus cruciatibus ulta est, tum ut suas ipse carnes paulatim abscinderet, assaret, atque comederet, coegit. Sic enim nonnulli scriptores tradiderunt, cum Tiro libertus Ciceronis ne verbum quidem de proditione Philologi scripserit.

Lxx Audio Cæsarem longo post tempore ad sobrinum quendam ingres-
II sum, eumque Ciceronis librum quendam in manibus habuisse, perterritumque veste eum involvisse: Cæsarem autem cùm id animadvertisset, librum arripuisse, ac stantem magnam ejus partem perlegisse, tum adolescenti reddidisse, atque ita fatum: Doctus hic vir fuit, Fili, doctus & patriæ amans. Sanè ut primùm debellavit Antonium, consul creatus collegam assumpsit Ciceronis filium: quibus Coss. & Antonii statuas senatus dejecit, & honores ei antea decretos rescidit: decrevitque, ne quis unquam Antoniæ gentis Marci prænomen ferret. Ita fatum finem pœnarum, quas Antonius luit, in Ciceronis domum intulit. *Cæsar de Cicerone.*

COMPARATIO CICERONIS CVM DEMOSTHENE.

Lxx Retulimus, quæcunque memoratu digna de Cicerone & Demo-
III sthene cognovimus. Omissa autem facundiæ eorum comparatione, id tamen videor non rectè præteriturus fuisse, quod Demosthenes quicquid eruditionis & ingenio consecutus est, & exercitatione, id omne ad dicendum contulit: & vi dicendi eos qui causas judiciales tractant, & forensia certamina obeunt; magnificentia & fastu orationis eos qui demonstrativo causarum genere facundiam ostentant suam; accuratione & arte rhetores superavit. Cicero autem cùm ad orationes magnam doctrinæ scientiæque varietatem contulisset, libros tamen præterea multos de philosophia Academicorum more composuit: atque etiam in orationibus quas de controversiis judicialibus scripsit, haud obscurè peritiam suam literarum, doctrinamque ostentat. Iam ex orationibus utriusque ingenium quale fuerit perspici potest. Demosthenis enim oratio absque omni fuco & joco ad gravitatem seriam contracta, non lucernam (ut cavillabatur Pytheas) olebat, sed aquæ potum, curas & morum ejus amatorem, qui *Eloquentia.*
Lxx ferebatur, austeritatemque. Cicero facetiis ad scurrilitatem sæpe-
IV numerò prolapsus, resque serias risu & joco utilitatis suæ causa in judiciis agitans, decorum negligebat. ut cùm in Cœlii causa diceret: Non absurdum esse, eum in tanta magnificentia hominum luxuque voluptatibus studere: insani enim esse, non uti iis quæ concessa sint, præsertim cùm nobilissimi philosophi summum bonum in voluptate collocent. Ferunt etiam eum cùm consul accusatum à

Catone Murenam defenderet, multis verbis Stoicam sectam, à qua
erat Cato, & eorum quæ vocant paradoxa exagitasse. quam ob rem
cùm risus in corona obortus ad judices usque pervaderet, Catonem
leniter subrisisse, & assidentibus dixisse: Quàm ridiculum habemus
consulem. Videtur omninò risu & facetiis natura delectatus Cice-
ro, & vultus ejus adeò placidus atque subridens erat, Demosthenes
autem austerus semper, cogitabundusque videbatur: unde factum,
ut ab inimicis (ut ipse refert) morosus, difficilibusque præditus
Propria laus. moribus diceretur. Quin & ex scriptis utriusque hoc apparet, De- LXXV
mosthenem circumspectè & modestè ad seipsum laudandum acces-
sisse, cùm ita res majoris utilitatis causa postularet, alioquin cau-
tum fuisse & moderatum. in Ciceronis autem scriptis immodica illa
sui ipsius prædicatio, notam ei inussit intemperantis arrogantiæ:
qua ductus exclamavit:

Cedant arma togæ concedat laurea linguæ

atque ad extremum non jam facta modò sua & actiones, sed oratio-
nes etiam habitas à se aut scriptas prædicavit, quasi si cum Anaxi-
mene aut Isocrate sophistis certaret, non populum Romanum du-
cere se, & erigere jactaret:

Marte prementem hostes, & debellare peritum.

Equidem eum qui in repub. potentia præstare velit, eam eloquen-
tia sibi parare necesse est: contentum autem esse gloria facundiæ,
inque ingluvie quasi ejus acquiescere, non est ingenuum. Qua in
re gravior est magnificentiorque Demosthenes, qui suam facun-
diam peritiam esse quandam multæ auditorum benevolentiæ indi-
gentem professus, qui ejus causa superbirent, illiberales & sordi-
Potentia in rep. dos, ut sunt, pronunciabat. In rep. & concionibus par utriusque LXX
vis fuit, ita ut ii etiam, qui arma exercitusque sua in potestate habe- VI
bant, eorum opem requirerent, ut Chares, Diopeithes, Leosthenes,
Demosthenis: Ciceronis, Pompejus & Cæsar Octavianus, quod hic
ipse in commentariis ad Mæcenatem & Agrippam testatur. Id au-
tem, quod maximè omnium mores hominis & ingenium declarat
atq; probat, nempe magistratus alicujus administratio & potestas,
quæ omnes animi affectus excitat, omneque detegit vitium, Demo-
stheni defuit, neque exhibuit de se specimen aliquod: nullum enim
insignem magistratum gessit, ac ne eas quidem, quas adversus Phi-
Magistratus. lippum collegerat copias, duxit. Cicero autem quæstor in Siciliam,
proconsul in Ciliciam & Cappadociam missus eo tempore, quo ma-
ximè avaricia vigebat, & magistratibus, qui in provincias mitteban-
tur, ad rapinas (quod furari nimis sordidum putarent) cōversis non
iniquus qui accipiebat videbatur, sed qui modicè raperet, diligeba-
tur: præclare suam in contemnenda pecunia magnanimitatem, be-
nignitatemque & humanitatem demonstravit. Romæ autem verbo
quidem consul, re ipsa dictator adversus Catilinariam factionem
creatus. Platoni testimonium tulit, qui finem malorum in repub.
fore dixerat, cùm divina quadam fortuna potentia magna & pru-
dentia

LXX dentia cum justicia in unum convenissent. Quæstum sua oratoria *Pecunia ca-*
VII arte fecisse Demosthenes fertur, ita ut reprehendi meritò potuerit : *ptura.*
qui occultè orationes Phormioni & Apollodoro adversariis scripse-
rit, regias pecunias accepisse dictus sit, & ob Harpaleas damnatus.
Quæ si ficta ab iis, qui contra Demosthenem scripserint (sunt autem
non pauci) largiamur : id quidem negari nullo modo potest, adver-
sus munera regem honorificè missa oculos tollere Demosthenem
ausum fuisse, neque præstari tale quidquam ab eo homine potuisse,
qui re nautica fœneraretur : Ciceronem autem & ædilem à Siculis,
& proconsulem à rege Cappadociæ, & in exilium proficiscentem ab
amicis oblata dona, rogatum etiam ut acciperet, respuisse ostendi-
mus. Exilii verò calamitas turpis Demostheni accidit, damnato *Exilium.*
furti : Ciceroni verò propter pulcherrimum facinus, quod scelera-
tos homines ex republica excidisset. Itaque illius ejecti nulla ratio
habita : ob hujus casum senatus vestem mutavit, & luxit : neq; sta-
LXX tuere quicquam ulla de re, nisi decreto Ciceroni reditu voluit. Exi-
VIII lium Cicero ociosè pertulit in Macedonia desidens : Demosthenis
exilium magnam rerum ab eo gestarum partem complectitur. nam,
ut dictum est, Græcis auxilium ferens, & Macedonum legatos ex-
pellens, circum urbes proficiscebatur : eaque in re longè meliorem
se quam Themistocles & Alcibiades civem gessit. Sanè etiam post
reditum rursus antiquam reipublicæ administrandæ rationem iniit,
inque oppugnando Antipatro & Macædonibus perseveravit. Cice- *Reditus.*
ronem in senatu reprehendit Lælius, quod tacitus assideret, Cæsare
imberbi adhuc consulatum contra leges petente : accusavit etiam
missis litteris Brutus, quod majorem ea, quam ipse Brutus destru-
xerat, graviоremque tyrannidem puero Cæsare educando consti- *Mors.*
LXX tuisset. Denique mortem hujus miserari subeat alicui, quod ho-
IX mo senex à servis bona indole præditis hac illac circumferretur
mortem subterfugiens : quæ non multò ante constitutum à natura
terminum ingruebat, atque ita jugularetur. Demosthenes autem,
etiam si nonnihil ad deprecandum animum inflexit, magnam ta-
men admirationem meretur, quod venenum præparatum penes se
custodiit : magnum etiam usu ejus, cùm Deo tutum se & sacrosan-
ctam non præstante, veluti ad sanctiorem & potentiorem confu-
giens, aram, armis & satellitibus regiis sese eripuit, Antipatri quasi
subsannans crudelitatem.

IN CICERONEM, INTERPRETIS Annotationes.

CAp. I. Matrem Ciceronis Helviam.) ὀλβίαν καὶ γεγονέναι καὶ καλῶς βεβιωκέναι. ὄλβον *opes*, ὄλβιον divitem *esse scio. Cæterùm hic mihi metus, ne si verterem quomodo uterq; interpres, negligentior meritò judicarer. Puto autem scriptum esse à Plutarcho*, Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν ὀλβίαν καὶ γεγονέναι καλῶς, καὶ βεβιωκέναι.

Primùm ipsa trajectio particularum ὀλβίαν καὶ, *locum mihi fecit suspectum. Deinde cùm Græci loco V consonantis* τοῦ βῆτα *utantur, cogitavi quam Plutarchus sive* ἐλβίαν, *sive* ἐλβίαν *dixisset, eam à librariis postea* ὀλβίαν *perperam scriptam, proprio in appellativum commutato. Nam Eusebius quoq;* Helviam *Ciceronis matrem nominat, secutus eosdem (opinor) auctores: &* Helvii *Romæ fuerunt, Cinnæ cognomento. Deniq; vix mihi persuadebitur, si autor matrem Ciceronis (cujus nomen omittere non puto, voluit) divitem voluisset affirmare,* ὀλβίαν *scripturum fuisse. Dixi quod sentio: cæterorum salvo judicio.*

Ibid. Ab Tullio Attio.) *In Græco est* τύλλιον ἄππιον, *quòd interpretes parum de his rebus soliciti retinuerunt. Est autem legendum* τύλλον ἄττιον. *Loquitur enim de Tullo Attio Volscorum rege, ad quem exul Coriolanus confugit. Livius libro secundo. Dionysius lib. 8. initio, & in Coriolani vita noster.*

Ibid. Primus Cicero.) *A cultura ciceris hoc cognomen Plinius libro 18. 3. ortum ait, sicut Lentuli, & similia.*

Cap. 2. III. Nonas Ianuarii.) ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν καλανδῶν. *Hunc suum natalem diem Cicero ad Atticum etiam notat lib. 7. epist. 5.* Ita, *inquit*, ad urbem III. Nonas *(patet autem ex superioribus, loqui de Ianuario)* natali meo. *& lib. 13. epistola, Venit ille.* Sed heus tu, *inquit*, diem mecum scis esse III. Non Ianuar. aderis igitur. *Gellius lib 15. cap. 28. ait: Q. Capione & C. Serrano Coss. ante diem* III. *Nonas Ianua. natus est M. Cicero. fuit hoc anno.* V. C. DCXLVIII. *Latinus interpres Bochius,* III. *Kal. Ian. vitiosè extulit, quem errorem, ut persæpe alios, secutus est Amiotus. Locum autem doctè, ut omnia in sua Quæstura Corradus explicavit.*

Ibid. Plato requirit.) *Disputat ea de re cùm alias, tum principio libri de Repub. sexti.*

Octo millibus nummûm.) *Ita quidem est in Græco. nam duo millia drachmarum hoc efficiunt, cùm quatuor nummi sestertii sint in denario. At apud Ciceronem in hac pro Sex. Roscio Amerino oratione ita legitur:* Bona patris hujusce Sex. Roscii, quæ sunt sexagies, de viro clarissimo & fortissimo L. Sylla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummûm se dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostræ civitatis L. Cornelius Chrysogonus. *Neq; vero dissensisse à Cicerone Plutarchum credo: multo minus autem ignorasse ut hæc summa Græce efferetur, aut lapsum fuisse ea in re. Itaq; nisi mendum libri sit (quod ipsum affirmare durum est) vel apud Ciceronem, vel apud Plutarchum, lapsum hunc memoria hoc loco dicendum est. Sanè illud* sexagies *accuratè & rotundo ducentorum ac quinquaginta talentorum numero expressit. Etenim talentum constat minis* LX. *mina centum drachmis seu denariis: in denario quatuor sunt, ut diximus, sestertii nummi, quo fit, ut in singula talenta sex denariorum, vel* XXIV. *nummorum millia computentur. Ergo de* CCL. *talentis,* MD. *millia drachma-*

drachmarum sexies millena millia nummorum redigentur. Hæc
jam ad centena millia (nam quoties sestertium vel dicitur, vel di-
ci intelligitur, ut in hoc loco Ciceronis sexagies, & alibi decies, ac
similia omisso vocabulo sestertiûm ponuntur, toties centena millia
nummorum indicantur) revocabimus: erunt sexagies centena mil-
lia nummûm, hoc est sexagies sestertiûm. Id obiter annotare non abs
re duxi. In vita Antonii infra similis locus Ciceronis referetur.

Cap. 6. Negligebaturque, ac Græcus) παρημελεῖτο. Hoc passi-
vum est verbum utiq; non activum: & negligi significat, non ne-
gligere. Male hæc interpres extulit, sicut & χολαστικόν: quod voca-
bulum hodie pro Latino usurpatum. eodem modo apud nos solet igno-
miniæ loco eruditis & simplicibus hominibus, ab avaris hominibus,
ac superbis bellorum cauponibus objici.

Cap. 7. Contra disciplinam militarem.) In Græco est ἀταξίας:
quod qui ad desertos ordines referunt, speciem pro genere non satis
prudenter arripiunt: Multa enim alia hoc vocabulo comprehendun-
tur, non tantum λειποτάξιον. Non sanè constat mihi, qualis ἀταξία
objecta juvenibus illis Romanis fuerit: sed hoc scio, ἀτακτεῖν Græcis
esse, quicquid fit contra disciplinam militarem. Sic in vita Pom-
peij, ἄγων τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν. & alibi.

Ibid. Scribit) Locus est in oratione pro Cn. Plancio, tametsi pau-
lò aliter rem narrat Cicero, ita quidem, ut ad summam negocii aut
nihil aut parum intersit.

Cap. 9. Libertinus Cæcilius.) Q. Cæcilius Niger, domo Siculus,
& quæstor Verris contra quem Divinatio seu prima Verrina Cicero-
nis est. vide Asconium. Suibus autem abstinere Iudæos (quæ joci est
materia) notissimum est.

Cap. 10. Villam Arpini pulchram.) ἄγροις. Ciceronis patria fuit
Arpinum, unde Arpinâs dictus est. fuit autem in Campania ut &
Neapolis, & Pompeij, quod vel ex Plin. 3. 5. intellexeris: Arpi au-
tem urbs est Apuliæ, in diversa Italiæ parte: ut planè huc non qua-
dret. Nisi Arpinum forte Græcis ἄγροι dictum sit, quod credere est
durum.

Cap. 11. Fertur & Licinius Macer.) C. Macer ille est, cujus libro
primo epist. 3. ad Atticum meminit. Aliter narratur hæc res à Vale-
rio Max. lib. 9. cap. 12.

Ibid. Tantum collum non habeo.) τηλικοῦτον τράχηλον. Guttur
verterunt Bochius & Corradus, non sanè ita ut sensus requirit. neq;
verè τράχηλος guttur est. est autem vernacula etiam nostra lingua
usitatum, ut homines impudentes & in dicendo præsertim temera-
rios, valido collo præditos dicamus. Atq; ita etiam Marius (ut re-
fert Plutarchus) in senatu respondit: Non ita latum sibi esse col-
lum, ut de tanta re quicquam affirmare ausit, de lege Saturniana
loquens. Eo alludens Cicero, strumas Vatinij eleganti dicto notavit.
Post in Græco ἐλαύνοντα est, quod non video quàm commodè legatur.
Sicut & illud διαγαγόντι ἐπὶ βῆμα κελεύων. Sed sententiæ sunt pla-
næ.

Cap. 15. Ii quibus Syllanis.) *Proscriptorum filii. Vide Corradum & alios. Plinius lib. 7. cap. 30. in eulogio Ciceronis:* Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit. *Meminit ipse lib. 2. epist. 1. ad Atticum.*

Cap. 18. M. Otho præturam tum gerens.) *Ita hæc, ut in Græco sunt retuli: nisi quod animadverti etiam aliàs στρατηγεῖν vocabulum pro quovis magistratu poni, minus propriè. (Quod viderat multò ante Polybius στρατηγοῦ vocem prætoris nomine ampliorem: itaq; hunc alias ἑξαπέλεκυν vocat. Etiam in Lucullo ea de re annotavi) Nisi quis erratum vel à Plutarcho, vel à librario (quod malim) dicat: ut δημαρχῶν legatur. Autor enim legis theatralis fuit tribunus plebis, quod & disertè Livius lib. 99. tradit, ut ex Epitoma intelligitur, & apud Dionem lib. 63. perspicuè docetur. Fuit autem is tribunus plebis L. Roscius Otho. Prænomen L. est, & apud Ciceronem in Mureniana, & apud Livium ac Dionem, quibus dixi locis, & apud Asconium Pædianum in oratione pro C. Cornelio, & apud Acronem in 4. Epod. Horatii: ut M. à Plutarcho dici miror. quanquam mendum potius, aut μνημονικὸν esse ἁμάρτημα suspicor. Porrò autem Roscius nomen fuit, Otho cognomen. Id quod, cùm pridem Dionem vertissemus in eumq; Annotat. scriberemus, festinantes & parum solicitè circumspicientes fefellit. Itaq; ibi putavimus Dionem & Livium à Plutarcho & Horatio & Iuvenali dissentire. quod falsum esse, vel unus Horatius nos poterat docere. Cujus enim ex quarto Epodon versus citavimus de Mena Pompeÿ liberto, auso in XIV. ordinibus sedere,*

Xylandri error.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet: *idem in prima ad Mæcenatem epist. legem de ordinibus* Rosciam *dixit, eo loco,*
Roscia dic sodes melior lex, &c.

Sane statueramus Dionem nostrum ut emendatum pluribus in locis & politum denuo edere, cùm typographus in Gallia insciis planè nobis priorem editionem recoxit: qui opera nostra uti, & melius de nobis & Dione studiosisq; mereri potuisset, si voluisset. Sed quid facias hominibus etiam cum damno & dedecore aliorum lucrum sibi captantibus? Nos vel correctum (ut dixi) brevi dabimus: vel, si id commodius videbitur, seorsim castigationes nostras & annot. edemus. Nunc ut finem faciam, vim Rosciæ legis scribam. Quatuordecim gradus in theatro proximos post patricios secrevit Roscius, in quibus equites spectarent, plebe exclusa. Porphyrio & Acro ex his primos pro tribuniciis servatos fuisse scribunt. Plin. lib. 7. c. 30. Te suadente (*ad Ciceronem conversa est oratio*) tribus Roscio theatralis legis autori ignoverunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt. *Erat autem certus præscriptus census equestri ordini, quem qui non explerent, iis spectandi locus in* XIV *ordinibus non dabatur. Quod non modò ex Satyris Iuvenalis, tertia & decimaquarta apparet: sed Horatius disertè ostendit fuisse quadraginta millia nummorum, id est* CCCC. *sestertia, ibi:*

Dionis emendatio.

Lex Roscia.

Si quadringentis septem sex millia desunt, Plebs erit, &c. *Quod idem ex Suetonio & aliis colligi potest. Plinius lib. 33. cap. 2. docet, hoc caput repetitum sub Tiberio, quem locum consule. nos alio vocamur.*

Cap. 20. Ipsi Crasso, incerto autore.) *Quod hoc loco calumniatur Plutarchum Corradus, quasi in vita Crassi diversum scripserit, inique mihi videtur facere. Nam profectò ibi nequaquam dixit, epistolam ullam fuisse à Catilina scriptam, sed de Catilina fuisse scripta quadam istis in literis: à quo, non additur, ut optimè cum eo conveniat quod hic ἀδέσποτος epistola dicitur. Est enim ibi, ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τοῦ Καπιλίνα, καὶ ζητουμένην. Quæ duo postrema vocabula mendum continent, sed quod nullo modo potuerit Corradum in Plutarchum armare.*

Cap. 31. Illorum conatibus.) *tribb. plebis, qui Cæsaris instinctu Ciceronem vexabant. ἐκείνου in Græco ad Cæsarem refertur, scilicet autorem consiliorum, quorum administri erant δήμαρχοι. Sic enim legendum, non χιλίαρχοι, satis constat: neq; librariis novum crimen objicitur. Calumniari autem Plutarchum hic planè nihil attinebat, quasi prætoris & tribb. plebis potestatem eandem putasset. Neque mei est instituti Plutarchum defendere, qui seipsum satis defendit. Nam quæ Ciceroni objicit vitia, excusare humanum est: negare qui velit, ipsi etiam Ciceroni, nedum Plutarcho & aliis etiam Latinis scriptoribus, omnem fidem derogat.*

Cap. 35. Axio cuidam.) *Mentio Axii fœneratoris est apud Ciceronem epist. 10. lib. 1. ad Atticum. interpretationem joci coactus sum addere de meo, quia ut pleraq; id genus, in Latinum transfusum amittit vim & leporem suum.*

Cap. 36. Tribunatu plebis subitò deserto.) *Id factum est Silano & Murena Coss. proximo post Ciceronem anno. Historia est apud Dionem perscripta, libro 37. in Græco ἀπολιπὼν ἄφεω, sed scribatur ἄφνω.*

Cap. 37. Adrastum.) *Notum est hunc duobus exulibus Tydeo & Polycini duas filias nuptum dedisse. alter qui sequitur versiculus, notus est de Lajo.*

Ibid. Qui proclamarunt.) *ἀναπεφωνηκότων. non satis hoc assequor. nisi proclamator fortaßis, vel præco dicatur esse, aut ab eo genitus. nam illa officia sordida ac parum digna ingenuis habebantur.*

Ibid. Bona quædam proscripsisset.) *ἁμαρτίαν προσγράψειν. Vereor ne hic sit ἁμαρτία librarij, & aliquid aliud legendum. non enim video quid sit vitium vel peccatum proscribere, nisi forte se decoxisse & solvendo non esse præscripsit ipse. quod an fuerit moris nescio: neque memini me legere. Viderint doctiores.*

Cap. 38. Qua cum ingressus fuerat.) *ἧ συνῆλθεν. Neq; hoc statim obscœnum est verbum, ut ne apud Latinos quidem* congredi, *& similia: & magis tamen placet συνεισῆλθεν legi, ut in Cæsare est, & videtur legisse Amiotus.* Aura ancilla *in Cæsare ἄβρα dicitur: quo-*

modo etiam Calauria & Calabria, *pro insula, varie & promiscuè scribuntur.*

Ibid. Clodium postulavit *) *Cur asteriscum adjecerim non est obscurum: quis enim non videat, accusatoris nomen, hoc est, nominativum qui ad* ἀπογράψαι *pertinet, deesse? Tantum enim abest ut Cæsar eum accusaverit, ut ne testimonium quidem dicere voluerit. A tribuno plebis postulatum Clodium, est in vita Cæsaris.*

Ibid. Tullium.) τύλλου. τυλλίου *malim, ut libertus aliquis Ciceronis intelligatur.*

Cap. 41. Multorum inopum) *Bochij interpretatio, itemque Amioti, non tam a verbis Græcis, quàm a veritate videtur aliena. &* πολίτευμα *significare frequenter conatum aliquem certæ rei in civitate conficiendæ (unde &* πολιτεύεσθαι *eodem modo deductum) notum est.*

Cap. 44. Se ei locum in agro.) τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν. *Bochius,* illicò eum in crimen delaturum asseruit *sed ferè pleraque ab eo sunt negligenter versa. Sic ex* Fabrûm magistro, ædilem *proximo versu fecerat. Corradi versionem non habeo cur probem:* ex ipsa regione se milites in eum conscripturum denunciavit καταγράφειν *scio aliquando esse militem scribere: sed quid* χωρίον*? Deinde si talis aliquis sensus his verbis subesset, non videtur particulis* μὴ *&* δὲ *usurus fuisse, cùm posterius membrum priori esset atrocius. sed dixisset fortassis,* οὐ μόνον οὐκ ἐδέξατο οἰκίᾳ ἀλλὰ καὶ χωρίον*, &c. nunc illud* δὲ *priori aliquid dissimile videtur ostendere. Itaque intelligo, Vibium domo eum recipere non ausum, ob metum edicti Clodiani. partem tamen aliquam in agro suo vel prædio designasse, ubi lateret. alibi nihil memini me de Vibio isto legisse. Sane Amiotus nobiscum sentit. Quid vel hic, vel Corradus legerint, non satis scio. C. Virgilium pro Virginio posui, ex oratione pro Cnæo Plancio.*

Cap. 4 . Sed profecto ea vis est gloriæ.) *Mirum quam planè diversam à Plutarchi verbis sententiam Bochius & Corradus hîc protulerint: non videntes forsitan nomen* δεινὴ *(quod illi* τῇ δόξῃ *tanquam adjectivum attribuentes, omnia conturbarunt) ad verbum* ἀποκλῦσαι *&* ἀναμόρξασθαι *pertinere. Est enim ea oratio qua non Græci modò, sed & poetæ Latini Græcorum imitatione crebrè utuntur: ut in vulgato illo,*

Δεινοὶ γὰρ εὑρεῖν μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Horatius sæpissime:

——Testudo resonare septem callida nervis.

& de Luna:

——Celeremque pronos volvere menses.

Et de ipso Horatio Persius:

Callidus excusso populum suspendere naso.

Sed quid opus exemplis in re nota?

Cap. 47. Cicero dixit.) *In oratione Post reditum in Senatu.*

Cap. 49. Deterior seipso.) ἐν δὲ ἕτερος αὐτοῦ, ut ad Hortensium referatur. Ego ad ipsum mallem & αὐτοῦ legi. Corradus videtur legisse μὴ φαυλῶσαι, sed non cohærente sensu. res non est magni momenti.

Cap. 51. Nullo præterea supplicio affectis.) Rectè hæc Bochius, vel saltem convenienter Plutarchi verbis reddidit. Corradus autem, quod & alias ei accidit, locum, quasi si difficillimus esset, pervertit, ita ut intelligere nemo possit quid dicat, nedum ut Plutarchi verba exprimat. Quid est enim hoc? Et eos qui nihil solverent, & illo plus acciperent, sine infamia conservavit. Quod si ei labi communi hominum sorte evenit, in re præsertim tam aperta, & quam ipse deinde verbis Cic. ex VI. ad Atticum referat: æquior profectò Plutarcho erit, qui eum sæpe indignè, crebrò quidem ab illo reprehendi & vexari viderit. Neq; ego hæc dico, ut de Corradi gloria quicquam detractum cupiam, quem admiror herclè: & fateor me, si adesset, libenter inter ejus discipulos futurum: sed ut ostendam, non omnes nos ab unius alicujus autoritate pendere debere.

Ibid. Cœlio petenti.) Vide Epistolas Cic. fam. lib. 2. & 8.

Cap. 56. Cato qui Dyrrachii.) En tibi æquum Plutarchi censorem Corradum. Hic dicitur, Catonem copias Dyrrachii habuisse; in vita Catonis, Corcyræ Ciceroni ab eo oblatum imperium. Ergo (inquit Corradus) de loco secum Plutarchus, ut sæpe, pugnat. Quasi verò non potuerit milites habere Dyrrachii idem, & Corcyræ Ciceronem convenire. Paulò ante de aquilis legi, & legendum omnino puto, λελεῖφθαι, non λελῆφθαι.

Cap. 65. Ita ei se submittebat.) ὑπῄει πρὸς τὸ μειράκιον αὐτόν. πρὸς particula abundat, id quod quivis viderit. Corradus hæc verba, quibus perspicuè dicitur Octavium Ciceroni se insinuasse, & submittendo se blanditum esse, falsè ad Ciceronem detorsit, ut haberet quod in Plutarcho reprehenderet. Nam sic, inquit, adolescenti se subjecit. atq; hoc deinde refutat, cùm Plutarchus non dixerit, id est nimirum cum larvis luctari.

Cap. 69. Iuxta Capuam.) καπίτας Bochius Capuam reddidit: & est apud Appianum libro 4. ἰμφυλ. quæ urbs tamen non in ora est sita, sed intelligi tamen utcunq; possunt prædia haud longissimè ab urbe ea distantia ex Livii libro 120. cujus extat fragmentum de obitu Ciceronis. Videtur Cajeta legendum.

Cap. 70. Popilius.) Scribendum in Græco Ποπίλλιος, non πίλλιος jampridem ad XLVII. librum Dionis docui.

PLVTARCHI DEMETRIVS, GVILIELMO XYLANDRO Augustano, interprete.

1 QVI primum artes sensuum similes esse censuerunt, ad vim in judicando utriusq; præcipuè mihi videntur respexisse. Est enim id sensibus cum artibus commune, ut contraria apprehendant atque dijudicent: in eorum autem, quæ discreverunt, accommoda-

Sensuum & artium comparatio. tione ad finem differunt. Quod enim sensus inter alba & nigra, dulcia & amara, mollia ac dura discernit, id ipsius nihil interest, cùm nihilominus à quolibet eorum objecto moveatur, atq; afficiatur, & ut affectus est, ita quod percepit ad interiores sensus referat. At vero artes cum ratione ad delectum, & eorum quæ ipsis conveniant, apprehensionem rejectionemque alienorum accedentes, consultò ea quæ ipsis commoda & utilia sunt obiter autem & ut cognita vitare possent, contraria contemplantur. Accidit enim medicinæ, ut Morbi, Musicæ ut dissonantiæ naturam consideret: nimirum ut diversa horum rectius possint efficere. Et quidem omnium artium perfectissimæ temperantia, justitia, & prudentia, non honesta modò, justa & utilia, sed & turpia, injusta atque noxia dijudicantes, eam vitiorum vacuitatem, quæ imperitia malarum rerum se venditat, minimè laudant: quinimò stoliditatem & ignorationem nominant eorum, quæ rectè victuris cognitu sint apprimè necessaria. Prisci II
sanè Spartam in solennibus festivitatibus servos suos multum meri bibere coactos in convivia introduxerunt, ut junioribus ostenderent quid rei esset ebrietas. Nos autem tametsi eam correctionem hominum, quæ aliorum vitiis commemorandis fit, non admodum humanam atque civilem judicamus, nihilominus haud male nos facturos putamus, si unum atque alterum par eorum, qui summa potentia amplissimisq; rebus impudentius usi illustria vitiorum documenta præbuissent, in hæc vitarum exempla insereremus: non mehercule eo, ut varietate operis lectorem oblectemus: sed quod ita demum attentiores præstantium exemplorum spectatores imitatoresque futuros existimamus, si ne mala quidem incognita habeant. quo modo Ismenias Thebanus discipulis suis & bene & male canentes tibia ostendens dicere solebat: Ita canendum est, ita non canendum est: & Antigenidas eo suavius audituros bonum tibicinem adolescentes existimabat, si malum experti fuissent. Itaque hic liber Demetrii ejus, qui ab oppugnandis urbibus Poliorcetes cognominatus fuit, & Antonii imperatoris vitam complectetur, qui Platoni à magnis ingeniis ut magnas virtutes, ita vitia etiam magna proficisci dicenti præclarum ferunt testimonium. Nam quemadmodum uterq; perinde amator, ebriosus, bellicosus, in donando nimius, luxuriosus, libidinosus fuit: ita fortuna quoque consequenter simili usi sunt. Non enim solum magnas ex æquo res prosperè confecerunt, magnis exciderunt, plurimis potiti, plurima amiserunt, improvisò rebus fractis, præter omnium spem rursum emerserunt (qui illis continuus vitæ cursus fuit:) sed & mortui sunt simili ferè modo, alter ab hostibus captus, alter proximè eandem fortu-

Demetrii genus, forma, indoles. nam constitutus. Antigono ex Stratonica Corræi filia duo fuerunt III
filii, quorum alterum à fratre Demetrium, alterum à patre Philippum nominavit: ita enim pleriq; sentiunt. Quidam non Antigoni, sed fratris ipsius filium Demetrium fuisse tradunt: cujus pater cùm ipso adhuc infante decessisset: mater autem statim Antigono nupsis-

set,

set, factum ut hujus filius crederetur. Philippus paucis annis Demetrio minor, maturè obiit. Demetrius statura patre fuit inferior, tametsi magnus; figura autem & pulchritudine faciei ita insigni & eximia, ut ea fingendo pingendove assequi nemo potuerit. Nam unà cum venustate & elegantia, gravitas terrorque in vultu inerat, & heroica quædam ac regia majestas juvenili alacritati admixta. Sic ingenium quoque erat & ad perterrendos homines, & ad conciliandam sibi eorum gratiam aptum. Nam ut vacans conviviis suavissimum se familiaribus præbebat, victusque rationem ut quisquam regum delicatissimam sequebatur: ita in rebus gerendis strenuissima utebatur adsiduitate. Quo maximè imitatus est de diis Liberum patrem, qui & bello acerrimus esset, & confecto bello pacis ad ju-
IV cunditatem & delicias accommodandæ scientissimus. Mirifico patrem suum amore prosequebatur; sed propter observantiā, qua matrem suam colebat, videbatur magis ex animo, quàm potentiæ demerendæ causa patri etiam studere. Cùm aliquando legatis audiendis vacaret Antigonus, Demetrius à venatione supervenit, utque jacula manu tenebat, ad patrem adiit, eumque osculatus juxta consedit. Tum Antigonus accepto responso jam discedentibus legatis alta voce: Hoc quoque, inquit, de nobis renunciate, ita nos invicem affectos esse: nimirum ostendens concordiam cum filio fidelem robur esse regni, & potentiæ documentum. Adeò impatiens consortis est imperium, infidelitatisque & malevolentiæ plenum, ut gloriaretur potentia & ætate maximus successorum Alexandri, quod non metueret sibi à filio, sed eum ad se cum hasta venientem admitteret. Et sanè sola (prope dixerim) hæc familia per plurimas successiones ab intestinis cædibus pura fuit: solusque ex omni Antigoni posteritate Philippus filium suum necavit. Reliquæ Alexandri successorum familiæ ferè omnes multis liberorum, matrum, uxorumque cædibus sunt contaminatæ. nam qualia apud Geometras sunt, quæ illi sibi concedi suo jure poscunt, & postulata appellant, tale postulatum regibus commune est, & quasi concessum fratres
V securitatis causa necare. Humanum fuisse initio Demetrium, & amicorum studiosum, hoc exemplo intelligi potest. Mithridates Ariobarzanis filius socius ei erat, & æqualis, & observabat Antigonum, homo neque re, neque aliorum opinione malus. De eo sinistra suspicio incidit Antigono propter insomnium. Nam secundum quietem visus erat sibi spaciosum campum auri ramentis conserere, inde auream primum succrescere segetem, paulò post se cùm revertisset eò nihil præter stipulas offendere, & cùm gravissime doleret, cujusdam vocem audire, qui Mithridatem aurea demessa segete in Pontum Euxinum abiisse diceret. Perturbatus, id visum filio ad silentii prius juramentum adacto aperuit, idque etiam, se statuisse quoquo modo Mithridatem interficere. Graviter doluit hac re cognita Demetrius, cùmque adolescens ille pro more suo ociosus ad ipsum accessisset, ob juramenti religionem verbis eum monere

Pietas.

Humanitas.

non ausus, sensim ab amicis seduxit: cùmque soli essent, in terram inversa hastâ cernente eo scripsit: Fuge Mithridates: isque re intellecta, noctu in Cappadociam aufugit. Insomnium autem Antigoni mox fatum comprobavit: amplam enim & bonam regionem occupavit Mithridates, regnique Pontici, quod in octavo circiter rege Romani everterunt, autor fuit. Hæc ingenii in Demetrio humani & justi sunt indicia. Enimverò propter contentionem & amicitiam VI (veluti in elementis, Empedoclis) dissidia inter homines & bella existunt, vicinos præsertim & conterminos: quomodo etiam bellum quod omnibus inter se Alexandri successoribus fuit continens, rerum & locorum contiguitas inter quosdam illud illustrius fecit, magisque inflammavit: id quod tum Antigono & Ptolemæo usu venit. Agebat in Phrygia Antigonus, & Ptolemæum audiens ex Cypro transmittere, Syriamque vastare, ac vi urbes occupare, Demetrium filium annos natum xxii. ac tum primùm cum plena potestate magnis rebus præfectũ contra eum misit. Sed juvenis imperitus cum eo viro congressus, qui in Alexandri palæstra exercitatus multa ac magna certamina obierat, apud Gazam urbẽ victus est, cæsis de ejus exercitu quinq; hominum, & captis octo millibus: amisit etiam tentorium, & pecunias, & omnia quæ ad cultum corporis pertinent. Verùm hæc ei cum amicis remisit Ptolemæus, prudenter & humaniter addens: Non de omnibus simul rebus sed de gloria & imperio sibi adversus eum certamen esse His Demetrius receptis comprecatus est Deos, ut ne diu se Ptolemæo hoc beneficium debere paterentur, sed occasionẽ ejus simili modo persolvendi quam primum darent. Neq; verò ita, ut juvenem initio rerum gerendarum subversum par fuit, cladem eam tulit: sed ut gravis imperator qui vices rerum expertus esset, conscribendo exercitui, armis parandis, urbib. in fide retinendis, collectis militibus exercendis curam impendit. Antigonus autẽ audita suorum clade Ptolemæo, qui nunc impuberes vicisset, mox cum viris decertandũ fore dixit: tamen ne animum filii spiritusque diminueret, iterum sibi potestatẽ pugnæ conferendæ dari cupientẽ non prohibuit. Paulò post Cilles Ptolemæi legatus venit magnis cum copiis, ut Demetrium ob amissam prius victoriam spretũ Syria penitus expelleret. Hunc subitò adortus nec opinantẽ Demetrius, ita perterruit, ut castra simul ducemque, & septem millia militum in suam potestatem vivos redegerit cum ingenti præda. Neq; tam iis quæ adeptus erat, quàm quæ redditurus, gaudebat, neque tam partas victoria divitias amplexus est, quàm gloriã, & occasionem compensandi beneficii. Non suo tamen arbitrio egit, sed ad patrem ea de re scripsit: qui cùm ipsius judicio omnia permisisset, & ipsum Cillam, amicosq; ejus liberaliter donatos dimisit. Hic casus VIII Syria ejecit Ptolemæum, Antigonum autem à Celænis reduxit, gaudentem victoria, & filii conspectum desiderantem. Secundum hæc missus ad Arabes Nabatæos subigendos Demetrius, haud circa discrimẽ in loca aquis carentia incidit: audacia tamen sua & confiden-

Bellum contra Ptolemæum.

tia

tia barbaros perterrefecit, magnamque inde prædam & camelos
DCC. abduxit. Cùm vero Seleucus recuperato regno (etenim ab An-
tigono fuerat Babylonia exturbatus) cum copiis ad subjugandas In-
diæ finitimas & circa Caucasum sitas provincias ivisset: Demetrius
vacuam se inventurum Mesopotamiam sperans, subitò transmisso
Euphrate in Babyloniã irruit, alteraq; arcium (duæ enim sunt) præ-
sidium Seleuci depulit, ac septem virorum millia de suis imposuit,
militibusq; permisso ut quantam possent ex agris prædam agerent,
ad mare reversus est. Quo quidem facto confirmavit Seleuco re-
gnum, quod tanquam alienum infestans videbatur ipsi concedere.
Ptolemæo Halicarnassum oppugnante, celeriter opem urbi ferens
obsidionem discussit. Nobilis quidem hic conatus fuit. Mirificus
IX deinde ardor iis incessit, universam Græciam liberandi, à Casandro
& Ptolemæo servitute oppressam. Nemo regum eo bello pulcrius
aliud aut justius gessit: quas enim opes quondam unà paraverant
oppressis barbaris, eas gloriæ causa in Græciam impenderunt. Vt *Græciæ liberandæ institutum.*
primùm navigandum esse Athenas placuit, Antigonus amico cui-
dam dicenti, debere ipsos hanc urbem si cepissent, in sua potestate
retinere, ex qua aditus in totam Græciam pateret: repudiato eo con-
silio: Benevolentia, inquit, egregium & certum gradũ nobis in Græ-
ciam aperiet: ab Athenis autem, tanquam specula orbis terrarum,
celeriter fama omnium actionum indicia ad quoscunque homines
dissipabit. Navigavit ad Athenas Demetrius classe CCL. navium,
talentorum argenti quinque millibus instructus. Vrbem tum Ca-
sandro Demetrius Phalereus adservabat, Munychia præsidio tene-
batur. Demetrius tamen prudentia sua fortunam subsecutus, XXVI.
die mensis Thargelionis ad Piræeum appulit, nemine præsentiente,
& cùm classis propè jam adesse cerneretur, omnibus se ad eam ex-
cipiendam (à Ptolomæo enim missas naves putabant) parantibus.
X Serò duces re intellecta ad auxilia accurrerunt, tumultuatumque
est, ut fieri par fuit ab iis, qui hostem improviso in terrã egredi co-
nantem prohibere cogerentur. Demetrius cum portuũ fauces aper-
tas offendisset, intròq; navigasset, omnibus jam conspicuus signo à
navi dato silentium postulavit: eo facto, per præconẽ edixit, se mis-
sum à patre, ut (quod felix faustumque sit) ejecto præsidio Athe-
niensibus libertatem & suas leges suamq; Rempublicam restitue-
ret. His dictis plerique scuta ante pedes suos proponentes, plausum
dederunt, Demetriumque servatoris & benefactoris nomine vocan-
tes, egredi in terrã jusserunt. Phalereus autem cum suis, tametsi uti-
que accipiendum potentiorem censerent, etiam si nihil eorum quæ
pollicebatur esset facturus, legatos tamen deprecatum miserunt:
quibuscum benignè collocutus Demetrius Aristodemum Milesium
paternum suum amicum adjunxit: Phalereum autem sentiens ea re-
rum mutatione magis à civibus sibi quàm hostibus metuere, gloriã
viri & virtutem veneratus, Thebas eum, uti petierat, addito comi-
tatu tutò deduxit. Vrbem, quanquam ejus contemplandæ deside-
rio

rio tenebatur, prius tamen visurum se quàm eam ejecto præsidio
prorsus liberaret negavit. Munychiam vallo & fossa cùm cinxisset,
interim Megaram, quam Casander præsidio tenebat, classe petiit.

Incontinentia periculosa.

Hic cognito Cratesipolin, quæ Alexandri Polysperchontis filii uxor XI
fuerat, nobilis formæ mulierem Patris commorari, & congressum
ipsius expetere, relictis in agro Megarico copiis, cum paucis expe-
ditis militibus eò profectus est, & seorsim ab his ipsis tabernacu-
lum posuit, ut mulier ad ipsum ingrediens non conspiceretur. Id
cùm quidam hostium animadvertissent, subitò in eum impetum fe-
cerunt: ibi perterritus arrepto vili amiculo cursu effugit, parumque
abfuit quin ob incontinentiam turpissimè caperetur: tentorio qui-
dem & opibus potiti hostes discesserunt. Megara capta cùm milites
ad direptionem se conferrent, multis precibus Megarensibus salu-
tem Athenienses impetrarunt, urbemque eam exturbato præsidio

Stilpo philosophus.

liberam esse jussit Demetrius. Dum hæc ageret, Stilponis etiam
philosophi recordatus est, qui eo nomine celebratur, quod otiosam
vitam instituisset ducere. Hunc igitur accitũ percontatus est: Num
ipsi quoque ademptum aliquid à militibus esset, respondit Stilpo:
Nihil omninò: neque se vidisse quenquam, qui scientiam auferret.
Cùm verò servi Megarensium propè omnes essent furtim subducti,
& Demetrius eum ipsum benignè alloquens diceret: Liberam vo-
bis ô Stilpo civitatem relinquo: Rectè, inquit, dicis: nullum enim

Honores ab Atheniensibus decreti Demetrio.

nobis servum reliquisti. Reversus inde ad Munychiam, cùm eam XII
vi expugnasset, castellumq; in ea diripuisset, ita demum Athenien-
sibus eum invitantibus, Vrbem intravit, advocatisque in concio-
nem civibus Rempub. restituit, pollicitusque est à patre ipsis fru-
menti medimnorum C L. millia, & ligna quæ centum triremibus
fabricandis sufficerent. Athenienses autem cùm popularem civita-
tis statum anno decimoquinto quam amiserunt recepissent, medio-
que inter Lamiacam & quæ apud Cranonẽ commissa fuit pugnam
tempore verbo quidem in paucorum, re ipsa in unius potestate fuis-
sent, ob Demetrii Phalerei potentiam, tantis beneficiis in ipsos in-
signem Demetrium immodicos honores decernendo invisum mo-
lestumque reddiderunt. Primò omnium Antigono & Demetrio
regium nomen decreverunt, quod aliàs abominabantur illi, solum-
que earum rerum, quas Philippus & Alexander post se reliquerant,
intactum hactenus & à nemine vendicatum fuerat. Soli etiam eos
Deos servatores nuncupaverunt: & eponymo magistratu sublato,
statuerunt ut quotannis Sacerdos servatorum crearetur, cujus no-
men edictis & contractuum formulis inscriberetur. Ipsos quoque
cum reliquis Diis intexi peplo, edicto jusserunt: locum ubi primum
à curru descendisset ipse, consecrarunt, aramque ibi Demetrii *Catæ-
batæ* (id est desultoris seu descendentis) posuerunt. Duas eam tri-
bubus addiderunt prioribus, Demetriadem, & Antigonidem: & se-
natum quingentorum ante, tum sexcentorum virorum constitue-
runt: singulæ enim tribus quinquaginta senatores dabant. Insolen- XIII

tissi-

tissimum fuit Stratoclis,(is enim scitarum istarum fuit & subtilium autor blanditiarum) commentum, qui legem promulgavit, ut si qui publico edicto ad Antigonum vel Demetrium mitterentur, ii non legati, sed *Theori*, id est, consultores, nominarentur: quod nomen eorum est, qui Pythiæ aut Olympiæ à majoribus tradita sacrificia pro civitatibus in solenni Græcorũ conventu peragebant. Erat is Stratocles alioquin homo temerarius, & impurus, & qui prisci illius Cleonis æmulus, scurrili impudentia vanitatem suam populo venditare videretur. Scortum nomine Phylacium ad se receperat: quæ cùm ei aliquando ad cœnam cerebra & colla de foro empta apportaret: Papæ, ajebat, hæc tu nobis obsonata es, quæ nos rerum pub. gubernatores ludimus pila. Idem victa ad Amorgum classe Atheniensium nuncios prævertens, coronatus per Ceramicum in forum prorupit, victoriamq; annuncians legem tulit, uti sacra gratulatoria fierent, & caro tributim divideretur. Paulò post cùm advenissent, qui fractas à prœlio naves adducebant, populusque eum iratus vocaret, protervè tumultum subsistens: Itane tandem, ait, male vobiscum actum est, quod biduum læti exegistis? Hujusmodi erat Stratoclis audacia. Enimverò (ut ait Aristophanes) erant & alia quædam, ipso igne calidiora. Quippe inventus est quidam Stratocle impudentior, qui Demetrium, quoties Athenas veniret, eo modo excipi, quo Ceres & Liber pater excipiuntur, & ei, qui splendore hospitii ei præbiti cæteros magnificentiaque superasset, publicè argentum ad sacrum donarium dedicandum dari lege lata juberet. Denique & mensem Munychionem Demetrionis, & mensis uniuscujusque ultimum diem Demetriadis nomine ornarunt, & Bacchanalibus Demetria appellationem fecerunt. Horum pleraque prodigiis divinitus sinistris sunt reprehensa. Peplus enim, intextis, uti statutum fuerat, præter Iovem & Minervam Demetrio & Antigono, cùm per Ceramicum deferretur, turbine venti correptus, mediusque ruptus est. Circum aras eorum multum cicutæ suppullulavit, quæ alioqui ea in regione haud frequens nascitur. quo die Bacchanalia agebantur, ingenti gelu, quod præter anni tempus obortum fuit, coacti sunt pompam intermittere. pruina quoque densa cecidit, quæ suo frigore non vites modò & ficus, sed & segetem propè omnem in herba adussit. Itaque Philippides Stratoclis inimicus, sic eum quadam in comœdia insectatur:

Stratocles homo impudens.

Prodigia.

Pruina cujus ob impietatem vineas
Adussit, & ruptus sacer est medius peplus,
Deorum honores hominibus quod tribueret.
Populo exitialia sunt hæc, non comœdia.

Fuit is Philippides Lysimachi amicus; ac propter ipsum multa populus à rege accepit beneficia: videbatur etiam ei ad res gerendas & militiam haud mala consilia suppeditare probis alioquin moribus, nihil interturbabat, neque aulica curiositate laborabat. Amicè aliquando secum confabulanti Lysimacho, & dicenti: Quid vis ô Philippide

Arcanum. lippide mearum rerum tecum communicem? Quidvis (respondit) ô rex, modò ne arcanum. Data autem opera hunc poetam scenicum cum illo concionali homine contuli. Omnium honorem insolentissimus & absurdissimus fuit, quem ei Dromoclidas Sphetrius detulit, peti oraculum ab ipso de scutorum dedicatione Delphica jubens. Ipsa adeò verba ejus rogationis adscripsi: Quod felix faustumque sit, velit jubeat populus Atheniensis deligi unum Atheniensem, qui ad Servatorem eat, & litato Demetrium Servatorem interroget, quo modo piissimè, optimè, & celerrimè populus donaria dedicare possit: ac quod is jusserit, id ita faciat populus. His illi adulationibus Demetrium alioquin haud sana mente præ- XVI
ditum demulcentes corruperunt. Proinde Athenis tum ociosus Eurydicen duxit viduam, quæ ab antiquo illo Miltiade genus ducebat: & uxor Opheltæ Cyrenes principis, eo defuncto Athenas redierat.
Vxores Demetrii. Eas Athenienses nuptias tanquam honorem & beneficium urbi suæ factum interpretabantur. Alioquin autẽ Demetrius ad contrahendas nuptias facilis erat, multasq; simul uxores habebat: inter quas autoritate & honore excellebat Phila propter Antipatrũ patrem, & quia ante Craterus eam in matrimonio habuisset: quo nemo successorum Alexandri majus Macedonum sui desiderium reliquit. Hanc Demetrius admodum juvenis ætate jam provectiorem suasu patris duxit: cùmque invitus hoc faceret, Antigonus in aurem ei insusurrasse fertur ex Euripide imitatum versiculum:

Fac ob lucrum contra naturam nuptias,

similiter enim hoc cadit vero Euripidis versui,

Fac ob lucrum contra naturam servitas.

Eo quidem in honore Philam reliquasque uxores duxit Demetrius, ut palam cum multis scortis, multis etiam ingenuis rem haberet: atque ob eam incontinentiam inter omnes suæ ætatis Reges pessimè audivit. Cùm pater eũ evocaret, ut de Cypro adversus Pto- XVII
lemæum belligeraretur, necesse quidem habuit obedire: graviter tamen dolens se à bello pro Græcia suscepto, honestiore eo & splendidiore, abstrahi, misit ad Cleonidam Ptolemæi ducem (is Sicyonem Corinthumque præsidio tenebat) qui ei pacta pecunia persuaderent ut urbes liberas dimitteret. Eo conditionem repudiante, celeriter solvit: auctisque copiis, Cyprum appulit, ac Menelaum statim Ptolemæi fratrem prœlio commisso vicit. Ipso autem Ptolemæo magis cum terrestribus navalibusque copiis adveniente, minis quidem inter ipsos superbis, colloquiisque actum est. Nam Demetrium Ptolemæus abire jubebat cum classe, ne collectis universis copiis conculcaretur: Demetrius contrà missum se eum facere dicebat, si Sicyone & Corintho præsidia se deducturum pacisceretur. ad certaminis verò eventum suspensi ancipiti cura animi non ipsorum modò, sed & cæterorum omnium principum erant: non enim Cyprum aut Syriam, sed summum principatum victoria ei qui superior discessisset, tributura videbatur. Ptolemæus ad pu- XVIII
gnam

gnam provehebatur CL. navibus: Menelao autem mandaverat, ut is à Salamina cum sexaginta navibus fervente maximè prœlio, à tergo in Demetrii classem impressionem faceret, ordinesque disturbaret. His Demetrius decem naves opposuit, (tot enim sufficiebant ad angustias portus obtinendas) peditatum per promontoria in mare procurrentia sparsim instruxit, atque ipse navibus LXXX. pugnam inivit. Magno autem robore atque violentia impetum faciens, Ptolemæum repulit: isque simul atque victum se vidit, cum octo navibus fugam celeravit: plures enim de tota ejus classe non evaserunt, cæteris in naumachia proditis, & LXX. cum ipsis viris captis. Quæ verò in onerariis navibus stationem tenebat famulorum, amicorum, mulierum multitudo, tum armorum, pecuniæ, machinarum copia, horum nihil manus Demetrii effugit, sed omnia potitus in castra sua abduxit. Capta tunc est etiam nobilis illa Lamia, quæ initio artis nomine (præclarè enim canere tibia videbatur) in precio habita, post meretriciis etiam artibus celebris fuit. Hæc tum neque ætate neque forma integra, longè minorem natu Demetrium ita suis blanditiis cepit, ut cæterarum mulierum amasius, solius ejus amator esset. Secundum navalem pugnam ne Menelaus quidem restitit: sed Salaminam Demetrio, navesque & terrestres copias, equites nimirum mille ducentos, peditum XII. millia tradidit.

Demetrius Ptolemæum vincit.

Lamia.

XIX Hanc tam illustrem victoriam æquanimitate & humanitate sua ornatiorem Demetrius reddidit, humatis hostium cadaveribus, captivisque dimissis Atheniensibus mille ac ducentas ex spoliis dono misit armaturas. Porrò Aristodemum Milesium ad patrem nuncium victoriæ misit spontaneum, facilè omnium aulicorum assentatorum principem, & tunc haud dubiè ita paratum, ut summam rei gestæ adulationem adhiberet. Cùm enim à Cypro trajecisset, navim terræ adverti prohibuit: sed ancoris jactis, in navi reliquis manere jussis, solus annexam scapham conscendit, & ad Antigonũ contendit. Is tum expectatione eventus ejus pugnæ suspensus, itaque animo affectus, ut consentaneum erat de tantis rebus periclitantem, cùm de adventu Aristodemi cognovisset, magis etiam perturbatus, vix seipsum domi continuit: alios autem supra alios famulos amicosque misit, qui ex eo quid rei gestum esset, perquirerent. Aristodemus nemini quicquam respondens, sensim altoque cum silentio immoto vultu ad regem accessit: ita ut perterritus Antigonus, neque præterea cunctationem ferens ultrò se ei ad fores obviam proriperet, multa jam Aristodemum turba comitante, & ad regiam concurrente. Ille ut propè Regem pervenit dextram protendens: Salve, inquit, rex Antigone, vicimus Ptolemæum regem navali prœlio: Cyprum tenemus, ac militum captivorum millia sedecim & octingentos. Ad hæc Antigonus: Tu quoque, ait, profectò salvus sis: sed quod ita nos torseris, pœnas lues, tardius enim præ-

Aristodemus assentator.

XX mium allati nuncii accipies. Tunc primùm Antigonum & Demetrium magno clamore multitudo reges appellavit, & Antigonum statim

Regum nomen succes-

soribus Alexandri sumptum.

statim diademate amici redimiverunt. Demetrio pater diadema misit, & in literis regem salutavit. In Ægypto autem, ea re audita, Ptolemæus quoque à suis rex est nominatus, ne cecidisse animis ob acceptam cladem putarentur. Ejus rei æmulatio reliquos etiam Alexandri successores pervagata est. Nam & Lysimachus ferre diadema cœpit, & Seleucus cum Græcis agens: jam ante enim barbaris ut rex colloquebatur. Casander reliquis eum & voce & scripto regem appellantibus, ipse ut olim, porrò quoque literas suas inscripsit. Atque hæc quidem res non tantum nominis & habitus mutationem habuit, sed & spiritus eorum excitavit, & animos erexit, vitæque eorum rationi & conversationi majestatem addidit: quomodo tragœdiarum actores unà cum habitu incessum etiam, vocem, accubitum, & alloquia mutant. Quin & imperârunt ex eo severius, sublata suæ potentiæ cavillandæ occasione, ob quam prius se faciliores frequenter, & leniores subditis præbuerant. Tantum unius vox adulatoris potuit, tantamque in orbem terrarum introduxit mutationem.

Inanis expeditio.

Porrò Antigonus Cypria victoria elatus, sta- XXI
tim expeditionem contra Ptolemæum suscepit: ipse terra copias ducens, Demetrio magna cum classe juxta navigante. De fine expeditionis Medius Antigoni amicus per insomnium est admonitus. Imaginatus enim fuit ipsum Antigonum universumque exercitum diauli cursu certare, validè initio, & celeriter, sensim deinde vires ejus remittere, tandemque spiritum graviter ducere eum, vixque se sustinere. Itaque ergo ipse in terrestri itinere multas difficultates expertus. Demetrio ita tempestatum vi jactato, ut periculum fuerit, ne in loca importuosa & iniqua compelleretur, infecta re domum rediit. Erat tum prope octogenarius, cùmque ipse non tam propter senectutem, quàm molem corporis ad obeunda imperatoris munera inutilis esset, filii opera utebatur, cujus jam ea & peritia & fortuna erat, ut maximas res probè gereret.

Luxuria Demetrii, & patris lenitas.

Luxum autem, XXII
luxuriam, compotationesque ejus non iniquè ferebat, quibus ille in pace & ocio ad satietatem usque deditus, in bello tanquam naturâ temperans abstinebat, & sobrietati studebat. Ferunt eo Lamiæ apertè jam addicto, Antigonum peregrè revertenti ac ipsum osculanti per risum dixisse: Lamiam ô fili osculari videris. Rursum cùm is plures dies inter pocula prodegisset, & se humoris affluxu vexatum causaretur: Audivi ita, inquit, Antigonus: sed Thasius ne erat is, an Chius? Rursus invaletudine teneri filium audiens, cùm visum iret, formosum quendam apud fores obviam habuit: ingressus inde juxta assedit, manumque ejus attrectans, dicenti jam febrim discessisse: Et verò, respondit: mihi enim apud januam discedens occurrit. Hæc itaque Demetrii vitia Antigonus propter cæteras ejus virtutes æquo animo ferebat. Scythæ quidem cùm ad ebrietatem usque abbibunt, nervos arcuum pulsant, animum voluptate jam quasi diffluentem revocantes. Sed Demetrius & voluptatibus totum se, & rebus seriis dare solebat, & utrunque altero nequaquam

admi-

XIII admisto tractabat. Neque minor laus imperatoria ejus in apparando quàm in utendo exercitu erat: quin illo præstare videbatur, ita omnia abundè ad usum præparata uti essent curabat. Navium & machinarum artificiosas fabricas etiam spectandi insatiabili quadam tenebatur voluptate. Natura enim ingeniosus cùm esset, & contemplationibus apto animo præditus, studium suum non ludicris aut inutilibus oblectationibus dedit: quemadmodum reges nonnulli tibiæ, picturæ, torno operam impenderunt. quin & Æropus Macedo mensulis & lucernulis fabricandis ocium terebat: Attalus Philometor venenosas herbas plantabat, non altercum modò & veratrum, sed cicutam etiam, aconitum, doryenium que ipse in regia seminans & serens, operamq; dabat ut legitimo tempore succos eorum & semina legeret. Parthorum reges laudi sibi ducebant, si cuspides jaculorum ipsi exsculperent & acuerent. At Demetrii etiam fabrilia opera regium quiddam in se continebant, & in magnis rebus ars ejus conspiciebatur, ac cum subtilitate acumen ingenii, *Demetrii machinæ.*
XXI insignemque prudentiam simul opera demonstrabant: ut non consilio tantùm & sumptu, sed manu etiam regis quæ efficerentur digna viderentur. mole enim sua etiam amicos ejus terrebant, elegantia hostes quoque delectabant. quod ipsum verius est à nobis, quàm ornatius dictum. Sedeciremes quidem ejus & quindeciremes
XIV spectaculo erant hostibus, cùm oram ipsorum prænavigarent. Helepoles etiam (machinæ expugnandis urbibus factæ id nomen est) ejus obsessis admirationi erant, ut res ipsa testatur. Lysimachus enim regum omnium infensissimus, cùm adversus eum obsidentem Solos Ciliciæ urbem castra haberet, missis nunciis oravit, uti machinas ipsi suas, navesque navigantes ostenderet. cùmque id impetrasset, admiratione victus discessit. Rhodii autem diu à Demetrio in obsidione habiti, composito bello petierunt, ut machi- *Rhodium bellum.*
XXI nas quasdam ipsis veluti suæ potentiæ & ipsorum fortitudinis monimentum relinqueret. Cæterùm Rhodios oppugnaverat, quod cum Ptolemæo fœdus & amicitiam haberent, murisque admoverat helepolin maximam. Basis quadrata erat, cujus unumquodlibet latus XLVIII. cubitorum, altitudo LXVI. cubitûm: inclinabantur autem & concurrebant latera ad fastigium infima basi angustius. Ipsa intus machina variis & domiciliis & regionibus intercepta, frontem adversus hostem apertam habebat, & ad singula domicilia fenestram: per has omnis generis tela emittebantur. Repleta enim erat viris omne pugnæ genus obeuntibus: atque ita recta & inconcussa æqualiter undique cum strepitu & violentia magna muris admovebatur, ut simul & perterreret, & oblectaret spectaculo.
XXV Ad hoc bellum thoraces quoq; ei duo ferrei è Cypro allati sunt, appendens uterque minas quadraginta. Horum duritiem & robur ut ostenderet Zoilus artifex, XXVI. passuum spacio intorqueri jussit sagittam à catapulta: neque tamen eo ictu ruptus est thorax, obscuram modò notam, quæ scalpello videretur impressa, accepit. Hunc

Hunc ipse gestavit Demetrius, alterum Alcimus Epirota, omnium qui cum eo erant bellacissimus atq; robustissimus, qui solus armatura duum talentorũ pondus trahente utebatur, reliquorum armis talentum modò appendentibus. is apud theatrum Rhodi pugnans occubuit. Rhodiis autem fortiter se defendentibus cùm nihil memorabile Demetrius efficeret, pertinaciter tamen in ira adversus eos perstitit, quod ii cùm navim à Phila uxore cum literis, stragulis & vestimentis missam ad ipsum intercepissent, sicut erat ad Ptolemæum misissent, nihil imitati Atheniensium humanitatem, qui cùm Philippi ipsos bello petentis tabellarios deprehendissent, lectis reliquis epistolis, missam ab Olympiade non aperuerant, sed obsigna-
tam adhuc ad Philippũ miserant. Veruntamen etsi gravissimè id fer- XXV
ret Demetrius, nactus tamen occasionem Rhodiis parem dolorem afferendi, abstinuit se. Ialysi enim picturam prope absolutam, quam Caunius Protogenes pingebat, in quodam suburbio cùm cepisset, Rhodiis misso præcone deprecantibus uti parceret tanto operi, neque id proderet, respondit: Prius se patris sui imagines crematurum, quàm tantum artis laborem. septem enim annos impendisse Protogenes operi dicitur. Fertur Apelles ea conspecta pictura ita obstupuisse, ut vox eum deficeret: serò autem dixisse: Ingens labor est, & admirabile opus: desunt tamen ei gratiæ, quæ sua opera ad cœlum extollant. Hanc tabulam in eundem cum reliquis locum compactam Romæ ignis absumpsit. Rhodiis autem acriter bello resistentibus, Demetrium deserendæ obsidionis prætextum quærentem Athenienses eò advecti in gratiam cum iis reposuerunt, ea conditione, ut Rhodii Antigono & Demetrio socii essent,
nisi si contra Ptolomæum ii bellum haberent. Athenienses au- XXVI
tem Demetrii opem implorabant contra Casandrum Athenas tum obsidentem: Demetrius eò cum cccxxx navibus validoque peditatu venit: ac non modò ex Attica Casandrum profligavit, verùm etiam fugientem usque ad Thermopylas insecutus cùm fudisset, Heracleam deditione accepit. Transierunt etiam sex millia Macedonum ad ipsum. In reditu Græcos qui intra Pylas habitant liberos reddidit: cum Bœotis societatem coivit: Cenchreas cepit, & Phylam, Panactumque castella à Casandro præsidiis opereque munita adversus Athenienses occupavit, iisque reddidit. Enimverò Athenienses, quanquam ante jam effusè in eum omnes honores contulissent, tamen tunc quoque noves adulandi rationes repererunt. Posticum enim Parthenonis (Minervæ templum ita, tanquam virginis ædes, appellatur) diversorii loco ei assignarunt: ibique agitabat, & Minerva ei hospitium præbere dicebatur, hospiti haud quaquam commodo, & non ea modestia, quæ apud virginem requireretur. Sanè pater ejus cùm sensisset Philippum hujus fratrem divertisse in domo, ubi tres juvenili ætate essent mulierculæ, filio verbum ea de re nullum fecit, sed ipso præsente designatorẽ hospitiorum ad se vocavit, &:
Heus tu, inquit, non educes filium meũ istis ex angustiis. Demetrius XXVII

Ialysi pictura.

Casander ex Attica profligatur.

Demetrius in æde Minervæ habitat.

vero, qui Minervam revereri saltem ut majorem natu sororem (hoc enim dici volebat) debuisset, ingenuorum puerorum matronarumq; Atheniensium stupris tantam arci conflavit infamiam, ut is tunc maximè locus castus videretur, quando is cum scortis Chryside, Lamia, Dema, & Anticyra libidinem exercebat. Cætera omnia apertè indicare nolo, Athenarum nominis reverentia. Democlis virtutem & pudicitiam operæ pretium est commemorare. Hujus impuberis etiamnum non latebat forma Demetrium, ob cujus præstantiam etiam Pulcri cognomen ferebat. Cùm Demetrii multa munera, multas preces, multas minas ab emissariis ejus allatas sprevisset, atque ad extremum palæstras & gymnasium fugiens lavandi causa in privatum balneum intrasset, Demetrius observato eo tempore ad ipsum solum intrò accessit. Hic puer solitudinem circa se & necessitatem imminentem cernens, aheni operculo amoto in aquam ferventem insiluit, & immeritò quidem periit, patria tamen sua

X formaque digna ausus. Longè deterior Cleænetus Cleomedontis filius, qui cùm à Demetrio literas impetrasset, quib. populus patri ejus mulctam quinquaginta talentorum remittere juberetur, non modò seipsum dedecore affecit, sed & civitatem in turbas conjecit. Remissa enim Cleomedonti mulcta, decreto prohibuerunt, ne quis à Demetrio literas adferret: quod cùm is iniquissimè ferret, non abrogârunt modò id decretum, sed & autores ejus, suasoresque partim morte, partim exilio mulctarunt. Additum his aliud decretum. Scivisse populum Atheniensem, ut quidquid rex Demetrius jussisset, id fas apud Deos, iustum apud homines haberetur. Ibi cùm quidam ex optimatibus insanire diceret Stratoclem, qui talia decreta faceret, Demochares Laconensis: Insaniret verò, inquit, nisi insaniret: etenim plurimum ob hujusmodi adulationes ferebat Stratocles. Demochares autem hujus dicti causa delatus, solum vertere jussus est. Hæc Athenienses agebant, cùm maximè liberos

XX se, & præsidium deductum putarent. Demetrius in Peloponnesum profectus, nemine eum hostium subsistente, sed fugientibus omnibus, urbesque deserentibus, Acten (regionis nomen est) & Arcadiam, excepta Mantinea, in potestatem suam redegit: Argos Sicyonem, & Corinthum liberavit, iis qui in præsidio erant, centum talentis datis: Argis cùm unà cum Græcis Iunonia celebraret, ac certaminum præmia divideret, Æacidæ Molossorum regis filiam, sororem Pyrrhi, Deidamiam duxit. Sicyoniis, extra urbem eos habitare dicens, persuasit ut urbem in eum, in quo nunc est, locum transferrent, simulque cum situ nomen mutans, Demetriadem nuncupavit. In Isthmo communi Græciæ concilio acto, eoque admodum celebri, dux Græciæ, sicut ante Philippus & Alexander, est designatus: quibus ille, fortuna & potentia præsenti elatus, haud paulò præstantiorem se ducebat. Et Alexander quidem neminem unquam regum titulo spoliaverat, neque se regum regem dixerat: i-

XXI mò autem multis & nomen regis & regnum dederat. Hi autem

Scelera eius.

Pudicitiæ exemplum.

Decretum.

Nuptiæ & fastus Demetrii ac flagitia.

subſannans eos, qui præter ſe & patrem regis nomen cuiquam tribuerent, inter pocula atq; libandum ſuaviter audiebat eos, qui Demetrium regem, Seleucum elephantorum magiſtrum, Ptolemæum claſſis præfectum, Lyſimachum gazæ cuſtodem, Agathoclem Siculum inſulæ principem nominarent. Quæ cum ad reges emanaſſent, cæteris deridentibus, ſolus Lyſimachus ſtomachatus eſt, ſe à Demetrio ſpadonem cenſeri: nam theſaurariis ferè eunuchis reges utebantur. Omnium verò infenſiſſimus ei erat Lyſimachus, & amorem ei Lamiæ exprobrans, tunc primùm dicebat viſam meretricē, quæ ex ſcena tragica procederet: contrà Demetrius ſuum ſcortum illius Penelopa pudicitius eſſe dicebat. Cùm Athenas redire ſtatuiſſet, ſcripſit eò ſe cupere ſtatim ſacris initiari, & à minimis myſteriis usque ad maxima (quæ ab inſpectione *epoptica* dicuntur) totius ſacrificii ritus cognoſcere. Id neque fas erat, & nunquam ante factum. Parva enim myſteria menſe Antheſterione peragebantur, magna Boedromione: ab his ad epoptica illa inſpicienda ad minimum annus requirebatur. Lectis literis ſolus Pythodorus, daduchus (id eſt facifer) eo tempore, auſus eſt contradicere, tametſi fruſtra. Stratoclis enim decreto Munychioni Antheſterionis nomen impoſitum eſt, & eo menſe Demetrius ad parva myſteria admiſſus. Rurſus inde idem Munychion Boedromion factus eſt, & reliqua ſacra peracta, & ad ſumma etiam illa aſpicienda admiſſus Demetrius. Itaque Philippides Stratoclem convicio proſcindens ait:

Hic menſem in unum annum redegit integrum.

Et de habitatione Demetrii in Partheone,

Arcem is Minervæ fecit diverſorium,
Et ſcorta in ædes introduxit virginis.

Cùm verò Athenis tunc multa fierent iniquè & injuſtè, id omnium maximum civibus dolorem attulit, quod Demetrius cùm Athenienſibus imperaſſet, ut celeriter CCL. talenta cogerent, ſibique darent: poſtquàm penſio ea celeri exactione duraque eſt collata, & argentum paratum vidit, Lamiæ id omne cæteriſque circum eam ſcortis ad ſaponem emendum dari juſſit: turpitudo enim damno, & vox ea ipſo facto moleſtior fuit hominibus. Quidam hoc non Athenienſibus, ſed Theſſalis accidiſſe dicunt. Præterea autem Lamia ipſa proprio arbitratu cùm cœnam regi faceret, à multis pecuniam extorſit, tantaq; fuit ejus cœnæ ob magnitudinem ſumptuum gloria, ut librum de ea Lynceus Samius conſcripſerit. Itaque Comicus quidam haud inſcitè Lamiam helepolin appellavit: Demochares Solenſis Demetrium fabulam vocabat, eo quod Lamiam haberet. Lamiæ amor. Neque jam uxoribus modò, ſed & amicis Demetrii inviſa erat Lamia, quod nimio ſui amore eum cepiſſet. Quoſdam ad Lyſimachū legatos miſerat. His cùm Lyſimachus per ocium in femoribus & brachiis ſuis graves cicatrices unguium leoninorum oſtenderet, & narraret, uti cū leone à rege Alexandro incluſus decertaſſet: ridentes, regem ſuum quoq; immanis feræ Lamiæ morſus in collo ferre dixe-

dixerunt. Ac mirum fuit, quod initio Philam ob imparem ætatem aspernatus, Lamiam pertulerit ac tamdiu amaverit jam natu grandiorem. Demo quidem, quam cognomine Maniam, id est, *insaniam*, dicunt, tibia canente Lamia ad cœnam, interrogata à Demetrio quid ipsi videretur: Vetula, inquit, mihi ô rex videtur. Eadem cùm Demetrius multis appositis bellariis diceret: Viden' quàm multa mihi mittat Lamia? Plura tibi, inquit, mater mea mittet, si cum ipsa dormire velis. Memoratur etiam ejus reprehensio sententię à Bocchore latæ. Quidam in Ægypto meretricem Thonidem deperibat, magnam auri summam exigentem. Is cùm in somnis imaginatus se cum ea rem habere, concupiscere eam desiisset. Tonis eum mercedē apud judices poposcit. Bocchoris causa cognita, eum jussit quantum postulabatur auri numeratum in vase hinc inde manu agitare, & eam umbram à scorto apprehendi: indicans imaginationem veritatis umbram esse. Lamia id judicium injustum esse censuit: non enim ut insomnium juveni amorem, ita umbram meretrici cupiditatem auri ademisse. Hæc de Lamia. Cæterùm casus & res gestę Demetrii, quas deinceps sumus expos ituri, veluti à comica scena in tragicam narrationem nostram transferunt. Omnes reliqui reges adversus Antigonum conspiraverant, & in unum copias suas conducebant. Itaque Demetrius cùm se ex Græcia ad patrem contulisset, præter ætatē belli cupido multum roboris ac fiduciæ attulit. Enimverò apparet Antigonum, si paululùm concedere, & de nimia principatus cupiditate nonnihil remittere voluisset, eum & retinere, & filio suo tradere morte sua potuisse. nunc ingenio moroso & superbo præditus, neque verbis minus quàm actionibus asper, multos juvenes, & eos præpotentes adversum se irritavit. Tum quoque illorum fœdus & societatem se jactabat tanquam avium multarum semina legentium concursum lapidis jactu & strepitu dissipaturum. Peditatum ducebat septuaginta millibus ampliorem, decem equitum millia, elephantos LXXV. Hostium copiæ erant, LXIV. peditum millia, equitatus quingentis equitibus quàm Antigoni major, elephanti CD. currus CXX. Antigonus ut prope hostes pervenit, non tam propositum quàm spem mutavit. Solitus enim antehac sublimis & exultans ad prœlia accedere, magnaque voce & tumidis sermonibus, nonnunquam etiam jocis & facetiis constantiam animi sui, & hostium jam imminente certamine contemptum ostendere: cogitabundus tunc, tacitusque plerunque cernebatur, filiumque suum exercitui commonstrabat, & successorem commendabat. Id verò maximè omnes admirati sunt, quod cum eodem in tentorio solus colloquebatur, cùm ante ne cum isto quidem quicquam arcani colloquii agitare consuevisset: sed suum solius consilium secutus, quæ secum ipse statuisset, ea palam deinde pronunciare & exequi. Et ferunt Demetrio eum, cùm is adolescens adhuc ex ipso quæsivisset, quando essent castra moturi, iratus respondisse: Quid? an vereris ne tu solus turbam non exaudias? signa quoque tum adversę

Bocchoris judicium.

Antigoni contra reges bellum & interitus.

fortunæ ipſis acciderunt. Demetrius in ſomnis viſus ſibi eſt ex Alexandro ſplendidè armato quærere, quam teſſeram pugnæ daturi eſſent: cùmque is Iovem & Victoriam reſpondiſſet. dixiſſe: Abeo ergo ad hoſtes, illi enim me accipiunt. Antigonus autem inſtructa XX
jam phalange exiens, in faciem corruit: afflictuſque eo caſu cùm VI
ſurgeret, manus cœlo tendens, victoriam à Diis, aut antequam vinceretur mortem ſenſus expertem petiit. Iam commiſſo prœlio, Demetrius cum præſtantiſſima & maxima equitum parte Antiochum Seleuci filium adortus eſt: cùmque eum præclara pugna fudiſſet, intempeſtivè eum nimiſque impensè inſequendo victoriam perdidit. Nam neque ipſi licuit reverti, & ſe ad pedites recipere, elephantis in medium intervenientibus: & Seleucus cùm phalangem equitum præſidio nudatam cerneret, impreſſionem ſe facturum in eam ſimulando, & circumveniendo perterruit, & ad ſe tranſeundi poteſtatem haud inutili conſilio fecit: magna enim phalangis Antigoniæ pars vltrò ad hoſtes conceſſit, reliqua in fugam verſa eſt. Antigonus autem, multis in ipſum verſis cùm quidam ei diceret: Aduerſus te, ò Rex, iſti impetum faciunt. Nimirum, inquit, nam quis me defendit? ſed Demetrius nobis ſuccurret. Hac ille ſpe ad extremum vſque fretus, dum filiũ circumſpicit, multis confoſſus iaculis cecidit: ſolus omnium comitum & amicorum, reliquis omnibus dilapſis, Thorax Lariſſæus apud cadaver Antigoni perſtitit. Hunc admodum finita pugna, Reges victores totum Antigoni & Demetrij regnum, veluti corpus aliquod, in partes diſſecarunt, eaſque inter ſe partiti prioribus ſuis provincijs adjecerunt. Demetrius autem cum quinque peditum, quatuor equitum millibus, continenti fuga Epheſum perrexit. Ibi metuentibus omnibus ne pecunia indigens templum violaret, ipſe etiam veritus ne milites ſe ab eo non abſtinerent, celeriter inde abijt, & navigationem verſus Græciam inſtituit, ſpei quod ſupererat plurimum in Athenienſibus collocatum habens: nam ibi Deidamiam vxorem, opes, naveſque reliquerat, neque Athenienſium benevolentia vllum tutius ſuis rebus refugium fore putabat. Itaq; ut ei feſtinanti apud Cyclades Athenienſium legati occurrerunt, monentes ne ad urbem accederet (Decreto enim populi ſtatutum, ne quis rex Athenas reciperetur) nunciantes Deidamiam ab ipſis honorificè Megaram eſſe deductam: præ ira è poteſtate mentis exiit. Tulerat quidem æquiſſimo animo infortunium, neque ob tantam rerum mutationem de magnitudine animi quicquam diminuerat: ſed falſum ſe inſperato ſua de Athenienſibus opinione, & ſimulatam eorum benevolentiam re nunc ipſe detectam, graviſſimè ferebat. Quod enim reges aut principes de benevolentia erga ipſos multitudinis ſtatuunt ex abundantia honorum ſibi oblatorum, leviſſimũ ac ferè vanum inſequuntur indicium: etenim his honoribus, quorum pulchritudo à volũtate eorum qui offerunt æſtimanda eſt, fidem metus derogat, cùm ii & metus cauſa, & benevolentiæ decerni poſſint. Itaque qui ſapiunt, ii non ad ſtatuas, picturas,

Athenienſium in victum Demetrium iniuria.

cturas, divinosve honores, sed ad suas ipsorum actiones respicien-
tes, illis aut ut honoris causa delatis fidunt, aut ut necessitate extor-
tis diffidunt: intelligentes populum sæpe tum maximè, cùm hono-
res decernit, odio habere eos, qui nimios honores & immodicos,
XL idque ab invitis accipiunt. Demetrius ergo cùm in præsentia sen-
tiret, gravi se injuria affectum ulciscendi locum non habere, misit
ad Athenienses qui modestè eos incusarent, & naves suas, in quibus
etiam tredeciremis erat, repeterent. His receptis cùm ad Isthmum
navigasset, ibique res suas conquassatas offenderet (nam & præsidia
undique abierant, & omnia ad hostem defecerant) relicto in Græcia
Pyrrho, in Chersonesum navigavit: ibiq; Lysimachum vexando co-
pias suas continuit, atque præda locupletavit, jam tum vires & exi-
stimationem resumentes. Lysimachus autem à cæteris Regibus ne-
gligebatur, quod nihilo moderatior Demetrio, tum quoque ob po-
tentiam metuendus videbatur. Paulò post Seleucus missis legatis Seleuci & Demetrii affinitas.
Stratonicen Demetrii & Philæ filiam in matrimonium petiit, cùm
quidem jam ex Apama Perside filium haberet Antiochum: sed re-
gnum suum & pluribus sufficere successoribus, & sibi Demetrii affi-
nitate opus esse putaret. quando Lysimachum etiam animadverte-
bat duas Ptolemæi filias, unam sibi, alteram Agathocli filio matri-
monio junxisse. Demetrius autem insperatam felicitatem ducens
oblatam sibi à Seleuco affinitatem, filia assumpta universis cum na-
XLI vibus Syriam petiit. Cùm verò ad terram appellere aliquoties ne-
cesse haberet, Ciliciam quoque attigit, quam Plistarchus Casandri
frater sibi post obitum Antigoni à regibus attributam obtinebat. Is
in egressionibus injuriam provinciæ allatam à Demetrio querens,
simul & Seleucum delaturus, qui injussu reliquorum regum cum
communi hoste in gratiam rediret, ad fratrem se contulit. Quod
ubi sensit Demetrius, à mari ad Quinda profectus est: ibique cùm
in ærario reliqua invenisset mille ducenta talenta, his convasatis
celeriter abiit. Iam & uxor Phila ad ipsum pervenerat, cùm apud
Orossum Seleucus occurrit. Primus statim congressus rege dignus,
dolo & suspicionibus caruit, priorque Seleucus Demetrium convi-
vio in castris accepit in suo tentorio, post ab eo in tredeciremi exce-
ptus est: inde per ocium collocuti amicè, totosque dies conversati
sunt absque armis & stipatoribus, donec Seleucus accepta Strato-
XLII nica splendidè Antiocheam rediit. Demetrius Ciliciam tenuit, &
Philam uxorem suam ad Casandrum fratrem ejus misit, criminum
à Plistarcho objectorum purgandi causa. Interim Deidamia cùm ex
Græcia ad ipsum navigasset, & haud diu unà fuisset, ex morbo quo-
dam decessit. Ptolemæi exinde, cum quo Seleuci opera amicitiam
iniverat, filia Ptolomais ei pacta est. Hæc Seleucus civiliter. Cili-
ciam autem pecunia data redimere à Demetrio cupiens, & cùm is Seleuci illiberalitas.
denegasset, Tyrum ab eo & Sidonem iracundè reposcens injurius
esse visus est, & iniquè agere: qui cùm ab India ad mare Syriacum
omnes regiones possideret, adeo tamen pauper parvique animi

esse vellet, ut propter duas urbes socerum suum adversa usum fortuna exagitaret. At Platoni evidens testimonium tulit, qui veras divitias affectantem non addere opibus, sed diminuere immensam cupiditatem jubet, quod eam qui non sustulerit, nunquã sit penuria & paupertate sese liberaturus. Neque verò Demetrius concessit, sed, inquiens se, ne si millies quidem victus esset, unquam mercede sibi Seleucum generum adsciscere dignaturum, urbes eas præsidiis muniit. Audito autem Lacharem Athenis coorta seditione ty- XLIII
rannidem invadere, sperans si eo accessisset, se facilè urbe ea potiturum, classe mare medium tutò trajecit: apud Atticam autem tempestate oborta classis magnam partem & plurimos mortales perdidit. Ipse superato periculo bellum contra Athenienses orsus, cùm res non succederet, dimissis qui novam classem colligerent, in Peloponnesum conversus est. Ibi Messenem oppugnans, telo balistæ in faciem & per maxillam in os ictus, in gravi fuit discrimine. Recepta sanitate, quasdam urbes, quę ab ipso defecerant, in potestatem redegit. Inde iterũ in Atticam facta impressione, Eleusine & Rhamnunte captis, agrum vastavit: navimque nactus frumentum Athenas devehentem, mercatorem & gubernatorem suspendio affecit. Quo exemplo territis aliis, & fames urbem invasit acris, & aliarum quoque rerum penuria: etenim medimnus salis quadraginta denariis vendebatur, frumenti modius tribus minis. exiguam Atheniensibus respirationem CL. naves apud Æginam visæ præbuerant, à Ptolemæo in auxilium missæ. Sed postquam Demetrio multæ ex Peloponneso, multæ ex Cypro naves coactæ sunt, ita ut in universum CCC. navium classem haberet, missæ à Ptolemæo, retrò abierunt: & Lachares tyrannus urbe prodita aufugit. Tum Athenien- XLIV
ses, tametsi decreverant, ut si quis mentionem de pace cum Demetrio componenda fecisset, id ei esset capitale: proximas tamen portas statim aperuerunt, legatosque ad eum miserunt, nihil quidem ab eo benigni expectantes, inopia tamen compulsi. Ea enim tanta fuit, ut præter multa alia, quæ tum evenerunt durissima, pater etiam & filius de mortuo mure, qui illis desperatis jam rebus domi desidentibus fortè de culmine deciderat, dimicaverint. Epicurum etiam philosophum traditum est ea tempestate fabis certo numero distributis se suosque familiares aluisse. Hoc rerum statu in urbem ingressus Demetrius, universum populum in theatrum convocari jussit, caveamque armis & pulpitum stipatoribus cinxit. Ipse ex superioribus gradibus, ut tragœdiarum actores solent, degressus, cùm auxisset terrorem Atheniensibus, exordio suæ orationis finem eorum metui fecit. Nam & vocis contentione, & verborum acerbitate sibi temperans, leniter & amicè reprehensis reconciliatus est: centumque millia medimnorum frumenti largitus, magistratus (qui populo essent acceptissimi) constituit. Hic Dromoclidas rhetor, cùm videret populum præ gaudio varias voces edentem, & laudationes oratorum superare certantem, rogationem tulit, uti Deme-

Athenas ut receperit Demetrius.

Demetrio regi Piræeus & Munychia dederentur. Hoc approbato, i-
XLV pse Demetrius Museum nemine jubente præsidio occupavit, ne de-
nuò populus jugo excusso novas ipsi molestias exhiberet. Athenis
receptis, statim ad subigendam Lacedæmonem animum adjunxit: *Ingressio in Laconicam.*
ac apud Mantineam Regem Archidamum occurrentem sibi cùm vi-
cisset profligassetq; prœlio, in Laconicam irrupit: rursusq; apud i-
psam urbem Spartam ducentis occisis, quingentis captis, videbatur
jamjam urbem à nemine ad id usq; tempus captam occupaturus. E- *Fortuna.*
nimverò non arbitror ullum fuisse regem, cujus fortuna majoribus
esset ac celerioribus obnoxia mutationibus: neque eam ullis in re-
bus toties secundam & adversam, modò ex prospero successu tri-
stem, modò ex afflicto statu lætum mutasse. Ideoque eum ferunt re-
bus in deterius mutatis, Fortunam Æschyli hoc versu compellare
solitum:

Tu me extulisti, eadem me is (sentio) perditum.

Etenim rebus illi tum ita prosperè succedentibus ut ad principatum
ac potentiam parandam egregios faceret progressus, renuntiatur ur-
bes Asiaticas esse à Lysimacho captas: Ptolomæum, capta reliqua
Cyprio, Salaminam, inque ea liberos ejus cum matre obsidere. Ve-
runtamen Fortuna, sicut illa apud Archilochum mulier,

Fallax, aquam ferens manu hac, sed altera
Ignem, ———

tam gravibus eum & periculosis nuntijs à Lacedæmone avocans, *Regno Macedoniæ potitur Demetrius.*
XLVI alias illicò spes novarum magnarumque rerum ei obtulit. Casandro
mortuo, Philippus filiorum ejus natu maximus, cùm haud diu Ma-
cedonibus imperasset, ipse quoq; mortem obijt: superstites duo
fratres inter se contenderunt quorum cum alter Antipater Thessalo-
nicen matrē necasset, alter Alexander ex Epiro Pyrrhum, ex Pelopō-
neso Demetrium sibi in auxilium vocavit. Prior veniens Pyrrhus pro
auxilij mercede ad se rapuit magnā Macedoniæ partem, jamq; terri-
bilis erat Alexandro vicinus. Cùm autem Demetrius acceptis lite-
ris copias adduceret, auctoritatem ejus & gloriam admodum
times adolescens, venientem apud Dium obviam factus amicè salu-
tavit atq; accepit, dixitq; res suas nihil jam ejus præsentiā desidera-
re. Statim inde sinistræ inter eos obortæ suspiciones: & Demetrio
eunti ad cœnam (erat autem ab Alexandro invitatus) insidias quidā
exponit, compositum esse inquiens, uti ipsum inter pocula trucida-
XLVII rent. Demetrius autē nihil perturbatus, paululū modo inter eūdum
moratus, ducibus mandavit ut in armis haberent exercitū: comites
autem & pueros quotquot secū habebat, (erant autem multò, quàm
Alexandri plures) secum in cœnaculum ingredi, & expectare jussit,
dum ipse surgeret. Hæc res Alexandrum à perpetrando facinore de-
terruit: & Demetrius prætendens se corpore ita esse affecto, ut cōpo-
tationē non ferret, celeriter abivit. Postridie discessum moliri cœpit,
novarum rerum nuntios ad se allatos dicens, veniāq; ab Alexandro
petens, quod citius discederet, seq; cū eo per otium diutius futurū

 pol-

pollicēs. Gavisus Alexander nō hostili animo, sed spōte sua cū Mace-
donia abire, in Thessaliam usq; comitatus est. Ut Larissam perventū
est, rursus mutuas texentes insidias, ad cœnā se invicem invitabant.
Hîc Alexander metuens ne si ab hospitio Demetrij sibi caveret, eum
quoq;, quem in convivio necare statuerat, cautiorem suo exemplo
redderet, seipsum in manus Demetrij prior tradidit. Vocatus enim
ad cœnam à Demetrio, venit: cùmq; is inter cœnandum surgeret,
territus una mensam reliquit, eumque ad fores usq; subsecutus est.
Demetrius postquam ad januā & suos stipatores pervenit, id modò
fatus, uti sequentem occiderent, exiit: Alexander ab iis obtrūcatus
est, & ex amicis ij qui auxilij ferendi causa accurrerant: quorū unus
jam moriēs dixisse fertur, Demetrium unius diei spacium præoccu-
passe. Nocte ea, ut cōsentaneum erat, trepidatum est: mane cùm Ma- XLVIII
cedones perturbati potentiā Demetrij metuerent, neq; tamen quic-
quam hostile ipsis accideret: missis à Demetrio nuntiis colloqui se
& factorum rationes edere velle dicēte, animum receperunt, eumq;
benignè admiserūt. Neq; longa ei opus fuit apud eos oratione, quin
Antipatrū matris cæde consceleratum exosi, quia nullus melior in
promptu erat, eum Regem Macedoniæ crearent, inq; Macedoniam
deducerent. Iis etiam qui domi erant, Macedonibus haud ingrata
fuit mutatio, memoria repetentibus ea quæ in Alexandrum vita de-
functum Casander perpetrasset. quod si cui in mētem veniret mode-
rationis & æquitatis, qua Antipater major usus fuerat, eius quoque
fructum Demetrius percipiebat, Philæ maritus, ex qua filiū succes-
sorem regni progenuerat, qui tum adolescens sub patre militabat.
Tam illustri fortunæ beneficio elatus Demetrius, nuncios præterea XLIX
accepit de liberis & matre, dimissos eos, donisq; præterea & honori-
bus à Ptolemæo affectos: filiam verò Stratonicē, quæ Ptolomæo nu-
pserat, Antiocho Seleuci filio in connubium traditā, superiorumq;
barbarorum reginam designatam. Qua de re hæc traditur historia.
Inciderat in amorem Stratonices novercæ Antiochus, quæ juvenis
adhuc puerum jam Seleuco pepererat. Cùm multis modis excutere
eum affectum tentasset, tandem desperata re, gravi cupiditate & im-
medicabili ægritudine captus, statuit finem vivendi facere: & simu-
lato morbo, neglectu eorum quæ ad curam corporis attinēt, atq; in-
Erasistrati solertia. edia paulatim sibi mortem adsciscere. Erasistratus autem medicus,
cùm nō difficulter deprehendisset, amore eum correptum esse, neq;
conjicere tamen posset, quid deperiret, rei perscrutandæ causa adsi-
duò in ipsius conclavi versatus observare cœpit, ubi aut adolescens
aut mulier amori apta ingrederetur, quis vultus Antiochi esset, &
cætera quoq; considerare, quæ animi maximè affectionibus mutan-
tur in homine & consentiunt. Cùm ad reliquorum ingressum nihil
mutationis sentiret, animadvertit quoties Stratonica vel sola vel cū
Seleuco intraret, (id quod fiebat frequenter) omnia illa, quæ à Sap-
phone adscribuntur, indicia in Antiocho apparere, vocis repressio-
nem, igneum ruborem, oculorum nutus, subitos sudores, pulsuum
per-

perturbationem atq; inconstantiam : ac victo tandem protinus ani-
L mo,angorem,stuporem,ac pallorem. Hæc Erasistratus perpendens,
idq; etiam ratiocinatus , regis filium si alio quàm novercæ amore
laboraret , haud quaquam ad mortis usque discrimen ægritudinem
reticiturum fuisse : hunc quidem eius amorem efferre atq; prodere
arduum duxit, fretus tamen Seleuci in filium benevolentia , ausus
est aliquando ei dicere, Morbum Antiochi ex amore esse,sed amore
insanabili, quod fieri non posset, uti is amata potiretur. Perterrito
deinde regi , & quid ita amor ille expleri non posset , interroganti:
Quia,inquit, uxorem meam deperit. Ibi Seleucus : Tu autem Erasi-
strate, cùm sis amicus noster,cur adeo filio meo uxoris tuæ nuptias
concedere nolis , præsertim cùm in eo uno niti regnum nostrum vi-
deas? Quia, inqui Erasistratus,ne te quidem,patrem ejus,concessurū
fuisse arbitror,si Stratonicam concupivisset. At hæc Seleucus : Vti-
nam verò, inquit , amice aliquis hominum deorumve amorem filij
mei ita subitò à tua uxore eò avertat,ut lubens ego regnum quoque
LI dimiserim superstite filio. Hæc cùm ille animo graviter perturbato
multisq; cùm lacrymis esset locutus,injecta dextra Erasistratus: Ni-
hil jam,inquit, ad istam rem Erasistrati opera eges : ipse enim tu &
pater amantis,& adamatæ maritus, & rex, optimè familiæ tuæ me-
deri potes. Proinde Seleucus advocato in concionem universo po-
pulo:Decrevi,inquit,omnium superiorum provinciarum regem cō-
stituere Antiochum,& Stratonicen ei conjugem,reginamq; : filium
autem existimo,ut hactenus in omnibus rebus voluntatem suam ad
mandatum meum accommodavit , ita hac quoque in re obtempe-
raturum : quod si Stratonica illigitimas nuptias detrectat, amicos
hortor uti demonstrent ei atque persuadeant honesta esse & justa o- *Bœoticum bellum.*
LII mnia,quæ utilitatis causa rex statuerit. Porrò Demetrius Macedonia
& Thessalia, & majori parte Peloponnesi,atq; intra Isthmum Mega-
ra & Athenis potitus,Bœotis bellum fecit. Primùm hi mediocribus
conditionibus de pace cum eo facienda egerant : postquam autem
Cleonymus Spartanus cum exercitu Thebas venit, resumpta auda-
cia simul & Piside Thespiensi,cujus inter Bœotos summa erat auto-
ritas atq; potentia, instigante rebellaverant. Sed postquam Thebis
oppugnandis machinas admovit Demetrius ,ac territus Cleonymus
se subduxit,Bœoti animis lapsi deditionem fecerunt. Demetrius im-
posito in urbes præsidio,exacta ingenti pecunia , & Hieronymo, qui
historias cōscripsit,ipsis præfecto,magnam de se clementiæ opinio-
nem excitavit : maximè eo , quod Pisidem captum non modò nullo
supplicio affecit, sed & comiter collocutus Thespiarum Polemar-
chum constituit. Paulò post captum esse à Dromichæta Lysima-
chum nunciatur : itaq; cùm illicò in Thraciam duceret Demetrius,
ut vacuā defensoribus regionem occuparet,rursus defecerunt The-
bani,& Lysimachum simul dimissum refertur. Demetrius cùm exa-
sperato animo celeriter reverteretur,victos ab Antigono filio pugna
LIII Bœotos reperit,rursumq; Thebas obsidet. Pyrrho autē Thessaliam
in-

incursionibus vexante, & ad Thermopylas usque progresso, Antigonum apud obsidionem relinquens, adversus eum contendit: cùmq; is celeriter aufugisset, decem millibus gravis armaturæ militum, & mille equitibus in Thessalia præsidij loco relictis, iterum ad Thebas se convertit. Helepolin quoque machinam tum usurpavit: cujus tanta erat moles, ut vectibus propulsa duorum mensium spacio vix duo stadia transiret. Bœotis autem fortiter se tuentibus, & Demetrio sæpe contentionis potius quàm utilitatis causa milites periculis objiciente, videns Antigonus periri haud paucos, graviter doluit, atq; ex parte quæsivit: Curnam inutiliter milites, nullaque necessitate postulāte interire pateretur? Cui Demetrius stomacho moto: Quid, inquit, ea te res solicitat? an tu defunctis dimensum debes? Veruntamen ut ne abuti commilitonibus solùm videretur, ipse quoq; unà pericula obiens, collum acuto jaculo transfigitur: neq; segnior eo discrimine factus, urbem tandem expugnat. Ingressus urbem, minas quidem terroresque summos Bœotis objecit: sed tredecim viris necatis, quibusdam in exilium actis, reliquis veniam dedit. Ita Thebæ nondum decem ab instauratione actis annis, bis captæ. Cùm Pythia instarent, rem inauditam ad eum usq; diem Demetrius facere ausus, quod ab Ætolis angustiæ apud Delphos insidebantur, Athenis eam solennem festivitatem ludosq; fecit: ibi maximè honorandum Apollinem judicans, ubi patrius Deus, & generis princeps esse crederetur. Reversus in Macedoniam cùm neq; ipse quiescere posset, & majorem suam in bello videret esse existimationem, cùm sui in pace turbulenti & rerum novarum studiosi essent, in Aetolos expeditionē fecit: agroq; eorum infestato, Pantaucho ibi cum parte copiarū haud exigua relicto, adversus Pyrrhum duxit. Pyrrhus quoq; tū fortè adversus ipsum ibat: sed diversitate itinerum factum est, ut ne sibi occurrerent. Ac Demetrius quidē Epirum depopulabatur. Pyrrhus in Pantauchum incidit: commissaq; pugna, eum secum congressum, accepto ac dato vulnere in fugā vertit: multos de exercitu ejus cecidit, & quinq; millia cepit. Hæc res plurimum obfuit Demetrio. Etenim odio, quod Pyrrhus suis sibi factis conflarat, major fuit exinde eius admiratio, inclytumque apud Macedones nomen quod ea in pugna pleraque sua ipse manu gessisset: nonnullisque Macedonum subibat dicere, in solo Pyrrho imaginem audaciæ Alexandri elucere: cæteros reges, atque in primis Demetrium, majestatem eius fastumque veluti in scena repræsentare. Erat autem revera tragicus Demetrij habitus, qui non contentus causiarum duabus tæniis ornatarum gestatione, purpurarumque auro prætextarum, calceos etiam ex sincera purpura compacta, auroque tincta ferret, Chlamys quoq; ei texebatur, superbam & multo tempore absolvendum opus, in quo mundus & sidera cœlestia depingerentur: quam ob mutationem rerum imperfectam nemo regum gestare ausus est. quamvis haud pauci post ipsum Macedoniæ luxuriosi reges fuerint. Neque harum modò rerum insolentia molestus suis erat, sed luxu etiam suo

Pythia ludi. — LIV at "nondum decem ab instauratione..."

Cum Pyrrho bellum.

LV at "enim odio, quod Pyrrhus..."

Insolentia Demetrii.

LVI at "pauci post ipsum Macedoniæ..."

& vitæ ratione. Indignissimè autem ferebant difficiles ad eum aditus: quippe aut non dabat accedendi sui facultatem, aut colloquentibus durum se morosumque præbebat. Atheniensium quidem, quibus præter cæteros Græcos studebat, legationem quandam toto biennio detinuit. Vnum ad se Lacedæmone missum legatum molestè ferens, seque spretum existimans, interrogavit: ecquid ad se unũ tantum misissent: isque civiliter sanè & Laconicè respondit: Vtique ô rex, unum ad unum. Cùm quadam in profectione popularem aliquantulum sese ostenderet, & admittere alloquia videretur, quidam ad eum concurrerunt, scriptas petitiones offerentes: quas ille omnes accepit, & chlamyde involvit. Magna autem cum voluptate comitantibus eum illis, ut venit in pontem Axii, excussa chlamyde
XVII omnes illas in fluvium abjecit. Graviter eo facto Macedonas offendit, qui jam non regi se, sed ludibrio haberi crederent: cùm Philippum recordarentur, eósve audirent, qui de equitate ejus & in hisce rebus moderatione narrabant. Tandem aniculæ cujusdam dicto, quæ cùm sæpius eum in via interpellasset, utque se audiret postulasset, dicenti non vacare sibi, alta voce: Noli ergo regnare, dixerat: compunctus re diligentius secum cogitata domum rediit, atque omnia alia negocia petitionibus suorum audiendis postponens, facto à vetula illa initio, aliquot dies causis cognoscendis impendit. Neque verò ulla regi convenientior actio est, quam justitiæ executio. Mars enim (ut Timotheus ait) tyrannus est: legem omnium regem Pindarus appellat. Et reges Homerus ait non machinas urbium expugnatrices, non æratas naves à Iove sibi traditas, sed jura accepisse & custodire: regumque non bellicosissimum, neque injustissimum aut sævissimum, sed justissimum Iovis discipulum idem nominat. Verùm Demetrius diversissimum à regis deorum appellationibus cognomentum sibi delegit: hic enim urbium autor & custos, ille expugnator earum dicitur. Adeò turpe in honesti locum à potentia sapientiæ experte suppositum, injustitiæ etiam opinionẽ
XL honesti conciliat. Cæterùm Demetrius Pellæ morbo periculosis-
VIII simo laborans, propè totam Macedoniam amisit, Pyrrho celeri impressione usque ad Edessam pervagato. Allevato corpore facile admodum profligavit eum, fœdusque cum eo fecit, ne is vicinus identidem molestias exhibens graviora ipsius consilia interturbaret. Nihil enim humile animo agitabat, sed spem totius paterni imperii recuperandi conceperat. Spe & conatu apparatus non erat inferior. Iam enim & peditum millia XCVIII. contraxerat, & equitatum *Apparatus & conatus Demetrii.* XII. millibus haud multo inferiorem. Ac classem quingentarum navium conficiendam parata materia, carinas partim in Peiræo, partim Corinthi, quasdam Chalcide, alias apud Pellam constituit: ipse autem singula opificia obiens quæ ex usu essent fabros monebat, & in machinando consiliis instruebat: mirantibus omnibus non multitudinem solùm, sed & magnitudinem operum: nemo enim hominum viderat ante quindecimremem aut sedecimremem navem.

Postea

Postea autem temporis Ptolemæus Philopator quadragintaremem LIX
construxit, longam CCLXXX. altam ab imo fundo usque ad summum puppis XLVIII. cubitos: remigibus quater mille, & nautis præterea CD. instruebatur, recipiebatque classiariorum in foris & tabulato prope tria millia. Verùm hæc navis spectaculo magis & ostentationi quàm usui fuit, quod difficulter neque sine periculo commoveri posset, parumque ab ædificiis fixis differret. Demetrii autem navibus non aderat pulcritudo certaminibus inutilis, neque artificiosus apparatus usum earum impediebat: imò celeritas, & utilitas earum majori erat, quàm moles miraculo. Itaque cùm Demetrius ad invadendam Asiam tantas, quantas post Alexandrum nemo ante contraxisset copias: Seleucus, Ptolemæus, & Lysimachus contra eum inita belli societate, ad Pyrrhum communi nomine literas mittunt, quibus eum hortantur, uti Macedoniam invaderet: neque id fœdus putaret, quod Demetrius non pacis dandæ causa pepigisset, sed ut iis quibus vellet bellum inferre posset, accepisset. Assentiente Pyrrho, ingens undique bellum imparatum ad- LX

Bellum regũ contra eum.

huc Demetrium circumstetit: cùm magna classe Ptolemæus circumvehens Græciam ad defectionem pertraheret, Macedoniam ex Thracia Lysimachus, ex finitimis regionibus Pyrrhus infestaret. Itaque filio in Græcia relicto, Macedoniæ ut succurreret primùm adversus Lysimachum contendit. Sed postquàm renunciatum est ipsi, Pyrrhum Berrhœam urbem cepisse, idque inter Macedones vulgatum, uti solent hujusmodi res, celeriter fuit: non jam continere amplius in officio milites Demetrius valuit; lamentis, fletu, ira in ipsum & maledictis tota castra fervebant, discedere cupientium, verbo in patriam, re ipsa ad Lysimachum. Visum est itaque Demetrio consilium, ut omisso Lysimacho, qui & ipse Macedo, plurimis propter Alexandrum acceptus esset, in Pyrrhum bellum converteret: quem advenam hominem & alienigenam nequaquam sibi essent prælaturi Macedones. Sed hoc eum consilium ma- LXI
gnopere fefellit. Nam postquàm castra propè eum collocavit, milites jampridem Pyrrhi in armis virtutem admirati, & quibus avitum esset regno dignissimum existimare eum, qui in armis esset strenuissimus, cùm preterea eos, qui in ipsius potestatem venerant, humanissimè tractatos acciperet, omnes verò liberari Demetrii imperio, vel ad Pyrrhum vel ad Lysimachum transeundo, cuperent: occulto initio, & pauci simul discesserunt: post in castris apertè jam tumultuatum est: ad extremum ausi sunt quidam ipsum accedere, & monere, ut suæ ipse saluti prospiceret: non enim porrò Macedonas, pro ipsius luxuria bellum gesturos. Tanta autem fuit reliquorum importunitas, ut hic sermo moderatissimus ei videretur. Itaque in tabernaculum intrans, & veluti si non regem, sed histrionem ageret, posito tragico illo amictu, pullam chlamydem induit, & clam sese ex castris subduxit. Plerisque autem militum ad direptionem conversorum, atque inter se depugnantium, & tentorium regis

Regno excidit Demetrius.

depræ-

deprædantium : Pyrrhus supervenit, statimque primo aditu castris
potitus est. Inde Macedoniam, cujus regnum Demetrius septem per
LXII annos stabile possederat, cum Lysimacho partitur. Cùm verò De-
metrius tantis rebus excidisset, & Casandream profugisset, Phila u-
xor ejus gravissimo dolore perculsa, maritum suum miserrimum
omniũ regum Demetrium denuo privatum aspicere non sustinuit,
omnique spe abjecta, fortunam ejus rebus adversis quàm secundis
constantiorem perosa, hausto veneno vitam clausit. Demetrius au-
tem fortunarum suarum naufragia consectari certus, in Græciam
abiit, atque ibi duces amicosque suos contraxit. Enimverò quam *Fortunæ instabilitas.*
suarum rerum similitudinem Menelaus apud Sophoclem his ver-
sibus proponit:

Sortem meam semper Deus instabili rota
Versat, subinde figuras illa novas capit,
Nunquam velut duabus Cynthia noctibus
Potest eadem sub specie persistere:
Obscura nunc, sed innovatur illicò,
Vultumq; sumit, auget atq; splendidum,
Et cùm refulget nitida lumine plurimo,
Spoliata rursum luce tenebras induit.

ea rectius Demetrii rebus, earumque variis augmentis decremen-
tisque accommodari potest. quando tum etiam fractum, (ut vide-
batur) penitusq; extinctum ejus regnum iterum effulsit, paulatim-
LXIII que affluentes copiæ spem ejus confirmarunt. Initio privatus, & re-
giis insignibus carens urbes obiebat: & quidam eum Thebis eo ha-
bitu cùm vidisset, haud illepide Euripidis versus protulisse:

Latices adit Dircæos Ismeniq; aquam,
Habitu Dei mutato in hominis imaginem.

Verùm semel in spem, veluti regiam viam, ingressus, corpus quod-
dam & figuram imperii circa se composuit, primum Thebanis rem-
publicam restituit: Atheniensibus autem, qui defecerant ite- *Conatus novi.*
rum, & Diphilio Servatorum sacerdote submoto, magistratus mo-
re majorum constitui decreto jusserant, Demetriumque plus opi-
nione ipsorum posse videntes, Pyrrhum ex Macedonia acciverant,
iratus, urbem magna vi oppugnare intendit. Verùm partim Cra-
teri philosopho, magna gloria & potentia prædito viro, & ad se
ab Atheniensibus misso, concedens quæ is civitatis nomine de-
precabatur, partim ab eo edoctus quid in rem suam esset, soluta ob-
sidione naves suas omnes contraxit, impositisque undecim mi-
litum millibus unà cum equitatu, versus Asiam navigavit, ut
Cariam & Lydiam Lysimacho adimeret. Apud Miletum eum *Nuptiæ.*
Eurydice Phylæ soror excepit, suam & Ptolemæi filiam Ptolemai-
LXIV da ei tradens, jam ante desponsatam opera Seleuci. His pera-
ctis nuptiis Demetrius urbes statim aggressus multas deditione,
nonnullas vi subegit: Sardes etiam occupavit: & quidam à Lyma-
cho ad ipsum pecuniam & milites adferentes defecerunt. Cùm autẽ
Aga-

Agathocles Lysimachi filius cum copiis adventaret, in Phrygiam ascendit eo consilio, ut Armenia adita Mediam perturbaret, & superioris Asiæ provincias tentaret, quæ pulso multos tamen recessus & varia perfugia possent præbere. Agathoclem insequentem aliquot levibus prœliis superavit: frumentatione autem & pabulatione exclusus, in magnis fuit difficultatibus, militibusque suspectus, quod eos in Armeniam & Mediam deportaret: simul & fames intendebatur, & in transitu Lyci amnis errore quodam admisso multos homines aqua abreptos perdidit. Non tamen à cavillationibus sibi temperabant : quidam tentorio Demetrii initium Oedipi Sophoclei paulùm mutatum præscripsit :

Difficultates.

Cæci senis fili Antigoni quanam loca
Devenimus? ——

Ad extremum lue etiam famam comitante, ut fieri solet, ubi penuria ciborum edere alimentis inepta coguntur homines, amissis ad octo millia hominum, retro abductis reliquis Tarsum venit. Sta LXV
tuerat quidem omnem injuriam ab ea provincia prohibere, quæ Seleuco tum suberat, quem offendere nullo modo cogitabat : verùm id fieri nequaquam poterat, cùm in extremis difficultatibus essent milites, & transitus Tauri Agathocles obstruxisset. Literas itaque ad Seleucum dat, in quibus deplorata prolixè sua fortuna, suppliciter ab eo petit, uti se necessarium suum miseraretur, ita afflictum uti hostibus quoque miserandus sit. Inflexit hoc nonnihil animum Seleuci, jamque suis ibi præfectis scripserat, uti Demetriũ sumptibus rege dignis, & exercitum ejus alimentis largè foverent: cùm Patrocles eum, homo amicus & sapientiæ fama nobilis, admonet, non quidem impensorum in copias Demetrii alendas adeò magnam habendam rationem : in eo peccare Seleucum, quod in Cilicia commorari Demetrium patiatur, regum quondam injustissimũ ac magnificentissimum: nunc ea fortuna pressum, quæ moderato etiam ingenio præditos vim tentare, & novi aliquid audere cogat. Hoc sermone instigatus Seleucus, magnis cum copiis in Ciliciam contendit. Demetrius autem subita Seleuci mutatione perterritus, LXVI
ad munitissima Tauri loca se recepit: missisque nunciis ab eo petiit, ut ipsius bona pace liceret sibi aliquam liberorum barbarorum provinciam, occupare, in eaque erroribus & fugarum fine facto vitæ reliquum exigere. Sin id nollet, at per istam saltem hyemem exercitum ejus isthic aleret, neque inopem prorsus & ab omnibus nudum rebus, expelleret, hostibusque objiceret. Seleucus omnia hæc sinistrè interpretatus, id modò ei permisit, ut datis obsidum loco primoribus suorum amicorum, per duos menses in Cataonia hyemaret: simul exitus qui in Syriam ferunt occlusit. Ibi Demetrius inclusus, & undique septus necessitate ad vim exercendam compulsus, regionem populatus est, & aliquoties cum Seleuco congressus superior discessit : aliquando etiam immissos falcatos currus ita evitavit, uti hostes fuderit, præsidiis etiam dejectis aditus in Syriam occu-

occupavit: atque omninò animum attollens cùm milites etiam fi-
duciam recepiſſe videret, cum Seleuco ſtatuit propoſitis ampliſ-
ſimis præmiis pugna decernere. Iam Seleucus quoque dubius a-
nimi ſolicitusque tenebatur, cùm & Lyſimachi auxilia, diffidens
homini, repudiaſſet, neque ipſe cum Demetrio decertare auderet,
inſanam ejus confidentiam metuens, & viciſſitudinem fortunæ,
quæ plerunque eum ex ſummis anguſtiis ad magnam felicitatem
LXV extulerat. Interim morbus gravis Demetrio accidit, qui & cor-
II pus ejus vehementer afflixit, & res evertit, militibus partim ad
hoſtem tranſeuntibus, partim ex caſtris aliò dilabentibus. Ægrè
tandem XL. dierum ſpacio valetudine integrata, aſſumpto quod
ſuperaret militum, hoſtibus cernentibus veluti iturus in Cili-
ciam caſtra movit: inde noctu absque tuba in diverſam partem
profectus, ſuperato Amano monte ſubjectas regiones usque ad
Cyrrheſticam populatus eſt. Cùm eodem adveniſſet, & caſtra pro-
ximè appoſuiſſet Seleucus, Demetrius cum exercitu adverſus
eum de nocte contendit, ignorantem quid fieret, & dormientem:
perfugæ quidam Seleucum de adventu hoſtis certiorem fecerunt.
Itaque perterritus lecto exiluit, & claſſicum canere juſſit, ſimul
calceos induens, & ad amicos vociferans, cum immani bellua ſibi
rem eſſe. Demetrius ex tumultu hoſtium proditas inſidias ſen-
XLV tiens, celeriter ſuos retrò abduxit. Facta luce cùm Seleucus in-
III ſtaret, quodam ſuorum in alterum cornu miſſo, hoſtes fudit. Tum
Seleucus equo dimiſſo, & depoſita galea, peltam arripuit, & ſe mi-
litibus ſub Demetrio ſtipendia merentibus obvium tulit, oſten-
tans ſeſe eis, & hortans uti ad ſe tranſirent, ac vel tandem intel-
ligerent ſe ut ipſis, non ut Demetrio parceret, tamdiu cunctatum
eſſe: ita factum eſt, ut univerſi eum regem ſalutarent, atque ad i-
pſum ſigna transferrent. Hanc omnium mutationem extremam
ſibi accidere intelligens Demetrius, ex prælio ſeſe ſubduxit, & ad
portas Amani confugit, eamque noctem in umbroſa ſylva cum a-
micis & comitibus perpaucis, exegit. ſtatuerat autem, ſiqua id ra-
tione conſequi poſſet, Caunum pergere, ibique, ut ſperabat, na-
vibus in ſtatione repertis, mare intrare. Cùm verò intelligeret, ne
illius quidem diei viaticum ſuis eſſe, & jam alias iniret rationes, So-
ſigenes amicus acceſſit eum, quadringentos nummos aureos ſe in
zona habere indicans. Ex hac pecunia commeatum ſibi usque
ad mare ſuffecturum ſperantes jam tenebris orientibus ad juga
montium contenderunt: quæ cùm ex ignibus animadverterent ab
...ſte teneri, omiſſo eo itinere rurſum eò unde abierant, redierunt,
... que omnes (aufugêre enim quidam) neque eadem alacritate.
XLIX Ibi Demetrius, facta à quodam mentione, debere eum ſe dedere
Seleuco, ſtricto enſe mortem ſibi conſciſcere cùm vellet, amico-
rum tandem conſiliis atque admonitionibus perſuaſus, miſit ad Se-
leucum, ſe ſuasque res ei dedens. Seleucus Demetrii ſalutem fa-
tus non ipſius, ſed Seleuci bonæ fortunæ adſcribi debere; quæ ſibi

præter reliqua bona materiam etiam humanitatis clementiæque exercendæ obtuliſſet, adminiſtris mandavit, ut tentorium regium & alia quæ ad excipiendum Demetrium pertinent, magnificè appararent. Erat quidam apud Seleucum Appollonides, Demetrii quondam familiaris. Hunc ſtatim rex ad eum miſit, qui eum conſolaretur, & oſtenderet, eum ad generum ſuum ſuo commodo aditurum. Quæ regis ſententia poſtquàm patefacta eſt, pauci primùm, pòſt plurimi amicorum ad Demetrium ſe certatim proripuerunt, ſperantes eum ſimul atque ad Seleucum perveniſſet, ſummo loco habitum iri. Ea res miſerationem Demetrii in invidiam vertit, malevolisque & æmulis data eſt occaſio Seleuci humanitatem impediendi, eumque falſis ſermonibus & periculorum denunciatione pervertendi, cùm abſque ulla mora, ſimul atque in caſtris conſpiceretur Demetrius, tumultus ſtatim vanos & novas res extituras dicerent. Cùm jam ad Demetrium perveniſſet Appollo- LI
nides lætabundus, ac reliqui ſupervenientes mirificè Seleucum prædicarent, ita ut Demetrius poſt tot miſerias atque tantam infelicitatem, tametſi turpem ſe corporis ſui deditionem feciſſe putaret, tunc bona ſpe erectus tamen ſententiam mutaret: Pauſanias venit cum mille circiter peditibus ſimul atque equitibus, & remotis cæteris, ſubitò Demetrium non in Seleuci conſpectum, ſed in peninſulam Syriæ abducit. Ea in Cherroneſo Demetrius valida cinctus cuſtodia reliquum ætatis egit. A Seleuco ſuppeditabantur abundè omnia quæ ad curam corporis & vitæ ſplendidam rationem pertinebant: neque pecuniæ, curſus & ambulationes regiæ, horti venationibus commodi deerant: licebat & amicis qui unà fugerant, & cum ipſo eſſe volebant, unà degere: ſemperque ad eum à Seleuco commeabant, qui eum bono animo eſſe juberent, & bonos nuncios afferrent: Seleucum, cùm primum ad ſe Antiochus & Stratonica veniſſent, res ipſius conſtituturum. Demetrius autem LII
cùm in eam fortunam deveniſſet, ad filium ſuosque apud Athenas & Corinthum duces amicosque ſcripſit, ne literis ipſius, neve ſigillo crederent, ſed perinde ac ſi mortuus eſſet, Antigono filio urbes & res adſervarent. Antigonus poſtquàm de captivitate patris cognovit, graviter indoluit: ſumptaque lugubri veſte, cùm ad reliquos reges ſcripſit, tum ad ipſum Seleucum, ſupplicans, & quidquid ſupererat, illis tradens, ſeque ipſum primo loco obſidem pro patre offerens. Idemque à Seleuco multæ urbes, multi principes petebant. Solus Lyſimachus magnam vim pecuniæ Seleuco promiſit, ſi Demetrium necaſſet. Seleucus Lyſimachum jam ante averſatus, ejus facti cauſa barbarum & nefarium eo magis habuit: tempus autem traxit liberandi Demetrii, filio ſuo & nurui eam gratiam reſervans. Demetrius autem cùm fortunam ſuam initio toleraſ- LI
ſet æquo animo, & jam conſueviſſet præſentem ſtatum boni con II
ſulere, primùm utcunque venationibus & curſibus corpus exercuit: paulatim deinde tædio iſtorum & ſatietate repletus, poculis & luſibus

Demetrius capitur.

ſibus ſe dedit, ac plurimum temporis ita tranſegit: ſive ut cogitationes de ſtatu ſuarum rerum, quas incidere ſobrio neceſſe erat, ſubterfugeret, & animum quaſi operiret ebrietate: ſive animadvertens, hoc ſo vitæ genere frui, cujus ſtudio ac deſiderio pridem tractus, ſtulta gloriæ cupiditate alium ſe finxiſſet, ſibique & aliis moleſtus in armis, claſſibus, atque caſtris bonum illud quæſiviſſet, quod nunc præter ſpem & opinionem ſuam in ocio & requie inveniſſet. Nam quem alium finem bellorum & certaminum reges mali ac inſipientes habent? quod iis accidit, non quod ſolam voluptatem pro honeſtate & virtute conſectantur, ſed quod ne frui quidem voluptatibus & luxuriari verè norunt. Cæterùm Demetrius, cùm jam tertium annum in Cherroneſo detineretur, ex ocio ciborumque & vini abundantia in morbum incidit, atque eo deceſſit, annos natus jam LIIII. Male audivit ob ejus mortem Seleucus, ac non mediocri pœnitentia correptus eſt, quod eum adeò ſuſpectum habuiſſet: neque ſaltem Dromichætam Thracem barbarumque hominem imitatus eſſet, qui captum Lyſimachum tam humaniter regioque more tractaſſet. Funus quoque Demetrii tragœdiæ cujuſdam imaginem habuit. Antigonus enim cùm adferri patris reliquias audiſſet, omnibus cum navibus ad inſulas usque Cyclades obviam ivit, ibi eas in aurea urna acceptas in prætoriarum navium maxima collocavit. Vrbes autem, ad quas appellebant, vel ſertis urnam ornaverunt, vel viros lugubri amictu miſerunt qui in curando funere, & humandis reliquiis adeſſent. Cum ad Corinthum accederent, urna in puppi conſpecta eſt, regia purpura & diademate præſignis, adſtabantque armati juvenes ſatellitum loco. Xenophantus, omnium ea ætate tibicinum laudatiſſimus, propè adſidens, ſacratiſſimam cecinit cantilenam; ad hanc remigia ita accommodabantur, ut concinnè editus remorum ſtrepitus veluti planctus cantilenæ circuitibus reſponderet. Plurimum luctus & miſerationis ipſe Antigonus excitavit, congregatæ ad mare multitudini ſordidum ſe & lachrymantem oſtendens. Reliquiæ honoribus & coronis apud Corinthum cumulatæ, Demetriadem ab eo allatæ, ibique ſepultæ ſunt: quam urbem ſibi cognominem ex parvis circa Iolcum oppidulis condiderat Demetrius. Reliquit autem liberos, ex Phila Antigonum & Stratonicen: duos Demetrios, unum cognomento tenuem ex Illyrica muliere: alterum, qui Cyrenes dominus inde fuit, ex Ptolemaide: ex Deidamia Alexandrum, qui vitam ſuam in Ægypto egit. additur, ei etiam ex Eurydica Corrhabum filium fuiſſe. Succeſſio regni ejus usque ad Perſeum pertinuit: quo victo, Romani Macedoniam in ſuam redegerunt poteſtatem.

Mors & ſepultura.

Poſteritas.

Sed jam Macedonica fabula peracta, tempus eſt, ut Romana in Scenam mittatur.

INTERPRETIS ANNOTATIONES in Demetrium.

PYrrhi æqualis hic fuit, filius & successor Antigoni Magni, à quo regnum Macedoniæ usq; ad Perseum à morte Alexandri duravit.

Cap. 4. Ex omni Antigoni posteritate Philippus.) *Necavit autem Demetrium, Persei calumniis inductus. Historia copiosè est & eleganter à Livio descripta, libro 44. Donatus imperitè locum perverterat, & Antigoni filium Philippum nominaverat. nam quod privignus fuit, excusare ejus oscitantiam nequit. Vide Genealogiam, quam apud Aemilij vitam descripsimus.*

Cap. 12. Eponymo magistratu.) *De hoc supra in Aristidam annotavimus. Interpres ridiculè:* qui certo quodam nomine appellari consueverat. *Idem contra, & verba, sententiamque Plutarchi, & veritatem rei, Regis nomen à solis successoribus Alexandri hactenus usurpatum fuisse scribit: quasi sub eorum numero non comprehenderentur Antigonus & Demetrius. Sed & paulò ante nescio quam Lamiacensium pugnam dixit. Verùm ista persequi omnia est molestum.*

Cap. 16. Ex Euripide imitatum versiculum.) *Euripidis nobilem versiculum (quem nos ipsum quoque perspicuitatis causa integrum in versionem nostram transtulimus) nemo eruditorum est fere, qui non sæpe viderit, aut audierit:*

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον.

Antigonus ita immutavit, & ab obsequio ad nuptias detorsit, ut ὁμοιοπτώτων *elegantem allusionem contineret, pro* δουλευτέον *reposito* γαμητέον. *Quod minime observans Acciajolus, omnem loci venustatem intervertit, & abs re de serviendo mulieri mentionem intulit. Idem supra cùm* Dromoclides Sphellius *(Sphellia curia est, seu δῆμος Atticæ) nominatur, nescio quid tribui (si Diis placet)* Spheltiæ *ab eo injunctum commentus est.* Philam *unico* L *scribo, secutus Diodorum & alios.*

Cap. 22. Thasiusne erat.) *Elegans est, & facetus planè jocus. nam quod* affluxui *(ita enim liceat exponere vocem ῥεῦμα) Demetrius humoris alicujus, seu pituitæ imputabat: id vini abundanti affusionibus præter alios, Plinius lib. 14. cap. 7. & deinde, atq; Athenæus lib. 1. Hunc jocum variè etiam Germani, neq; minus sciitè usurpant. Nam & eum qui in itinere diutius moratus, eluvie aquarum se impeditum minus concinnè causatur, potuisse quod ad aquam pergere dicimus joco, nisi vinum (cui non item pontes insternuntur) obstitisset. & vino deditiores, ac de catharris conquerentes, simili planè modo notamus: cùm dicimus si velint efficere, ne tanto affluxu infestentur, ab assumendo (nimirum vino) esse temperandum.*

Cap. 25. Vterque minas XL.) ὁλκῆς ἑκάτερος μ. *deest autẽ μνῶν, ut puto.*

puto, id est, libras *vel* minas (Mina *Attica non ita multum à libra Romana differt, nimirum drachmis quatuor. de qua re Budæus, & alii)* quadraginta : *quomodo & interpretes acceperunt.*

Cap. 28. Lamia, Dema.) δημῆ. *Hæc apud Athenæum lib.13.* δημῶ. Demo *dicitur, & sic etiam infra.*

Cap. 29. Laconensis.) λακηθνεὺς. Spartiatam *Donatus, Amiotus cognomento ita dictum. mihi neutrum probatur, & patriam, aut vero curiam Atticam vel pagum designare id vocabuli puto.* λακηθνεὺς *quidem* Spartanus *non dicitur.*

Cap. 33. Demetrium fabulam vocabat, eo quod Lamiam haberet) *Apparet Lamias in fabulis, ut & Sphyngas, Satyros, & alia id genus aliquem habuisse locum: atq; ideò Demetrium, qui Lamiam meretricem, monstro illi cognominem, secum haberet, ostentaretq; dramati seu fabulæ (nam hic μῦθον dixit Plutarchus, quod pro scenico figmento usurpari vix puto) similem esse. Sanè in scena Lamias aliquando vel productas, vel saltem commemoratas, ex Horatij arte poetica apparet. Tametsi etiam ita exponi posse videtur hic locus (est enim obscurus) ut fabulosum hominem diceret Demochares Demetrium, qui præter alia inania, etiam Lamiam meretricem secum haberet, non male ex fabulis notarum istarum Lamiarum respondentem titulis. Quæ de Lamiis apud Philostratum in Apollonii Tyanei libro 4. leguntur, ut ille Lamiæ tali monstro seu spectro Menippum philosophum Corinthi eripuerit (quo loco eadem esse Empusæ, Lamiæ, & Mormolyciæ ostenduntur, in id intentæ, ut re venerea illectos homines devorent) prolixiora sunt, quàm ut huc commodè inseri possint. Aristophanis interpres in Vespis & Pace ex Duri & aliis scribit, Lamiam Beli & Africæ filiam à Iove constupratam, filios ejus à Iunone interfectos: ipsamq; tetra forma ob mærorem, aliorum partus rapuisse, interfecisseq; : & cætera, quæ inde etiam Varinus transtulit. Lynceus de cœna Lamiæ scriptum citat aliquoties etiam Athenæus.*

Cap. 41. Ad fratrem se contulit.) *Corruperunt hic historiam interpretes & ad Selenam ivisse Plistarchum dixerunt, qui ad fratrem Casandrum accusandi Demetrii causa profectus scribitur. Iidem* Quinda *(de quibus in Eumene facta mentio) in* Cynda *nimis subtiliter verterunt. quasi verò Cilices barbari, non barbara etiam locorum nomina retinuissent. Quæ paucis post versibus de Cilicia, Tyro, Sidone, & cætera referuntur, planè diverso sensu protulit Donatus.*

Cap. 46. Apud Dium.) *In Græco,* περὶ Δῖον, *Donatus* Dium, *Amiotus nescio quale* Demon. *Ego qui Dium esse Macedoniæ urbem infra Pydnam in ora maritima sinus Thermaici & scirem, & omnibus eruditis cognitum putarem, facilè id cum Donato reposui. Verùm ille corrector ne nihil diceret, præclarè meritum se & de autore & de interprete & de lectoribus putavit, si annotaret* δῖον *urbem esse Eubœæ, ex Stephano & Strabone, appositè scilicet: quasi unicum*

tantum Dium Stephanus & alij Geographi notassent. Sed erat omninò talis, quicunq; fuit, ut libenter fumos venderet.

Cap. 49. Quæ à Sapphone describuntur.) *In nobilissima illa oda (nisi vehementer fallor, quam insignis venustas injuriæ edacitatiq; temporum exemptam, nostro quoq; tempore in lucem retulit, & quam Catullus Sapphico versu elegantissimè depinxit. Extat impressa cum Anacreontis reliquiis, & Dionysio Longino, & Mureti in Catullum commentario.*

Cap. 63. Euripidis versus.) *De Bacchis sunt desumpti.*

PLUTARCHI ANTONIUS, GUILIELMO XYLANDRO Augustano, interprete.

Genus.

ANTONII avus fuit Antonius orator, quem, quod Syllanarum fuisset partium, Marius necavit. Pater Antonius cognomento Creticus, non admodū nobilis in repub. vir, neq; illustris, benignus tamen, atque apprimè liberalis: quod ex hoc etiam uno ejus facto potest intelligi. Cùm esset non amplis præditus facultatibus, eamque ob causam ab uxore prohiberetur, ne sua liberalitate ex animi sententia uteretur, & amicus ad eum pecuniæ causa petendæ accessisset, pecunia deficiente, mandavit puero, uti aquam in argenteo scypho afferret, atque ea genas abluit, tanquam barbam tonsurus: puero autem alterius negotii causa digresso, scyphum amico tradidit, eoque uti jussit. Ut verò scyphum à servis requiri, uxoremq; indignè ferentem, & velle de singulis servis quæstione habita inquirere sensit, fassus est factum, veniamq; petiit. Fuit ea Iulia, ex familia Cæsarum, nulli præstantissimarum ejus temporis matronarum virtutis & pudicitiæ laudibus inferior. Ea Antonium educavit, & mortuo marito suo, Cornelio Lentulo nupsit, quem Catilinariæ conjurationis socium Cicero interfecit. Hæc origo videtur vehementis inimicitiæ Antonii adversus Ciceronem fuisse. Antonius quidem ait, cadaver Lentuli non ante redditum suis, quàm id mater sua ab uxore Ciceronis impetrasset, verùm id haud dubiè falsum est, cùm nemo eorum quos tum Cicero supplicio affecit, sepultura sit prohibitus. Antonii autem pueritiā alioqui haud pravè institutam Curionis familiaritas & consuetudo, veluti pestis quædam adorta, corrupisse traditur: is enim homo voluptatis mancipium Antonium, quò magis eum sibi obnoxium haberet, in potationes, scortationes, sumptusque graves & luxuriosos conjecit, adeò ut præter ætatis rationem, gravem æris alieni summam, nempe sexagies sestertiûm, conflaverit. Id totum cùm Curio pater filium suum intercessisse pro eo sentiret, domo Antonium ejecit. Ex eo Antonius aliquādiu Clodium sectatus, qui inter popularis auræ captatores audacissimus atque impurissimus magno omnia tumultu miscebat: mox furoris ejus satietate correptus, metuensq; sibi ab iis qui in Clodiū conspi-

Causa inimicitiarum cum Cicerone.

Curio.

Studia Antonij in Græcia.

(Margin numbers: I beside "quod Syllanarum"; II beside "& mor-")

III conſpirabant, ex Italia in Græciam abiit. Ibi & corpus ad militares labores, & linguam ad dicendum exercitationibus inſtruxit: æmulatus eſt autem Aſiaticum dicendi genus, maximè tum florens, vitæque ejus faſtuoſæ & inflatæ, ac inani elatione, inconſtantique ambitione plenæ conſentaneum. Cùm verò Gabinius cum vir conſularis in Syriam navigans hortaretur, uti ſecum eò proficiſceretur, præfectus æquitatui (privatus enim ſequi nolebat) unà ivit: miſſuſque primùm contra Ariſtobulum Iudæos ad defectionem pertrahentem, primus omnium caſtellum validiſſimum conſcēdit, ipſum verò omnibus munitionibus expulit: deinde prœlio congreſſus ingentes hoſtium copias parva ſuorum manu fudit, ac propè ad inter- *Geſta in Syria.*
IV necionem cecidit: ipſum Ariſtobolum cum filio cepit. Secundum hæc Gabinium Ptolemæus decem millibus talentorum promiſſis orat, uti ſe in regnum Ægypti reducat. Ibi cùm pleriq; ducum repugnarent, & ipſe etiam Gabinius, quanquam tam grandi mercede planè captus, cunctaretur bellum ſuſcipere, Antonius magnarum rerum, ac Ptolomæo gratificandi cupidus, eum hortando inſtandoque impulit. Difficilior tum ipſo bello videbatur profectio ad Peluſium, cùm eſſet iter faciendum per profundam arenam & aquæ expertia loca, juxta eruptionem & paludes Serbonidis: quem locum Ægyptii Typhonis expirationes nominant: videtur autem eſſe refluxus & excolatio rubri maris, qua id à mediterraneo mari breviſſimo dividitur iſthmo. Miſſus cum equitatu Antonius, non anguſtias modò occupavit: ſed & Peluſio, urbe haud parva, capto, & quod ibi erat præſidio, tutum exercitui iter, imperatori certam victoriæ
V ſpem præbuit. Hoſtibus quoque ejus ſtudium laudis profuit. Cùm enim Ptolemæus Peluſium ingreſſus, iræ & odio indulgere, ac necare Ægyptios vellet, ab Antonio eſt prohibitus. Obivit autem multas pugnas, ac difficilia certamina, in quibus multa audaciæ, multa prudentiæ ejus, quæ in duce requiritur, documenta edidit: atque eo potiſſimùm, quod circumventis à tergo hoſtibus iis, qui à fronte pugnabant victoriam pararet: itaque præmia & honores dignos adeptus eſt. Neque ejus in mortuum Archelaum humanitas multitudinem fefellit: quem cùm olim familiarem ſuum atq; hoſpitem invitus viventem oppugnaſſet, cadaver in pugna cæſi inventum regio ornatu ſepeliit. His factis & apud Alexandrinos magnam ſui famam reliquit, & ſummum nominis ſui ſplendorem apud Romanos milites paravit. Inerat ei in vultu etiam liberalis dignitas, ac barba non indecens, facieſque lata: & naſi aduncitas videbatur maſculam oris formam, qualis Herculis pingitur atque fingitur, exprimere. Rumor verò etiam antiquus tenebat, Antonios ab Herculé genus trahere, prognatos ab ejus filio Anteone: quem ille rumorem videbatur & figura corporis & habitu confirmare. Nam quoties in conſpectum multitudinis eſſet proditurus, tunicam ad femur cingulo adſtringebat, ſago denſo velabatur, & magno gladio ſe ac- *Humanitas.* *Forma.*
VI cingebat. Quin & illa quæ intolerabilia aliàs videntur, jactantia, dicacitas

cacitas vinolentia, comedentibus assidere, stantem ad mensam militarem manducare, mirum in modum apud milites eum commendabant. Non invenusti etiam amores ejus erant, quibus ipsis multorum sibi concialiabat animos, amantibus operam navans, jocosque de suis amoribus non injucundè audiens. Liberalitas autem ejus in milites amicosque, cùm initium potentiæ ejus validum fuit, tum eandem auctam diu conservavit, innumeris aliis peccatis subversam. Vnum munificentiæ ejus exemplum referam. Cuidam amicorum dari decies sestertiûm jusserat: mirante procuratore, utque doni magnitudinem ostenderet, in medium pecuniam deponente: Quid hoc, inquit, rei est? illo respondente, eam esse pecuniam quam dari amico jussisset: intelligens ejus malignitatem: Parum est, ait, hoc, & minus quàm putassem: adde igitur tantundem. Verùm hoc postmodò. Posteaquàm Romæ de repub. disceptari cœptum est, optimatibus se Pompejo, qui tum ad urbē erat adjungentibus, popularibus Cæsarem, qui in Gallia cum exercitu erat, vocantibus, Curio Antonii amicus mutato priore consilio Cæsaris causam fovens, Antonium sibi adscivit: utque multum dicendo apud vulgus, & Cæsare suppeditante largitionibus plurimum poterat, effecit ut Antonius primùm tribunus plebis, inde augur fieret. Antonius simul atque tribunatum accepit, plurimum Cæsaris factioni auxilii tulit. Primùm Marcello consuli, milites jam contractos Pompejo tradenti, potestatemque scribendorum aliorum concedenti restitit, rogatione lata, ut collectus jam exercitus in Syriam navigaret, Bibuloque bellum cum Parthis gerenti subveniret: cæteri qui conducerentur, Pompejo dicto audientes ne essent. Deinde cùm Cæsaris literas recitari in senatu Pompejani non sinerent, ipse (nam muneris sui ratione poterat) eas recitavit, multorumque animos Cæsari conciliavit, quod moderata & justa petere is videbatur.

Munificentia.

VII

Tribunus plebis Cæsaris causam fovet.

VIII

Denique duabus in senatu propositis quæstionibus, una an Pompejo? altera, an Cæsari esset dimittendus exercitus? cùm pauci illum, hunc omnes ab armis discedere juberent: assurgens Antonius sententias dicere jussit, simulne utrique dimittendæ copiæ essent? Hæc summo omnium assensu probata est quæstio: magnoque cum clamore laudantes Antonium, suffragia ferri jubebant. Cùm repugnarent consules, rursum alias, & ipsas æquas proposuerunt conditiones. quibus & Cato se opposuit, & Lentulus consul Antonium Senatu exturbavit. Antonius multa in caput eorum execratus in dissensu suo, servilem habitum sumpsit: conductaque unà cum Q. Cassio rheda meritoria, ad Cæsarem abiit: atq; ut primùm in conspectum ejus venêre, magna vociferatione testati sunt, omnia Romæ confusa esse: ne tribunis quidem plebis libertatem relictam: in periculo esse quicunque de jure mentionem faciat. Inde Cæsar cum exercitu in Italiam irrupit. Sed in Philippicis Cicero scribens, IX Helenam Trojani belli, Antonium civilis principium fuisse, splendidè mentitur. Non enim ita levis fuit C. Cæsar, neque tam facile

Ciceronis mendacium.

à ſano conſilio dimoveri ſe paſſus fuit, ut niſi jam pridem ita decrevìſſet, bellum ſubitò patriæ illaturus fuerit, quod indigno habitu, & rheda meritoria ad ſe profugientes Antonium & Caſſium vidiſſet. Verùm hæc ei jam dudum occaſionem captanti prætextum facti ſui honeſtum præbuerũt. Rapiebat autem eũ adverſus omnes homines, ſicut & Alexandrũ ante, & antiquitus Cyrũ, inſatiabilis dominãdi amor, & inſana primi loci ſummæq; potentiæ cupiditas, quæ adipiſci niſi everſo Pompeio non poterat Cæſar.] Ergo ut profligato ex Italia Pompeio Romam tenuit, profecturus in Hiſpaniam primum ad Pompeianas ibi copias expugnandas, ac deinde parata claſſe Pompeium petiturus, Lepido prætori Romam, Antonio tribuno plebis

X Italiam & exercitus commiſit. Militibus ſtatim unà vivens, iiſdemque exercitationibus utens crebrò, & pro ſuis facultatibus dona dans, acceptiſſimus fuit Antonius, reliquis moleſtiſſimus. Nam & injurias eorum negligebat, & iratum ſe compellantibus exhibebat, & propter adulteria male audiebat: atque omninò Cæſaris dominationem, quæ quantum ejus in Cæſare erat, quidvis potius quàm tyrannis poterat dici, inviſam amici efficiebant, ac præcipuè Antonius, qui ob ſummam potentiam plurimum etiam peccare videbatur. reverſus ex Hiſpania Cæſar, crimina objecta ei diſſimulavit: ſtrenuo autem, forti, prudentiq; eo duce toto iſto bello uſus eſt. Nam cùm à Brunduſio mare Ionium traieciſſet, & retrò naves miſiſſet, ut Gabinius & Antonius copias iis impoſitas quàm primùm in Macedoniam tranſportarent, Gabinio navigationis periculum (hyems enim tum erat) reformidante, atque exercitum longo itinere circumducente, Antonius Cæſari multis hoſtibus circumdato metuens, Libonem primùm, qui portus fauces obſidebat, repulit, cùm ejus triremes multis parvis ſcaphis arcuiſſet. Inde impoſitis in naves octingentis equitibus, & XX. peditum millibus,

XI transmiſit. Cùm verò eum hoſtes conſpicati perſequerentur, validus Auſter increbuit: magnoque fluctu excitato apud eorum naves, & mari exagitato, periculum avertit: verùm ejectus cum claſſe ad ſcopulos abruptos & profundos ſinus, in ſumma deſperatione ſalutis fuit. Hìc ſubitò vehemens è ſinu Africus erupit, fluctuſq; à terra in mare propulit, ita ut in altum provectus Antonius in littore naufragia multa conſpiceret: eo enim ventus triremes hoſtium inſequentium impegerat, & pleraſq; attriverat. Antonius multis in ſuam poteſtatem hominibus & opibus redactis, Liſſum cepit: atq; opportunè cum magnis copiis advectus, magnam rebus Cæſaris fiduciam addidit. Multa proinde & continentia fuerunt inter Cæſarẽ & Pompeium commiſſa certamina: in quibus omnibus ſpectata fuit virtus Antonij. Bis idem fugientibus Cæſarianis occurrẽs, eo uti in hoſtem ſe converterent impulit, amiſſamq; victoriam recuperavit. Itaq, ſecundum Cæſarem prima ejus in caſtris fuit exiſtimatio: atque ipſe Cæſar ſatis oſtendit, quantum ei tribueret, cùm Pharſalico prœlio (quo ultimo de ſumma rerum decretum eſt) dextrum

Antonii importunitas.

Geſta bello civili.

cornu ipse ducens, Antonio, ut laude bellica suorum præstãtissimo,
sinistrum commisit Ab ea victoria Cæsar dictator dictus Pompeium XII
insecutus est, Antonium vero magistrum equitum Romam misit. *
Est autem tribunica potestas proximæ post dictaturam dignitatis,
dictatore præsente : eo enim absente, prima atque sola propè valet.
Tribuni enim plebis soli manent, cùm quidem omnes alij magistra-
tus dictatore creato cessent. Enimverò ea tempestate Dolabella tri-
bunus plebis, juvenis & novarum rerum cupidus, rogationem de
novis tabulis tulit, Antoniumque amicum suum, & plebem aliàs
demereri solitum, in societatem ejus rei pertraxit. Cùm autem Asi-
nius & Trebellius ad contrarium hortarentur, fortè gravis Antonio
Uxor Antonii. incidit suspicio, uxoris suæ pudicitiam à Dolabella esse violatam.
Quam rem ita graviter tulit, ut & uxorem, tametsi consobrinam
Contentio cum Dolabella. (filia enim fuit C. Antonij. quem in consulatu collegam Cicero ha-
buit) repudiaret, & Asinianæ factioni adversus Dolabellam auxiliũ
ferret: cùmq; hic forum occupasset legis per vim perferendæ causa,
& senatus armis eum compescendum decrevisset, in forum cum ar-
Vitia. matis progressus conflixit: & quosdam adversæ partis hominum
necavit, nonnullos suorum amisit. Hæc res eum multitudini invi- XIII
sum reddidit. Bonis autem & honestis civibus vita ejus minime
probabatur, sed (vt Cicero ait) odio habebatur. detestabantur enim
intempestivas eius ebrietates, intolerabilem luxum, in lustrisque
eius obversationes, qui interdiu aut dormiret, aut crapula reple-
tus vagaretur: noctes comessando, ludicris spectaculis, & nuptijs
mimorum scurrarumq; celebrandis exigeret. Memoriæ proditum
est, eum cùm in Hippiæ mimi nuptiis totam noctem potasset, ma-
ne à populo in concionem vocatum nondum concocta crapula,
vomuisse, quendam amicorum tunica id excepisse. Inter eos qui
plurimum apud ipsum possent, Sergius fuit mimus, & Cytheris ab
eodem ludo muliercula dilecta: illa quidem, Antonio vrbes obeun-
te, in lectica ferebatur comitatu haud minori, quàm eius mater. Mo- XIV
lesta erant etiam spectacula aureorum poculorum quæ in profe-
ctionibus tanquam sacris pompis circumferebantur: sicut & hæc,
quod in itineribus tabernacula constituebantur, juxta lucos & fluvi-
os prandia ingenti sumptu apparabantur, leones curribus junge-
bantur. pudicorum virorum & honestarum mulierum ædes scorto-
rum & mimorum diversoria designabantur. indignum verò videba-
tur, dum Cæsar extra Italiam magni belli reliquias magnis & labo-
ribus & periculis conficeret, interim alios ipso fretos civibus per la-
sciviam & libidinem suam insultare. Hæc & auxisse seditionem, &
militibus pravarum cupiditatum ac facinorum occasionem præbu-
isse videntur. Itaque reversus Cæsar Dolabellam culpa liberavit, ac
tertium consul creatus, non Antonium, sed Lepidum collegam as-
sumpsit. Pompeij bona hastæ subjecta cùm emisset Antonius, & pre-
cium posceretur, iniquè tulit: atque ipse ait, se propterea in Africã
cum Cæsare non profectum esse, quod nullum pro rebus ante præ-

clarè

XV clarè à ſe geſtis precium ab eo tuliſſet. Sanè Cæſar eo, quod ad
peccata ejus non conniveret, videretur magnam ſtoliditatis, & luxu- *Fulviam ducit.*
riæ ejus partem correxiſſe. Etenim vitæ iſta ratione omiſſa, uxorem
duxit Fulviam, quæ prius cum Clodio trib. plebis vixerat: mulierē
non lanificio aut rei familiaris curationi deditam, neq; contentam
viro privato dominari, ſed q̃ imperatori imperare cuperet. adeoq;
Cleopatra mercedem debuit Fulviæ, quod ea Antonium ad ferenda
mulierum imperia adſuefeciſſet, domitumq; & cicurē ſibi tradidiſ-
ſet. Hanc tamen per jocum & ludendo efficere hilariorem aliquanto
conatus eſt: cujus rei cùm ſint multa exempla, unum recitabo Inter
multos qui Cæſari ex Hiſpania victori redeunti obviā procedebant,
ipſe quoq; inerat. Subitò autem rumore in Italia coorto, hoſtes Cæ-
ſare vita functo advētare, Romam reverſus, ſervili veſte noctu ad æ-
des ſuas acceſſit, Fulviæ ſe literas ab Antonio adferre dicens: intro-
miſſus ad eam velato capite, cùm uxor graviter anxia, priuſquā lite-
ras acciperet, viveretne Antonius, percontaretur, tacitus epiſtolam
protendit: incipientem autē aperire & legere amplexus & deoſcu-
XVI latus eſt. Cæterùm Cæſar, cùm ei ex Hiſpania (uti diximus) Romam
repetenti primores civium ad multorum dierum iter occurriſſent,
Antonio ſummum honorem detulit: ſecum enim eum in ſuis bigis,
quibus per Italiam vehebatur, habuit: pone ſequebantur Decimus
Brutus Albinus, & Octavius, ſororis ſuæ filia natus, qui deinde Cæſa-
ris nomen tenuit & Romanis per multos annos imperavit. Quintū
conſul factus, ſtatim Antonium collegā adſcivit: ſtatuit autē ſe ma-
giſtratu abdicare, & eum Dolabellæ tradere, atq; ea de re ſenatū mo-
nuit: Antonio autem graviter repugnāte, multiſq; inter eū & Dola
bellā jactatis mutuò conviciis, turpitudine rei Cæſar offenſus abiit.
Rurſum inde progreſſus ad deſignandum cōſulem Dolabellam, An-
tonio auſpicia obſiſtere clamante conceſſit, Dolabellamq; ægrè fe-
rentem dimiſit. Et quidem videtur hunc non minus altero abomi-
natus fuiſſe. Fertur enim ijs qui utrunq; ſimul ad ipſum deferebāt,
reſpondiſſe: craſſos ſe iſtos & comatos non metuere, ſed pallidos
illos & tenues: Caſſium indicans & Brutum, à quibus deinde eſt per
XVII inſidias occiſus. Quibus ſanè Antonius imprudens pulcerrimam an-
ſam facinoris ſui præbuit. Lupercalibus enim cùm Cæſar triūphali *Lupercalibus diadema Cæſari offert.*
veſte in tribunali ſederet in foro, & Lupercos ſpectaret (decurrunt
autem multi nobilium juvenum, & nonnulli etiā magiſtratus, oleo
uncti, albiſq; ſcuticis per luſum obvios percutiunt) Antonius, & ipſe
unus Lupercorum, juſſo valere antiquo more, diadema laureo ſerto
circumplicatum tenens ad tribunal accurrit: elatuſq; à comitibus,
Cæſaris id capiti impoſuit, indicans regnum ei deberi. Cæſare autē
ludente, ac caput deflectente populus gaudio affectus, plauſum ſu-
ſtulit: rurſumq; Antonius ſertum admovit: Cæſar repulit, eſtq; ita
aliquantiſper inter eos certatum, applaudentibus Antonio cùm ni-
teretur diadema imponere paucis amicis, Cæſari reluctanti univer-
ſa magna cum vociferatione populo. Et mirum ſanè erat eos,

cùm revera regi parerent, nomen regis, veluti abolitionem liberta-
tis, fugere. Tandem indignatus Cæsar de tribunali degressus est, re-
ductaq a collo veste jugulum se præbere volentibus occidere cla-
mavit. Coronam autem uni statuarum ejus impositam quidam tri-
buni plebis detraxerunt, quos multitudo collaudavit, cumq; plausu
deduxit: Cæsar autem magistratu eos dejecit. Hæc animos Bruti & XVIII
Cassij, sociorumque confirmaverunt: delectisq; ad societatem faci-
noris amicis fidelibus, cùm de Antonio deliberarent, reliquis eum
adsciscendum censentibus, Trebonius contradixit: se, quo tempore
Cæsari ex Hispania redeunti occursum fuisset, cùm Antonio comite
itineris & contubernali uteretur, ad idem factum, tametsi sensim &
cautè animum adjunxisse: id intellexisse Antonium, non tamen ad-
sensisse: neque verò rem Cæsari indicasse, sed fideli silentio texisse.
Rursum inde unà cum Cæsare trucidandi Antonij consilium agita-
tum, cui Brutus obstitit: cupiens id facinus, quod propter leges &
justiciam perpetrandum esset, sincerum & omnis injuriæ purum es-
se. Antonij autem robur, & majestatem magistratus metuentes,
quosdam conjuratorum eò destinant, ut Cæsare in senatum ingres-
so, dum cædes ejus perageretur, ipsi foris Antonium colloquendo
studiosè detinerent. His ita uti compositum fuerat actis, cæsoque in
senatu Cæsare, Antonius statim servili sumpta veste sese abdidit:
post cùm percussores nemini cuiquam manus afferre, sed in Capi-
tolium convenisse audiret, filio suo obside dato persuasit eis, uti de-
scenderent: & ea nocte cœnam ipse Cassio, Bruto Lepidus præbuit.

Acta eius cæso Cæsare.

Convocato inde senatu, de memoria omnium discordiarum oblivi- XIX
one sempiterna delenda, dantisque Bruto & Cassio ac sociis eorum
provinciis retulit. Senatus decretum ex ejus sententia fecit, idque
etiam, ut nihil actorum Cæsaris rescinderetur. Omnium eo die splē-
didissimus hominum senatu exiit Antonius, qui civile bellum sustu-
lisse, & rebus difficilimis ac perturbatissimis prudentissimè ac civi-
lissimè consuluisse putaretur. Verùm his eum consiliis statim ex-
cussit popularis opinio, ut speraret se Bruto oppresso primum por-
rò in urbe citra controversiam futurum. Fortè funebrem de Cæsare
habebat pro more orationem, cùm eius funus in foro duceretur. Ibi
cùm populū duci ac magnopere delectari cerneret, iis quæ ad mo-
vendos faciunt affectus, laudibus viri admixtis, misericordiam con-
citavit: factumque exaggerans, ad extremum vestes mortui cruen-
tatas & gladiis laceratas extulit, autoresq; cædis ejus nefarios atq;
parricidas appellavit. Quibus ita iram populi excitavit, ut congestis
subselliis & mensis corpus Cæsaris in foro cremaverint, faciebusq;
à rogo raptis ad oppugnandas percussorum ejus ædes accurrerint:
quo factum est ut Brutus cum sociis urbe excederent. Statim verò XX
amici Cæsaris se Antonio conjunxerunt: uxorq; illius Calpurnia
maximam pecuniæ partem apud eum deposuit, ad nongenties sexa-
gies sestertiûm. Libellos etiam Cæsaris Antonius accepit, in quibus
conscripta erant, quæ is agere decrevisset: quibus hic multa pro suo

arbi-

arbitrio adſcribens,nonnullos magiſtratus, multos ſenatores con-
ſtituit:quosdam etiam exules revocavit, & in carcere detentos ſol-
vit,ita Cæſarem de his ſtatuiſſe prætendens. Hos univerſos Roma-
ni per jocum *Charonitas* appellabant, quod reprehenſi commenta-
riis defuncti Cæſaris ſe tutabantur. Cætera quoque pro imperio e-
git Antonius, conſul ipſe,& qui ex fratribus Cajum prætorem, Lu-
XXI cium tribunum plebis ſocios haberet. Hoc rerum ſtatu junior Cæ- *Contra Octavianum.*
ſar(quem ſororis Cæſaris filia natum diximus) Appollonia (ibi e-
nim eo tempore egerat, quo Cæſar eſt interfectus) Romam venit,
inſtitutus à Cæſare facultatum hæres. Is Antonium, quippe ami-
cum paternum,ſtatim adiit,ſalutatumque depoſiti admonuit: nam
teſtamento Cæſaris jubebatur viritim Romanis trecentos nummos
dividere. Verùm Antonius initio eum, utpote adoleſcentem,ſper-
nens, inſanire dicebat, & à recta ratione, amicisque bonis inopem
eſſe, qui hæreditatem Cæſaris, onus intolerabile in ſe recipere cu-
peret:poſt cùm ille pergeret pecunias repoſcere, multis dictis & fa-
ctis contumelioſè habuit. nam & tribunatum plebis petenti obſti-
tit, & auream patri ſellam ex decreto ponenti minatus eſt, ſe eum
in carcerem conditurum, niſi finem populum ſibi conciliandi feciſ-
ſet. Sed poſtquam Ciceroni ſe commiſit adoleſcens, reliquisque
Antonii inimicis, ac eorum opera ſenatui commendatus eſt, & mi-
lites coloniis conduxit: periculum veritus Antonius cum eo in ca-
XXII pitolio collocutus eſt, & in gratiam rediit. Ea deinde nocte per
quietem imaginatus eſt,dextram ſibi fulmine ictam: ac paucis poſt
diebus rumor accidit,inſidias ei à Cæſare parari. Cæſare autem fru-
ſtra ſe purgare aggreſſo, exarſerunt denuò inimicitiæ: & uterque
Italiam percurrens, milites jam in colonias deductos magna pro-
poſita mercede concitabant,&eos qui in armis adhuc erant,alter al-
teri præripientes, ſibi adjungebant. Cicero interim, cujus ſumma
erat Romæ potentia, univerſos homines adverſus Antoniū irritans,
tandem ſenatui perſuaſit, ut hoſtem eum judicaret: ad Cæſarem li-
ctores & prætoria inſignia mitteret. Hircium & Panſam, tum con-
ſules, ad profligandum Italia Antonium amandaret. Hi unà Cæ-
ſare præſente,cum Antonio apud Mutinam prœlio congreſſi, victis *Antonius ad Mutinam victus.*
hoſtibus ipſi occubuerunt. Antonium autem fugientem cùm mul-
tæ difficultates,tum omnium graviſſimè fames premebat. Sed ita
erat natura,ut rebus adverſis ſeipſum plurimum præſtaret,bonoq;
eſſet ſimilimus. Eſt alioquin omnibus hoc commune,ut malis cō-
flictari, virtutis recordentur: ſed non omnium eſt, ea quæ probant
imitari,aut fugere quæ improbant,rebus afflictis, eò quod nonnul-
XXIII lorum animi præ imbecillitate concedunt,ac franguntur. Ceterùm
Antonius admirabile ſe militibus ſuis exemplum propoſuit, qui
ante tanto luxui adſuetus, nulla tum moleſtia aquā vitiatam bibe-
ret,agreſtes fructus & radices comederet: corticem quoque, & ani- *Vt Lepidi exercitum à ſe traduxerit.*
malia prius nunquam guſtata voraſſe cum ſuis in tranſitu Alpium
fertur. Intendebat autem ad exercitum proficiſci, qui trans Alpes
cum

cum Lepido erat: hunc enim amicum suum rebatur, quod is ipsius
præsertim opera amplissimos Cæsaris amicitiæ fructus percepisset.
Eò cùm pervenisset, ac castra proximè fecisset, neque tamen quic-
quam humaniter cum ipso Lepidus ageret: statuit extremũ discri-
men subire. Itaque pullo habitu, coma neglecta, barbaque propen-
sa (uti jam tum à clade eam aluerat) ad castra accessit, & dicere cœ-
pit. Multis autem & aspectu ejus fractis, & oratione motis, Lepi-
dus sibi metuens tubis concini, ne exaudiri Antonii sermo posset,
jussit. Auxit hoc miserationem militum, & missis occultè meretri-
cio amictu Lælio ac Clodio, audacter eum castra aggredi jusserunt,
multos enim esse, qui & ipsum accipere, & (si ita jubeat) Lepidum
necare velint. Antonius Lepido vim afferri prohibuit: interdiu au-
tem cum suis militibus amnem transire intendit, primusque omni-
um vadum tentavit, & ad ulteriorem ripam duxit, multos jam Le-
pidi milites cernens manus sibi protendere, & vallum rescindere.
Ingressus in castra, & rerum potitus, Lepidum humanissimè tracta- XXIV
vit, patrem eum suum appellans, & cùm re ipsa solus omnia in
sua potestate haberet, titulum ei Imperatoris conservans. Quo
factum est, ut Munatius etiam Plancus, qui haud procul inde cum
magnis copiis degebat, ei se conjungeret. Proinde viribus resumptis
Alpibus iterum superatis, septendecim legiones peditum, & decem
millia equitum ducens, relictis Gallia sex cohortibus præsidii loco,
cum Vario familiari suo & compotore, quem Cotylonem cogno-
minabant. At Cæsar Cicerone, quem libertati intentum sentiret,
omisso, Antonium opera amicorum ad pacificationem invitavit.
Conventum est inter Cæsarem, Antonium & Lepidum in parva
quadam insula, fluvio circumflua, & agitatum per tres dies consi-
lium: & de reliquis omnibus facilè consensum universumque Ro-
manum imperium veluti hæreditas paterna divisa: de nece autem
certorum hominum inter eos diu controversum non sine gravi
molestia fuit, cùm singuli inimicos necare, amicos servare cupe-
rent. Tandem honorem propinquorum, & amicorum studium iræ XXV
suæ posthabentes, trucidandum Antonio Ciceronem Cæsar, Cæsa-
ri Antonius L. Cæsarem avunculum suum permisit: concessum est
etiam Lepido, ut Paulum fratrem necaret: quidam eum ab illius ad
supplicium postulatum, & à fratre concessum tradunt. Neque exi-
stimo quicquam ea permutatione crudelius unquam factum. cæ-
des enim cædibus compensantes, & quos dabant, & quos recipie-
bant interfecere: in amicos etiam major fuit injustitia, quibus ne o-
dio quidem habitis mortem consciverunt. Milites autem cùm in-
teressent huic fœderi, voluerunt amicitiam istam nuptiis etiam
confirmari, ita uti Cæsar Clodiam, Fulviæ Antonii uxoris filiam du-
ceret. id quoque pactum. Proinde trecentos isti triumviri proscri- XXVI
ptos interfecerunt. Ciceronis occisi caput & manum, qua Philippi-
cas scripserat, amputari Antonius jussit, & ad se afferri: magnoque
cum gaudio spectavit allata, ac cachinnos sustulit: satur inde ejus
specta-

spectaculi, in foro poni pro rostris jussit. quasi verò mortuum contumelia afficeret, & non potius se fortuna per libidinem abuti, & contaminare potentiam ostenderet. Avunculus ejus L. Cæsar, cùm ad necem quæreretur, ad sororem Antonii matrem confugit. Hæc instantibus percussoribus, & in ædes irrumpere nitentibus, in foribus adstans, manusque expandens, itentidem vociferata est: Non interficietis L. Cæsarem, nisi me prius matrem imperatoris occideritis. Hoc illa pacto morti fratrem subtraxit. Enimverò cùm multis in rebus triumviratus iste molestus Romanis esset, maximè in culpa fuit Antonius, major natu Cæsare, & Lepido potentior, & qui hac rerum mutatione ad pristinum illud dissolutum vivendi genus
XXVII rediisset. Auxit communem infamiam privatim odium, quod ei domus quam habitabat, excitavit, Pompeji quondam Magni, cui non minorem continentia, frugalisque & popularis vivendi ratio, quàm res triumphi admirationem pepererant. Stomachabantur enim, cùm viderent istam domum plerunque ducibus & magistratibus & legatis occlusam, qui contumeliosè etiam à foribus repellebantur: plenam autem mimorum, præstigiatorum, & adulatorum ebriosorum, in quos major pars pecuniæ per vim & injuriam summam partæ prodigeretur. Non enim facultates tantùm proscriptorum vendebant, circumventis calumnia propinquis eorum & uxoribus: neque exactionis genere contenti erant: sed & cùm apud vestales deposita civium ac peregrinorum asservari bona cognovissent, ea abstulerunt. Cùm Antonio nihil esset satis, postulavit Cæsar, uti secum pecuniam partiretur. Copias etiam inter se diviserunt, cùm relicto Romæ Lepido in Macedoniam contra Brutum & Cassium proficiscerentur. *Bellum contra Brutum.*
XXVIII Quò simul atque pervenerunt, & castra hostibus opposuerunt, ita ut Cassio Antonius, Cæsar Bruto objiceretur, nullum porrò egregium Cæsaris extitit factum: tota victoriæ laus penes Antonium fuit. Priori enim prœlio Cæsar à Bruto victus castra amiserat, & hostibus insequentibus quin caperetur parum abfuit, ipse in commentariis scriptum reliquit, se amicè insomnio moniti suasu ante pugnam se subduxisse. Antonius Cassium vicit: tametsi non desunt, qui ne interfuisse quidem Antonium prœlio, sed fugientibus supervenisse scribant. Cassium Pindarus de fidelibus unus libertis, jussus & exoratus interfecit, ignarum victoriæ Bruti. Paucis post diebus iterum est pugnatum, & Brutus victus sibi ipsi necem conscivit: Antonio major pars laudis rei bene gestæ adscripta est, nimirum ægrotante tum Cæsare. Cadaveri autem Bruti adsistens, paucis verbis ei Caji Antonii fratris sui necem exprobravit, quem in Macedonia Brutus Ciceronem ulciscens interfecerat. Hortensium tamen potius quàm Brutum ejus cædis causa culpandum addens, illum ad sepulcrum fratris jugulavit. Bruti corpori puniceam vestem à se injecit, magno emptum precio ac suorum libertorum cuidam negocium ejus humãdi dedit: quem postea, cognito eum vestem funeri subduxisse, necavit.

necavit. Secundum hæc Cæsar Romam advectus est, ita morbo afflictus, ut vitam haud diu toleraturus videretur. Antonius autem pecunias exactum ab omnibus versus ortum Solis sitis provinciis ivit. Quod enim militibus polliciti erant viritim vicena sestertia, fiebat ut gravioribus, & continentioribus tributorum exactionibus opus haberent. Antonius ut numeroso cum exercitu in Græciam venit, initio non insolentem se, neque iniquum præbuit. quin & animi causa audiendis philosophis, spectandis certaminibus, & sacrorum initiationibus, non sine laude vacavit: in judiciis quoque æquitatem adhibebat; gaudebatque se amatorem Græcorum appellari, magisque etiam Atheniensium, quam civitatem amplis donis cumulavit. Megarenses verò ostentationem horum æmulati Antonium evocabant, orantes, ut ipsorum curiam contemplaretur. Quibus cùm morem gessisset, interrogatus, quid ea ipsi videretur? Parva, inquit, & putida. Mensus est etiam Pythii templum, quod se absoluturum senatui promiserat. Inde L. Censorino in Græcia relicto, in Asiam abiit. Hic divitias Asiaticas cùm gustasset, & reges ad ipsum commearent, & reginæ muneribus ac forma certantes eum ambirent, Cæsare interim Romę seditionibus & bellis vexato, ociosus ipse & in pace agens, ad pristinam luxuriam revolutus est: & jam circa eum Anaxenor citharœdus, Xuthus tibicen, Metrodorus histrio, chorusque totus Asianæ musices confluebant, aulamque sectabantur, pestes istas Italicas procaci scurrilitate superantes. Itaq; ergo omnibus eo conversis, intolerabilis erat luxuria. Vniversa enim Asia, veluti urbs illa apud Sophoclem, erat XXIX

Exactio Asiatica Antonii, & luxus.

Repleta odoramentis & pæanibus,
Clamoribusq;.———

Nam cùm Ephesum iniret, mulieres Baccharum, viri & pueri Satyrorum & Panum habitu præcedebant, hedera, thyrsis, psalteriis, fistulis urbs plena erat: Bacchumque universi eum Charidotam, & Milichium, hoc est, Bonorum datorem & benignum salutabant. fuit enim fortasse nonnullis talis, plerisque autem Crudivorum & Immanem (Omestam nimirum & Agrionium) se præbebat: qui nobilibus hominibus erepta bona verberonibus & adulatoribus dono daret: qui multorum vivorum, tanquam si mortui essent, facultates petentibus largiretur, domum cujusdam Magnesii civis coquo propter unicam cœnam præclarè paratam donaret. Tandem cùm alteram urbibus pensionem imperaret, Hybreas pro Asia Antonio dicere ausus est: Si potes uno anno bis tributum accipere, duas etiam ęstates, duos autumnos uno anno nobis efficere potes forensi quidem hoc more, & ęmulationi Antonii convenienter dictum. Idē efficaciter juxta & audacter, quod mentione facta ducenties mille talentorum, quę Asia contulisset, addidit: Hęc si tu non accepisti, ab iis reposce, quibus data sunt: sin accepta jam consumpsisti, nulli sumus. Vehementer hoc Antonium commovit, pleraque, ut fierent, ignorantem, non tam ob socordiam, quàm simplicitatem, qua XXX XXXI

ductus

XX ductus facile suis credebat. Erat enim simplici ingenio, & tardè sentiebat: cùm autem sensisset se peccasse, gravi movebatur pœnitentia: & apud eos ipsos, quos offendisset, confitebatur. Magna & supplicia & præmia irrogabat, modi tamen in gratificando quam pu-
XXII niendo erat negligentior. Iocis autem ejus nimiæque dicacitati hoc aderat remedium, quod se vicissim morderi patiebatur: neque minori cum voluptate ridebatur quam ridebat. Quæ res illi maximo fuit malo. Qui enim liberè secum jocarentur, ab iis seriò loquentibus nequaquam putabat se adulari; itaque laudando facilè decipiebatur. non enim intelligebat esse, qui adulationi libertatem veluti subausterum condimentum admiscerent, quo protervæ inter pocula loquacitati tædium & satietatem dimoveant, idque consequantur, ut assentientes & concedentes quoties de re gravi sermo inciderit, non gratiam captare, sed prudentia inferiores videantur. Accessit his Antonii vitiis ultimum malum, Cleopatræ amor, qui & multos occultos etiamnum ejus morbos detexit, sopitosquè excitavit: & quod adhuc bonum & salubre in ipso inerat, & vitiis reluctabatur, sustulit atque perdidit. Captus est eo amore ad hunc *Amor Cleopatræ.*
XX modum. Cùm ad Parthicum bellum accingeretur, misit ad eam
III Dellium, mandans ut sibi in Cilicia occurreret, purgatura se de objectis criminibus: nam ferebatur Cassio ad bellum gerendum magnos sumptus suppeditasse. Dellius ut formam ejus, inque dicendo facundiam & calliditatem perspexit, statim sentiens Antonium nihil gravius in istam mulierem statuturum, sed summo in honore secum habiturum, ad demerendum eam se convertit: hortatusq; est ut (quemadmodum est apud Homerũ) probe adornata in Ciliciam iret, neque Antonium metueret, omnium ducum suavissimum & humanissimum. At Cleopatra cùm verbis Delii mota est, tum ex consuetudine, quæ sibi cum Iulio Cæsare, & Cneo Pompeii filio intercesserat, conjecturam fecit, se facile Antonium capere posse. illi enim puellæ ejus adhuc, & rerum imperitæ notitiam habuerat: ad hunc ea ætate prædita ibat, qua est forma & florentissima mulieri-
IX bus & consilium viget. Itaque multis donis paratis, eoque ornatu
IV qualem ex magnis opibus & beato Regno adferri erat consentaneũ, plurimum autem spei in seipsa, suisque illecebris & præstigiis positum habens accessit: multisque ab ipso & amicis ejus literis acceptis, quibus evocabatur. adeo Antonium ludibrio risuque habuit, ut Cydno amne subveheretur lembo, cujus aurea puppis erat, velis passis purpureis, remis argenteis, qui ad tibiarum, fistularum, cithararumq; sonum concinnè agerentur: ipsa sub aurato recumbebat conopeo, eo modo ornata, quo Venus pingitur: & utrinque pueri Amoribus, quales pinguntur, similes adstabant, ventulum facientes: ancillæ pulcritudine præstantes Nereidum & Charitum habitu ad rudentes ac gubernacula sedebant: odoramenta varia miræ suavitatis fragrantiam ad ripam exhalabant. Hominum autem multitudo partim secundum utranque ripam comitabantur, partim ex

urbe ad spectaculum confluebant: ita ut effusa eò omni à foro turba, solus Antonius pro tribunali sedens relinqueretur. Rumor autem passim increbuerat, Bona Asiæ fortuna Venerem ad Liberum comessatum venire. Misit Antonius, qui eam ad cœnam vocarent: XXXV
sed ipsa petebat, ut ad se potius ille veniret: & Antonius ut se facilem jam tum, amicumque ostenderet, morem gessit. Ibi cùm apparatum, qualis sermone explicari nequit, inveniret Antonius, maximè ad luminum multitudinem obstupuisse fertur: quæ ita passim dependebant, aptissimè inter se collocata & quadratorum & circulorum figuras positu suo exprimentia, ut inter commemoratu dignissima spectacula iste conspectus referri meruerit. Postridie ipsam convivio accipiens, cùm splendorem ejus & solertiam superare studeret, utroque victus ultrò cœpit in sui apparatus rusticitatem, & inelegantiam illudere. Cleopatra autem cùm in jocis etiam Antonii magnam ruditatem, militaremque inesse animadverteret, his quoque adversus eum usa est liberius jam atque confidentius. Etenim ferunt pulcritudinem ejus, si sola spectaretur, nequaquam fuisse incomparabilem, neque eam, quæ stuporem inspicientibus injiceret: verùm in convictu laquei inerant inevitabiles. quippe facundia formæ conjuncta, & gestus ad sermonem quemvis accommodatissimi, atque ipsa suavitas vocis aculeum relinquebant in animo colloquentis. Lingua quidem sua, veluti multis fidib. instructo instrumento ita utebatur, ut facilè ab unius gentis sermone ad alium transiret: quippe cum paucis barbaris per interpretem colloquebatur: plerisque ipsa dabat responsa, Aethiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis: quin & alias multas linguas perdidicisse traditur, cùm priores reges ne Ægyptiam quidem calluissent, & quidam Macedonicam etiam obliti fuissent. Adeò autem Cleopatræ amore correptus fuit Antonius, ut Fulvia Romæ bellum contra Cæsarem gerente, & in Mesopotamia Labieno à Parthorum regis ducibus imperatore Parthico dicto, ac cum eorum exercitu jamjam in Syriam irrupturo, ipse à Cleopatra Alexandriam abduci sustinuerit, atque ibi ludis jocisque deditus adolescentuli instar otium nacti luxuriando tempus (cujus jacturam damnosissimam Antipho dixit) consumpserit. Vitæ autem consuetudine utebantur, XXXVII quæ inimitabilis dicebatur, quotidianisque conviviis immensas opes prodigebant. Nam Philotas Amphissensis medicus, Lampriæ avo meo retulit, sibi, cùm eo tempore Alexandriæ artem disceret adolescens, à quodam coco regio, familiari suo persuasum, ut magnificentiam apparatumque cœnarum Antonii inspiceret, atque ideò in culinam adduci se passum, ibi cùm præter cætera, quæ erant permulta, apros octo assari videret, præ admiratione quæsivisse de convivarum numero. Cocum risisse, atq; respondisse: Circiter duodecim sunt, qui mensæ accumbent: cibos autem Antonio apponi oportet quàm maximè succulentos, cùm quidem momento temporis ii corrumpi possint, ne tales sint. at verò Antonius incertis horis

Antonius reb. omissis in Aegypto cum Cleopatra luxuriat.

cœnat,

cœnat, & cùm modò jusserit parari cibum, mox vel potum poscens vel colloquio oblato differt: itaque non una, sed multæ cœnæ apparandæ sunt, quia tempus cœnæ præsciri difficulter potest. Idem Philotas narravit se progressu temporis in numerum assectarum Antonii ex Fulvia filii receptum, & cum eo, quoties non cum patre cœnaret, unà cum reliquis amicis cænare solitum. Ac se aliquando cuidam medico, qui unà cœnantes disputando & ostentando obtunderet, hujusmodi sophismate os obturasse: Quodammodo febricitanti frigida est exhibenda. atqui omnis qui febricitat, quodammodo febricitat. omni igitur febricitanti danda est frigida. Icto homine, & continente, Antonii filium delectatum eo facto, mensam demonstrasse multis ac magnis poculis onustam, &: Hæc, dixisse, omnia tibi dono do Philota. Studium ejus ipso probante, sed procul ab eo rem abesse cogitante, ut tanti muneris dandi potestas puero tali esset, paulò post puerum quendam in vase ea pocula sibi attulisse, & ut consignaret postulasse. Antonium autem cùm tergiversantem ipsum videret, & accipere verentem, dixisse: Quei cunctare, homo inepte? nescisne autorem muneris Antonii esse filium, qui totidem aurea largiri possit? Mihi tamen obtempera, pecuniam pro poculis accipe: fortassis enim pater quædam ex iis desideraturus sit, propter antiquitatem & nobilitatem operis. Hæc Philotam sibi crebrò referre solitum avus narrabat. Enimverò Cleopatra adulationem non, ut Plato, in quatuor partes, sed multifariam dividens, & seriis jocularibusque subinde rebus novam aliquam voluptatem gratiamve, qua Antonium produceret, comminiscens, dies noctesque eum detinebat. Nam & colludebat, & compotabat, & venanti aderat, & in armis se exercentem spectabat: & noctu foribus & fenestris popularium adstanti, jocisque eos qui intus erant lacessenti aderat, unàque vagabatur ancillæ amictu: quippe & ipse servilem habitum sumebat, eoque semper probris, nonnunquam etiam verberibus acceptus discedebat. Et tametsi plerisque suspectus esset, tamen scurrilitate ejus gaudebant: atque Alexandrini unà laudentes haud ineleganter atque invenustè dicebant, eum tragico vultu apud Romanos, apud ipsos comico uti. Vnum de jocis ejus referre satis erit: nam plerosque recensere velle, nugatoris fuerit. Cùm aliquando pisces præsente Cleopatra captaret, & iniquè ferret se successu frustrari, piscatoribus mandavit, ut occultè urinantes hamo pisces ante captos appenderent: bisque aut ter ita trahens, non fefellit Ægyptiam: verùm ea mirari se simulans, amicos oravit, ut in crastinum spectaturi piscationem adessent. Multis in lembos ingressis, demisso ab Antonio funiculo, quendam de suis occultè infra aquam adnatare uncino, & affigere Ponticum salsamentum jussit: cùm traxisset Antonius, prædam se nactum ratus, risu, uti erat consentaneum, exorto: Nobis, inquit Cleopatra, ô imperator, Phariis & Canopicis regibus calamos trade: tuum est urbes, reges, & regna piscari. Puerilibus hisce nugis & ludis vacanti An-

XX III (margin, beside "randæ sunt … Idem Philotas")

X IX (margin, beside "sibi crebrò … Enimverò Cleopatra adulationem")

Antonij Iunioris munificentia.

Cleopatræ iocus.

ti Antonio, nuncii duo afferuntur: alter Roma, Lucium fratrem ejus, & uxorem Fulviam primùm inter se rixatos, deinde moto Cæsari bello evertisse rem suam, & ex Italia fugere: alter nihil hoc lætior, Labienum Parthos adducere, & omnem ab Euphrate & Syria regionem usque ad Lydiam & Ioniam invadere. Vix tandem somno & crapula excussa, ad reprimendum Parthos contendit, & usque ad Phœnicen progressus est: Fulviæ autem literis lamentationum plenis acceptis, versus Italiam se convertit, cum ducentis navibus. In itinere amicis receptis, qui ex Italia fugerant, ex iis intellexit Fulviam belli autorem fuisse: qui ingenio ferox & inquieta, tunc prætereà speraverat se motu Italico Antonium à Cleopatra avulsurum. Forte fortuna etiam accidit, ut Fulvia ex Italia ad ipsum navigans, Sycione morbo absumeretur: quæ res occasionem pacis cum Cæsare jungendæ præbuit. Nam simul atque Italiam attigit Antonius, & Cæsar se nihil de ipso queri ostendit, & quæ crimina objiciebantur, Fulviæ imputavit: haud passi amici in prætextum eum accuratius inquiri, in gratiam eos invicem reposuerunt. Divisa sunt & imperia, & Ionium mare finis statutus: ut Africa Lepido concessa, ad orientem sitas provincias Antonius, versus occidentē spectantes Cæsar obtineret: consulatū verò si ipsi gerere nollent, amici eorum per vices eo fungerentur. Hæc cùm bene instituta, arctius fidei vinculum requirere viderentur, id quoq; fortuitò est oblatū. Sororem XLI natu majorem habebat Cæsar, diversa tamen matre (ipse enim Atiæ filius fuit, cùm ante ex Ancharia pater Octaviam sustulisset) editam præstantissimam (uti memorant) mulierem, ideoque sibi longe charissimam. ea tum Cajo Marcello nuper defuncto vidua erat: sed & Antonius viduus videbatur morte Fulviæ factus, habere se Cleopatram non inficians, conjugio autem ei se junctum negans: qua unica adhuc in re ratio ejus cum amore Ægyptio luctabatur. Itaq; nuptiarum inter eos contrahendarum omnes autores fuerunt, sperantes Octavia, cui præter pulcritudinem gravitas etiam atque prudentia inesset, conjuncta Antonio, & (ut talem haberi uxorem dignum est) dilecta, salutarem rebus omnibus eam affinitatem fore. Postquàm in hoc consensum utrinque est, Romam venerunt, & nuptias ibi fecerunt: senatusque consulto permissum Octaviæ, ut ante decimum mensem à morte mariti prioris rursum nuberet. Cum XLII Sexto etiam Pompeio, qui Siciliam tenens, Italiam vexabat, multisque piraticis navibus, Mena & Menecrate ducibus, infestum navigantibus mare faciebat, pacem eis componere visum est: quod is humanum se Antonio præbuisset, matrem ejus cum Fulvia profligatam excipiendo. Conventum est apud promontorium & aggerem Miseni, Pompeio classe, Cæsare & Antonio terrestribus copiis adstantibus. Ea conditione pax confecta est, ut Pompeius Sardiniam & Siciliam obtineret, mare prædonibus purgaret, certamque frumenti mensuram Romam mitteret. Inde acta mutuò convivia: & sorte Pompeio contigit, ut prior istos exciperet. Hic quærenti

Fulviæ mors. Pax cum Cæsare.

Octaviam ducit Antonius.

Pax cum Sex. Pompeio.

renti Antonio: Vbinam cœnaturi essent? Hîc, inquit: (navim ostendens sexremem prætoriam) hæc enim paterna domus Pompejo relicta est: exprobrans Antonio, quod is paternam ipsius domum possideret. Nave in ancoris stante, ponte à promontorio ad navim facto, studiosè eos excepit hospitio. Fervente autem convivio, & dictis in Cleopatram & Antonium salsis jactatis, Menas pirata ad Pompejum accedens, tacitè, ita ut exaudiri à nemine posset: Visne, inquit, succisis navis ancoris te non Sardiniæ & Siciliæ, sed Romani dominum imperii faciam? Pompejus exiguum temporis secum eam rem meditatus: Injussu, ait, meo ô Mena id tibi faciendum fuit: nunc præsenti rerum statu contenti simus: pejerare enim non est meum. Atque ita vicissim convivio ab illis acceptus,
XL in Siciliam navigavit. Antonius autem secundum has pacificatio-
III nes Ventidium in Asiam misit, ut Parthos progressu arceret: ipse in gratiam Cæsaris, Iulii Cæsaris flamen factus est. Reliqua etiam civilia, & maxima negocia amicè & communiter tractaverunt; in rerum verò ludicrarum certaminibus molestè ferebat Antonius se ab eo semper superari. Habebat secum ariolum quendam Ægyptium, eorum unum qui natalicias prædictiones exercent: is sive in Cleopatræ gratiam, seu quod ita re ipsa sentiret, liberè ad Antonium di-
XL xit, Fortunam ejus, splendidissimam alioquin, & maximam, à Cæsaris fortuna obscurari: consuluitque ut ab isto adolescente quàm longissimè se subduceret: genius enim (ajebat) tuus genium istius timet: & cùm seorsim alacer sit atque elatus, illo appropinquante demittit sese, & fit, quàm ante, deterior. Et verò res ipsæ testimonium Ægyptio videntur tulisse. Nam quoties vel sorte, vel talis aliqua de re decrevissent, semper inferior Antonius abibat: sæpe etiam cum gallos, aut cornices pugnaces commisissent, penes Cæsarianos victoria fuit. Hæc occultè doluerunt Antonio, ac magis magisque fidem Ægyptio habens, rebus suis Cæsari commissis, ex Italia abiit, Octavia uxore, ex qua ei filiola jam erat nata, secum
XL usque ad Græciam ducta. Circum Athenas hyemanti primus re- *Ventidij res*
IV rum à Ventidio prosperè gestarum nuncius allatus est: ut is victis *gestæ.*
prœlio Parthis, Labienum & Pharnapaten ducum regis Orodis præstantissimum occidisset. Ejus rei causa epulum Græcis præbuit,
XL ludisque Athenis præfuit: ac domi imperatoriis insignibus relictis, cum fascibus gymnasiarchicis tunicatus, & phæcasia (calciamenti nomen est) subligatus processit, ac pueros luctantes dirimens prostravit. Exiturus autem ad bellum, coronam de sacra olea sumpsit, & oraculi cujusdam monitu à Clepsydræ aqua vasculum repletum secum abstulit. Interim Pacorum regis Parthorum filium cum magno exercitu iterum in Syriam irrumpentem Ventidius in Cyrrhestica obviam factus fundit: ac magna Parthorum strage edita, ipsum etiam Pacorum cædit. Hoc inter nobilissima factum ponitur, quo & pœnas Romani à Parthis sumpserunt ob necatum Crassum meritas: & Parthi tribus continenter prœliis victi, rursus in-

tra Mediam & Mesopotamiam sunt compulsi. Ventidius autem Antonii invidiam metuens, ulterius persequi Parthos non ausus, exercitum circumducens ea quæ defecerant recepit, & Antiochum Commagenes regulum Samosatis obsedit: cùmque is mille talenta se daturum, & imperata ab Antonio facturum polliceretur, mittere ad eum nuncios jussit. Iam enim propè aderat Antonius, neque Ventidium cum Antiocho pactum icere sinebat, cupiens vel hoc factum suo nomine inscribi, ne omnia Ventidii opera confecta viderentur. Verùm tracta obsidione, cùm obsessi desperata pacificatione ad vires confugissent, nihil agens, ac pudore & pœnitentia correptus, acceptis trecentis talentis, pacem dare Antiocho satis habuit. Paucis inde quibusdam rebus in Syria constitutis, Athenas rediit. Ventidio quibus decuit honoribus ornato, & ad triumphum misso. Hic unus ad nostram usque ætatem de Parthis triumphavit vir obscuro natus loco, sed qui eum amicitiæ Antonii fructum caperet, uti magnarum rerum gerendarum haberet occasiones: quibus pulcerrimè usus, fidem fecit ei, quod de Antonio & Cæsare dicebatur, eos facilius aliorum, quàm sua opera bellum gerere. Nam & Sossius Antonii in Syria legatus multa feliciter egit: & Canidius ab eodem in Armenia relictus, Armenios regesque Iberorum & Albanorum vicit, & usque ad Caucasum processit: unde nomen & gloria potentiæ Antonii apud barbaros aucta est. XLV

Octavia pacem composuit.

Ipse verò Antonius rursum quibusdam calumniis adversus Cæsarem incitatus, CCC. navibus Italiam petiit: Brundusioque non receptus, Tarentum appulit. Ibi exoratus est ab Octavia (quæ unà ex Græcia navigarat, gravida tum, cùm alteram jam ei filiolam peperisset) ut eam ad fratrem dimitteret. Hæc in itinere obviam Cæsari facta, assumptis ex ejus amicis Agrippa & Mæcenate summis precibus eum obtestata est, ne se ex beatissima muliere miserrimam fieri sineret: oculos jam omnium hominum in se conversos, quæ duorum imperatorum, alterius uxor, soror alterius esset: quod si deterior fortuna vicisset, interque eos bellum excitasset, ipsos quidem incerto eventu certaturos, sibi propter utrunque certam calamitatem impendere. Fractus his Cæsar pacificè Tarentum venit: fuitque jucundissimum spectaculum, magnum in terra exercitum quiescere, multas naves in littore ociosas stare, cùm ipsi imperatores eorumque amici inter se congrederentur, ac mutuò consalutarent. Prior Cæsar apud Antonium in gratiam sororis suæ cœnavit. Pactum est ibi inter eos, uti Cæsar duas legiones ad Parthicum bellum Antonio daret: Antonius Cæsari æratas naves centum: præter hæc Octavia fratri à marito viginti myoparones, marito à fratre mille milites impetravit. XLVI

Hoc pacto à se digressi, Cæsar statim bellum Siciliense contra Pompejum occepit: Antonius Cæsari Octavia, & liberis suis quos ex ea & Fulvia habebat commissis, in Asiam trajecit. At verò postquàm propè Syriam venit, grave illud malum, Cleopatræ amor, qui diu dormiverat, & sanioribus videbatur co- XLVII

tur co-

tur cogitationibus consopitus esse, resuscitatus est, viresq; recepit,
ac tandem inobediens & contumax (ut ait Plato) animi jumentum,
honesta & salutaria omnia calcibus repulit. Mittitur adducendæ
in Syriam Cleopatræ causa Fontejus Capito. Quæ simul venit, nul-
lum ei vile aut modicum ab Antonio munus est datum, sed Phœni- *Donata Cleopatra ab Antonio.*
ce, Cœlesyria, Cyprus, Ciliciæ magna pars, Iudæa balsamifera,
& Arabiæ Nabatææ pars ea quæ ad Oceanum pertinet. Hæ maxi-
mè donationes Romanos offenderunt, cùm aliàs principatus & re-
gna magnarum gentium privatis addixisset: multis regibus regna
ademisset, ut Antigono Iudæo: quem præterea (quod nulli ante re-
gi evenit) in medium productum securi percussit. nimirum autem
XL turpitudine munerum præsertim Romani movebantur. Auxit
VIII invidiam, quod ex Cleopatra gemellos sustulit: ex quibus mascu-
lum Alexandrum, filiolam Cleopatram appellavit, cognomentis
additis huic Lunæ, illi Solis. Sed Antonius jactandi se turpibus suis
factis gnarus, magnitudinem Romani imperii dicebat non tam ac-
cipiendo quàm largiendo demonstrari: porro autem successioni-
bus & procreationibus multorum regum amplificare nobiles fami-
lias. Sic ab Hercule gentis Antoniæ autorem generatum, cùm is
spem posteritatis non in uno utero collocaret: neque Solonis leges
aut judicia de partu metuisset, sed naturæ multarum stirpium ori-
XL gines & initia relinquere cupiisse. Cæterùm cùm Phraortes occiso *Bellum Anthonij Parthicum.*
IX Orode patre, regnum Parthicum occupasset, cùm multi alii Parthi
aufugerunt: tum Monæses, illustris vir & potens, ad Antonium ve-
nit. Ejus fortunam cum casu Themistoclis, suam autem potentiam
& magnanimitatem cum Persarum rege comparans Antonius, tres
ei urbes dono dedit, Larissam, Arethusam, & Hierapolim, quæ olim
Bambyce dicta fuit. Vt verò rex Monæsi missis nunciis fidem de-
dit, & ad se revocavit, libenter eum remisit Antonius, Phraortis
decipiendi causa: cui pacem offerebat, si signa Crassi clade capta, &
captivos redderet. Amandata porrò in Ægyptum Cleopatra, per A-
rabiam in Armeniam profectus est. Ibi copias suas recensuit, quas
ei regum auxilia auxerant: quorum facilè princeps Artabazus Ar-
meniæ rex sex equitum, septem peditum millia suppeditabat. Erant *Copiæ.*
Romanorum peditum sexaginta millia: equitum Romanorum,
unà cum Hispanis & Gallis, qui eis accensebantur, decem millia:
ex reliquis nationibus aderant unà cum equitibus & levis arma-
L turæ militibus XXX. millia. Has tantas copias, quibus etiam
trans Bactra habitantes Indos terruerat, & universam Asiam treme-
fecerat, inutiles ei amor (uti perhibent) Cleopatræ redegit: quip-
pe festinans, ut apud eam hyemare posset, bellum intempestivè ex-
tulit, & perturbatè omnia gessit, animi sui impos, & veneficiis qui-
busdam seu præstigiis captus, uti semper ad illam respiceret, magis-
que de maturè ad eam redeundo, quàm vincendis hostibus esset so-
licitus. Primò enim, cùm ex usu fuisset, ut in Armenia hyemem exi-
geret, exercitumq; octies mille stadiorum itinere fatigatum refice-

 ret, &

ret, & antequàm Parthi ex hybernis moverent, initio veris Mediam
occuparet: non expectato opportuno tempore, statim ad lævam re-
licta Armenia Atropatenam invasit, atque populatus est. Deinde
cùm machinas ad oppugnationes necessarias trecentis curribus ve-
heret, inter quas aries fuit LXXX. pedum longitudine, & qua-
rum nulla commode refici posset iis in locis, eò quod superiores
istæ regiones omnes ligna neque satis procera, & mollia gignunt:
eas post se, tanquam celeritati impedimento futuras, reliquit, præ-
sidio relicto apud currus istos, & duce Statiano. Phraata autem, LI
magnam urbem, in qua regis Mediæ liberi & uxores, erant, oppugna-
re aggressus, statim sensit quantum relinquendis machinis peccas-
set: aggerem magno labore & multo tempore adversus urbem ex-
Clades. tulit. Interim Phraortes magno cum exercitu descendens, audito
currus machiniferos relictos ab Antonio, præsidio eorum magnam
immisit equitum manum: ab his Statianus cum permultis suorum
occisus, machinæ captæ & perditæ sunt, capti permulti, interque
eos rex Polemo. Omnibus qui cum Antonio fuêre doluit, uti fuit
consentaneum, incommodum belli initio præter spem acceptum:
Armenius autem Artabazus rebus Romanorum desperatis cum suo
exercitu discessit, cùm quidem maximè id bellum ipse concitas-
set. Cùm autem Parthi obsidentibus supervenirent, seque superbè
multa minantes ostentarent, Antonius, ne militibus ociosis mœ-
ror & metus cresceret, decem legiones, & tres prætorias gravis ar-
maturæ cohortes, equitatumque universum frumentatum eduxit,
sperans se ea ratione hostem ad pugnam conferendam pertractu-
rum. Vnius diei iter progressus, cùm circumfusos videret Parthos, LII
& inter proficiscendum ipsum adoriri cupere, signum pugnæ in ca-
stris proposuit: & demolitus tabernacula, veluti non pugnaturus,
sed exercitum abducturus, lunatam barbarorum aciem præteriit,
mandato equitibus, ut cùm viderent pediti jam cum Parthorum pri-
mis confligendi potestatem factam, adversis equis in hostes inva-
derent. Barbaris autem contra in acie stantibus mirabilis ordo Ro-
manorum videbatur, spectabantque eos æqualibus intervallis & si-
ne ulla ordinis confusione tacitos prætereuntes, ac pila vibrantes.
Victoria. Vt signum datum est, & equites Romani conversis equis cum vo-
ciferatione impetum fecerunt: hos quidem Parthi substiterunt,
quamvis intra sagittæ jactum statim pervenissent: sed ubi pedites
etiam armis concussis & clamore sublato irruerunt, & equi Par-
thorum perterriti sunt, & ipsi ante quàm manus conferi possent
fugerunt. Insecutus eos acriter est Antonius, atque in spem ma-
gnam venit, se summam, aut majorem utique partem ejus belli
hac victoria confecisse. Insecuti hostem pedites ad L. equites ad LIII
CCC. stadia, cùm deinde captos & cæsos recenserent, triginta ca-
ptos, cæsos octoginta invenerunt. Gravis itaque tristitia oborta,
atroxque res visa, quod victores tam parum hostium interfecissent,
victi autem amissuri tam multos viderentur, quàm apud currus
perdi-

perdidissent. Postridie convasatis rebus, iter versus Phraata & castra sua fecerunt: ibi in via primùm in paucos hostium, deinde in plures, denique in universum hostium agmen, veluti intactum & integrum, inciderunt: provocatique & undique lacessiti, difficulter & magno cum labore in castra redierunt. Cùm Medi excursione in aggerem facta Romanos perterruissent, iratus Antonius eos qui stationem deseruissent decimavit: ac qui forte supplicium capitis evasissent, ijs prò frumento hordeum dari jussit. Iam & molestum utrisque erat bellum, & graviores difficultates metuebantur: cùm & famem imminere Antonius timeret, quod absque vulneribus & exitio sui frumentari nequirent: & Phraortes sciens Parthos quidvis potius sustinere, quàm in hostico versari per hyemem, jam post æquinoctiū autumnale aere gelascente, verebatur ne Romanis in obsidione perseverantibus, à suis ipse desereretur. Talem itaq; dolum Antonio
LIV tendit. Parthi, qui maximè noti Romanis essent, in frumentationibus alijsq; congressibus lenius Romanos tractabant, nonnulla eos auferre permittentes, & virtutem eorum, ut bellicosissimorum hominum, & qui regi etiam ipsorum admirationi essent, laudantes. Propius deinde adequitantes, & citra periculum jam Antonio obtrectabant, qui Phraorti pacem inire, ac parcere tot tātisque viris cupienti occasionem dare nollet, ac duos potius gravissimos hostes, famem & hyemem, trahendo obsidionem præstolaretur, quos effugere etiam Parthis comitantibus sit futurum difficile. Hæc cùm ad Antonium multi deferrent, quamvis ea spe delinitus, non prius tamen legatos misit, quàm ex benevolis istis barbaris quæsivit, hæcne ex sententia regis dixissent. Cùm ita esse affirmarent, atq; hortarentur ne sibi metueret, neve quicquam vereretur: quosdam amicorum ad Phraortem misit, iterum signa & captivos reposcens, ne effugio & salute contentus esse velle videretur. Respondit Parthus, frustra eū ista poscere: pacem se ei & securitatem concedere, si statim abijsset.
LV Itaq; Antonius paucis diebus castra movit. Quamvis autem dicendo apud multitudinem largiter posset, & castrensi facundia nemini æqualium cederet, tamen pudore & mœrore motus, concionem tū confirmandorum militum causa habere non sustinuit, idq; negocij Domitio Anobarbo dedit. Quidam graviter id tulerunt, despici se rati: pleriq; quid causæ esse animadverterunt, miserationeq; moti, vicissim duci obedientiam & verecundiam deberi senserunt. Reducturum autem ea qua venerat via campestri & arboribus vacua quidam Mardus natione, diu inter Parthos versatus, & cujus fides Romanis in pugna apud machinas esset cognita, adijt: ac monuit, uti montibus ad dextrā relictis, discederet: neve exercitum gravi armatura impeditum in apertis campis tanto equitatui & sagittarijs objiceret: id enim egisse Phraortem, ac propterea cū æquis conditionb. ab obsidione avertisse: se ipsi ducem brevioris itineris, & commeatu instructioris fore. Hæc cùm audisset Antonius, secum deliberavit: & Parthis quidem noluit videri diffidere post pacificationem: itineris

Dolus Parthi.

 autem

autem brevitatem juxta pagos habitatos laudans, postulavit à Mardo, ut fidem suam firmaret: isq; se tantisper dum in Armeniam venissent, in vinculis habendum tradidit. Biduo eos tutò duxit: tertio LVI
die cum jam omninò se Parthorum securum speraret Antonius, eoque audacius & liberius iter faceret, Mardus aggerem, quo eruptio fluminis obturaretur, vidit recens apertum, & aquam copiosè ea qua ipsis pergendum erat, effusam: sensitq; id à Parthis effectum, ut transitum ipsis impeditiorem ac difficiliorem redderent: Antonium itaq; prospicere sibi jussit, & cavere: hostes enim in propinquo esse.

Parthi Romanos discedentes infestant.

Vix dum aciem instruxerat Antonius, ac per eam velitibus atq; funditoribus excurrendi adversus hostem spacia constituerat, cùm supervenire Parthi, & circumvenire, & undiq; perturbare Romanos conati sunt. Contra quos cùm excurrissent levis armaturæ milites, Parthi cùm multos sagittis sauciassent, neque pauciora ipsi pilis & plumbatis icti vulnera accepissent: rursus inde molesti fuerunt, donec Gallicus equitatus cuneo facto in eos impetum dedit: & dissipavit: neq; ea die præterea in conspectum venerunt. Antonius cognito quid facto usus esset, multis jaculatoribus & funditoribus, non ultimum modò agmen, sed & utrunq; latus munijt exercitumq; agmine quadrato duxit, & equitibus mandavit, ut si hostes adorti pepulissent, non procul eos persequerentur. Quo factum est, ut Parthi quatuor deinceps diebus non gravioribus datis, quàm acceptis malis, languidiores fierent, & hyemis prætextu de discessu cogitarent.
Quinta die unus ducum Flavius Gallus, vir bello strenuus, Antonium accessit, & ab eo complures à novissimo agmine milites expeditos equitesq; à fronte poposcit, se rem præclarè gesturum pollicens. Eo impetrato, hostes irruentes non repulit, ut ante, simul ad aciem peditum retro cedens, sed audacius eo subsistens, manusq; cõferens. Duces autem postremi agminis vidẽtes eum à reliquis avulsum, misêre qui revocarẽt: ac fertur Titius quæstor signa quoq; apprehendisse, Gallumq; retro avertisse, & objurgasse, quod tam multos bonos viros iret perditum: eoq; cõtra conviciante, suisq; ut manerent imperante, ad suos adijsse. Gallum autem in adversos magna vi ruentem à tergo multitudo hostium imprudentem circũvenit, ita ut undiq; telis impetitus, mitteret qui auxilium implorarent. Hîc à ducibus peditũ, inter quos fuit & Canidius, vir summæ apud Antoniũ autoritatis, graviter videtur peccatũ. Cùm enim res postularet, ut totam aciem in hostem converterent, paucos subsidio mittentes, hisq; victis rursus alios, paulatim in fugã & cladem totum exercitũ conjiciebant: actumq; fuisset, nisi Antonius cum armatis à fronte ad auxilium accurrisset, ac tertia legione per cedẽtes suos adversus hostem rapta, eum ab insequendo avertisset: Perierunt de Romanis LVIII
haud pauciores tribus millibus: & in castra relati sunt saucij quinq; millia: interq; hos Gallus, quatuor sagittis adverso corpore exceptis confixus, ijsq; vulneribus perijt. Reliquos Antonius circumiens visebat, dictisq; confirmabat, lacrymis oppletus & gravi mœrore æger.

Antonianorum clades.

ger. At milites læto vultu dextram ejus apprehendere, jubere uti abiret,& corpus suum curaret,neve se afflictaret,imperatorem salutare,seq; salvos eo valente dicere. Omninò autem nemo quisquam ea tempestate imperator exercitum atq; is fuit robore,tolerantia,& ætatis vigore præstantiorem habuit: veneratione autē ducis, benevola obedientia, eoq; quod omnes in universum nobiles, obscuri, principes, privati Antonij gratiam & honores ab eo ipsis habitos salute sua atq; securitate antiquiora habebant. ne à priscis quidē Romanis victi sunt. Hujus autem erga eum studij causæ multæ fuerūt, uti ante diximus: nobilitas,facundia,simplicitas,liberalitas, magnificentia,in jocis & convictu urbanitas: tum verò miserans ægrotos, & quibus quisq; indigeret largiens,alacriores saucios & afflictos sanis reddidit. *Benevolentia in ducem.*

LIX At hostes jam defessos, & animos despondentes,ita victoria ista erexit,tantumq; apud eos contemptum Romanorum excitavit,ut noctu etiam apud castra eorum commorarentur, putātes mox fore, ut dilapsis fuga Romanis, tentoria eorum & opes diriperent. Die facta,multò plures seParthi eo congregaverunt,adeò ut ferantur equitum haud minus XL.millia fuisse, cùm rex eo,tanquam ad exploratam victoriam eos etiam, quos secum habere semper solebat,misisset: ipse enim nulli prœlio interfuit. Antonius autē cùm statuisset alloqui milites, pullam vestē petijt, ut miserabiliori esset aspectu: amicis tamen repugnantibus, paludatus processit, orationemq; ad milites ita instituit, ut victores laudaret, fugam reliquis exprobraret. Quorum cùm illi bono eum esse animo juberent,hisce purgarent,& poscerent uti se vel decimaret, vel quovis alio supplicio puniret,tristiciæ modò suæ finem faceret, manibus ad cœlum intentis Deos comprecatus est, ut si qua ipsorum invidia pristinam ejus felicitatē ulcisceretur, ea in ipso verteret, salvo & victore exercitu.

LX Postridie agmine rectius munito perrexerūt. Parthis autē eos adorientibus præter opinionem admodum suā evenit. Existimātes enim non ad pugnā se,verùm ad direptionem ire,multis jaculis icti, hostesq; fortes & integra alacritate videntes, iterum elanguerunt. Rursum eos à collibus quibusdam acclivibus descendentes adorti sunt,ac tardius procedentes sagittis impetierunt. Ibi gravis armaturæ milites conversi,in medium expeditos receperunt,ipsiq; in genu subsidentes scuta ante se objecerunt,identidē posteriore suis armis priorem supernè tegente. Hæc figura tecto similis,conspectuq; mirabilis,& firmissimum est contra incidentes sagittas tegmen: delabuntur enim illæ. Cæterùm Parthi præ desperatione eos ita & defatigatione genua flexisse rati, positis arcubus cōtos sumpserunt, atq; accurrerunt. Ibi Romani clamore strepituq; armorum se mutuò cohortati subitò assiluerunt, comminusq; ictos pilis primos hostium confoderunt,& universos in fugam conjecerunt. Hoc idem reliquis diebus factum,lensimq; processum est. *Testudo militaris describitur.*

LXI Fames autem in castris extitit,cùm & parum frumenti pugnando pararetur, & ad molendum instrumenta deessent, quæ relicta erant jumentis partim mortuis, par-

partim saucios portantibus. Fertur Chœnix Attica tritici quinquaginta denarijs tum venijsse, hordeaceos panes argenti pondere pari venditos. Conversi ergo ad herbas & radices edendas, paucas earum quas edere usitatum est repererunt: cùmque gustare etiam ignotas cogerentur, inciderunt in quandam herbam quæ manducata insaniam, & ex ea mortem afferebat. Qui enim edisset eam, nullius rei recordabatur, nihil agnoscebat: unum hoc agebat, ut (tanquam magnopere seriam rem aliquam agens) omnem lapidem moveret: & oppleti erant campi eorum, qui humi proclives saxa effoderent & transferrent: ad extremum bilem vomentes moriebantur, cùm, quod unum erat mali ejus remedium, vino carerent. Multis ita pereuntibus, neque tamen Parthis recedentibus, sæpenumerò exclamasse Antonium ferunt, O decem millia, admirantem istos Græcos, qui cum Xenophonte à Babylone longiori itinere profecti, & cum ingentibus hostium copijs luctati, incolumes evaserant. Enimvero LXII Parthi cùm divellere à se exercitum Romanum, ordinesque disjicere nequirent, sæpe jam victi & fugati, rursus tanquam in pace eos qui frumetatum essent aut pabulatum missi adiverunt, laxatosq; arcuum nervos ostendentes, dixerunt, se jam retrò abire, & finem hîc ipsos ulciscendi facere: paucos tantum Medos unius aut alterius diei spacio secuturos non vexandi causa, sed qui remotiores pagos custodirent. Additæ his verbis consulationes & amica colloquia, ita ut Romani bonam jam fiduciam conciperent, & Antonius hisce auditis statueret se campis committere, quòd montana dicerentur aquæ expertia. Cùm hæc sententia staret, vir quidam ab hostibus ad castra venit, nomine Mithridates, consobrinus Monæsis ejus, qui ad Antonium confugerat, & ab eo tribus urbibus donatus fuerat. Is postulavit, ut aliquis ad se Parthici vel Syriaci sermonis gnarus procederet: cùmq; Alexander Antiochensis, unus de Antonij familiaribus prodijsset, præfatus quis esset, & se pro Monese gratiã referre, quæsivit ex Alexandro, ecquid procul continentes & sublimes cerneret colles. Affirmanti: Sub ijs (inquit) collibus Parthorum universus exercitus vobis insidiatur, sperantq; vos ipsorum verbis deceptos mõtana relicturos, & eò porrecturos. Montanum quidem iter sitim & laborem, quæ ferre consuevistis, objicit: sed altera via ingrediẽs Antonius sciat Crassi fortunam se manere. His dictis abijt. Antonius L X
autem perturbatus eo indicio, amicos & ducem itineris Mardum ea II
de re consuluit, cujus quidem planè eadem erat sententia. nam etjam si hostis non monuisset, noverat iter per campos ambiguum ac difficiles errores esse, in aspera autem illa nihil præter unius diei sitim, molestiæ futurum. Eam igitur noctu Antonius ingressus est, jussitque aquam unà portari: cùm autem plerosq; vasa deficerent, galeis eam & pellibus excipiebant. Sed Parthi, quibus nuntiabatur eum jam procedere, præter morem suum noctu fugientes insecuti, sole oriente agmen novissimum adorti sunt, Romanis ob vigilias & laborem male affectis: CCXL. etiam stadia ea nocte confecerant. In-

Herba insaniam afferens.

Alia Parthorum fallacia.

Insperatus etiam hostium adventus animos eorum perturbabat,& sitim certamen augebat,cùm inter pugnandum procederent. Qui primi ibant,ad fluvium pervenerunt, cujus aqua frigida quidem & pellucida erat,salsa tamen & venenosa; nam bibentibus & statim tormina ventris ciebat,sitimque intendebat. Quæ tametsi Mardus prædixisset,milites tamen, remotis vi iis qui ad arcendos eos potu constituti erant,biberunt. Ibi Antonius circuire,suos orare,ut paulisper adhuc durarent, propè alium esse amnem, cætera deinde aspera & equitatui invia,omninòque hostes ibi rejectum iri. Simul & receptui cecinit,& castra faciendi signum dedit, ut umbra saltem *Aqua noxia*
LXIV milites reficeret. Tabernaculis jam factis, Parthisque more suo statim digressis,iterum Mithridates venit: & Alexandro ad se progresso,jussit,ut cùm paululùm quievissent Romani, ad flumen properè contenderent: eòusque enim Parthos insecuturos, neque amnem transituros. Hæc cùm Antonius de Alexandro cognovisset, per eundem Mithridati multa aurea pocula & pateras dono mittit: is quæ veste tegere posset sumptis, abiit. Durante itaque adhuc die castra moverunt & nullo hoste infestante profecti, noctem eam ipsi sibi difficillimam & formidolosissimam reddiderunt. Argentum enim aurumve habentes occiderunt,& spoliaverunt:sarcinas jumentorum diripuerunt, deinde Antonii etiam impedimenta aggressi, pocula & mensas preciosas disciderunt, atque inter se *Tumultus militum.*
LXV distribuerunt. Trepidatione inde & confusione per totum exercitum coorta: quod hostes irrupisse, & ordines dissipasse putarent, Antonius quendam libertorum suorum ac stipatorum Rhamnum vocavit,& juramento sibi obstrinxit,ut jussus,statim ipsum cōfoderet, & caput amputaret: ne vel vivus in potestatem hostium veniret, vel mortuus agnosceretur. Flentibus ad hoc amicis, Mardus Antonium consolatus est,propè fluvium perventum affirmans: id se & ex temporis ratione ejus itineris cognoscere (parum enim de nocte erat reliquum) & ex aura,quæ humidior & frigidior afflans, respirationem jucundiorem efficiebat: simul & alii retulerunt,tumultum hunc militum injuriis mutuis atque avaritia excitatum. Quare Antonius ut à vagatione ista & dissipatione exercitum in ordinem revocaret, castrametationis signum edi jussit. Iam albescente cœlo cùm exercitus in ordinem rediret, & tumultus consedisset,ultimis Parthicæ sagittæ acciderunt. Statim pugnæ signum levis armaturæ militibus datum: legionarii testudine (ut ante) facta Parthorum tela exceperunt, comminus pugnare non audentium. Ita paulatim primis progredientibus fluvius apparuit: & Antonius equitatum in ripa hostibus opponens,primo omnium infirmos traduxit. Iam & pugnantibus tutò bibere licebat. Nam Parthi ut fluvium conspexerunt, nervos arcuum remiserunt,& Romanos intrepidè transire jusserunt. multis verbis virtutem eorum
LXVI laudantes. Amne ita superato cùm se aliquantulum collegissent, haud planè Parthis fidem habentes perrexerunt. Sexta quàm postremo

ſtremo pugnatum fuit die,ad Araxem pervenerunt,qui fluvius Mediam ab Armenia dividit. Apparebat autem & altior, & rapidior, quàm ut tranſiri facile poſſet: rumorque ferebatur, ibi hoſtes eos transgredientes ex inſidiis adorturos. Poſtquàm hunc quoque tuto ſuperarunt, & in Armenia pedem poſuerunt, ibi verò tanquam è mari terrā eam primum conſpexiſſent, oſculati ſolum præ gaudio ſunt, & ad lacrymas, mutuosque complexus verſi. Proficiſcentes autem per regionem felicem, & poſt diuturnam penuriam omnibus affatim perfruentes, in hydropicos & cœliacos morbos inciderunt. Ibi Antonius exercitum recenſens,viginti peditum,quatuor equitum millia deſideravit,quorum major dimidio pars non ab hoſtibus,ſed morbis abſumpta fuerat. Vigeſimis ſeptimis caſtris à Phraatis in Armeniam perventum eſt. Parthos octodecim pugnis vicerunt. Verùm hæ victoriæ inconſtantes inefficacesque fuere, quod inſequi hoſtem, ut oportuit nequiverant. Quo potiſſimum argumento patuit,per Artabazum ſtetiſſe, quominus Antonius victoriæ finem imponeret. Si enim Antonio XVI. iſta millia equitum,quos duxerat ex Media Artabazus Parthico more armatos, & cum illis pugnare aſſuetos, affuiſſent, fuſosque à Romanis inſequendo necaſſent Parthos:haud utique toties ſuperatis redintegrare bellum licuiſſet. Eam ob rem omnes Armenio infenſi, Antonium ad ſupplicium de eo ſumendum ſtimulabant. Sed Antonius, LX quod & infirmum haberet exercitum, & omnium rerum eſſet egēs, VII prudenti conſilio neque expoſtulavit cum eo ob proditionem: neque de familiaritate,& ſolito honore quicquam diminuit. Sed pòſt iterum in Armeniam profectus eum multis conditionibus atque promiſſis ad ſe pertractum, captivum Alexandriam in triumpho duxit. Quo quidem facto graviſſimè offendit Romanos,qui ornamentum majeſtatemque patriæ Ægyptiis propter Cleopatram communicaret. Verùm hæc poſt. Tùm verò adulta jam hyeme per aſſiduas nives properans, octo millia hominum in itinere amiſit. Ipſe cum paucis ad mare deſcendens, in caſtello quodam Berytum & Sidonem interjacente, cui nomen Albus pagus, Cleopatram expectavit: eaque moras trahente, animi æger ſtatim potationibus & ebrietati ſe dedit: neque tamen ſuſtinuit deſiderium, ſed inter pocula ſæpenumerò exiluit,viſum quando illa appelleret. Vt tandem venit, multam veſtem & pecuniam militibus attulit: tametſi ſunt qui dicant Antonium veſtes ab ipſa accepiſſe: pecuniam à ſe,veluti ipſa ſuppedidante, dediſſe.Inter Regem verò Me- LX dorum & Phraorten Parthum eo tempore diſſidium extitit, de ſpo- VIII liis quidem Romanis,ut fertur,ſed tale,ut metueret ſibi Medus, ne regnum ſibi Parthus adimeret. Itaque miſſis nuntiis Antonium ad belli Parthici ſocietatem invitavit. Hîc Antonius in magnam ſpem erectus (etenim equitum & ſagittariorum, & quorum defectus ei ante obfuerat ne Parthos domaret, magnam multitudinem ſibi non petenti ultrò offerri beneficium poſtulato videbat) ita ſe com-

parabat,

In Armeniā pervenit Antonius.

Artabazi ſupplicium.

parabat, ùt rursus per Armeniam profectus, & apud Araxem fluvium cum Medo conjunctus, bellum Parthis inferret. Interim Octaviæ ad maritum navigare cupienti Cæsar permisit, non tam ut sorori gratificaretur, quàm ut ea contumeliosè ab Antonio tractata & spreta, occasionem sibi belli honestam pararet: ita enim quidam

LXIX affirmant. Octavia cùm Athenas pervenisset, literas ab Antonio accepit, quibus eam manere jubebat, & de expeditione sua docebat. Illa tametsi doleret, & prætextum sentiret, missis tamen literis percontata est, quò mitti vellet dona sibi ab ipsa allata. Afferebat autem multam vestem militarem, multa jumenta, pecunias & dona ducibus ejus atque amicis: præterea delectorum militum duo millia, ad cohortes prætorias constituendas pulccherrimè armis instructos. Hæc Niger quidam Antonii amicus ab ea missus indicabat, & verbis dignis munera commendabat. At verò Cleopatra se ab Octavia oppugnari sentiens, verita ne gravitati morum ea & Cæsaris potentiæ studium gratificandi & demerendi maritum adjungens, eum planè in suam potestatem redigeret: Antonio jam ex Syria discessum parante, amore ejus ægram se simulare, corpus tenui victu macerare, vultum eo accedente attonitum, abeunte languidum & dejectum ostendere, machinari, ut sæpe lacrymantem se videret ille: tum celeriter lacrymas abolere, & abscondere, tan- *Cleopatra technæ.*

LXX quam si celare eum cuperet. Tum assentatores reginæ studiosi Antonium increpare: durum & saxeum appellare, qui mulierculam ab ipso solo pendentem pessundaret: Octaviam scilicet ei propter fratrem & res tenendas conjunctam, uxoris nomine perfrui: Cleopatram tot hominum reginam, amasiam Antonii vocari: neque id tamen nomen detrectare, dum vivere sibi cum ipso liceat, neque victuram illo avulso. Quid multa? ita ad extremum emolierunt effœminaruntq; hominem, ut ne projiceret vitam Cleopatra metuens, Alexandriam redierit, Medo in alium annum rejecto: tametsi tum res Parthicæ seditionibus agitari ferrentur. Postea tamen ad Medum se contulit, atque amicitiam cum eo junxit, & affinitatem, filio Cleopatræ filiam ejus parvam adhuc despondens, ac secum auferens, cùm jam se ad bellum civile accingeret. Cæsar autem Octaviam contumelia affectam judicans, reversam Athenis seorsim deserta Antonii domo habitare jussit. Illa verò mariti domo se non excessuram respondens, fratrem insuper orabat, ut si nullam aliam belli causam haberet, quàm Antonii in ipsam injurias, missas illas faceret: turpe enim vel auditu fore, duos maximos imperatores, alterum ob amorem, alterum ob obtrectationem mulie- *Octavia bonitas.*

LXXI brem Romanis civile bellum concitasse. Quod autem dixit, id re ipsa confirmavit. Nam & in domo Antonii tanquam præsentis habitavit, & liberos ejus non ex ipsa modò, sed etiam ex Fulvia, natos honestè & magnificè curavit, & missos ab Antonio amicos ad magistratos petendos aut expedienda negotia apud Cæsarem pro iis intercedendo juvit. His ipsis factis inscia Antonio nocuit, odia

odia hominum adversus eum concitans, qui tam præclaram uxorem tam iniquè haberet. Auxit invidiam divisio inter liberos Alexandriæ facta, tragica & superba, & odium in Romanos præ se ferens. Etenim repleto hominibus gymnasio, duos aureos thronos super argenteo tabulato collocavit, unum sibi, alterum Cleopatræ, ac liberis alios humiliores. Tum primùm Cleopatram declaravit Ægypti, Cypri, Africæ, Cœlesyriæ reginam, collega addito Cæsarione, quem ea ex Cæsare concepisse gravidaque ab eo relicta fuisse credebatur: inde communes sibi & illi filios, reges regum appellavit, & Alexandro Mediam, Armeniam, Parthiamque (si quando subacta foret) attribuit: Ptolemæo Syriam, Phœnicen, & Ciliciam. Simul & produxit eos, Alexandrum Medico vestitu, cum tiara & erecta cidari: Ptolemęum cum crepidis, chlamyde & causia, quam diadema ornabat: hic enim habitus est regum qui Alexandro Magno successerunt; ille Medorũ & Armeniorũ. Cùm pueri parentes salutassent, alterum Armeniorum, alterum Macedonicum satellitiũ stipavit. Cleopatra autem & tunc, & quoties in publicũ prodiret, vestẽ Isidis sacram gestabat, & nova Isis dicebatur. Hæc in senatu Cæsar LXXII
referens, & sæpe apud populum accusans civium animos in Antonium accendit. Antonius quoque vicissim Cæsarem missis literis accusavit. Hæc autem præcipuè objiciebat: Quod Pompejo Sicilia adempta, Insulam secum partitus non esset: Quod naves quas ab eo ad bellum precariò sumpsisset, sibi retinuisset: Quod Lepidum collegam magistratu dejecisset, ignominiaque affecisset, & provinciam ejus ac reditus ipse per suum legatum obtineret: Quod totam prope Italiam propriis militibus divisisset, Antonianis nihil reliquisset. Ad hæc ita respondit Cæsar, se Lepido per vim & libidinem imperanti potestatem ademisse: parta bello cùm Antonio divisurum, ubi & is secum Armeniam partitus fuerit: militibus ejus nihil de Italiæ agro deberi; habere eos Armeniam & Mediam, quas bello unà cum imperatore præclarè gesto, Romano imperio adjecerint. Hæc in Armenia agens Antonius cum percepisset, LXXIII
illico jussit Canidium cum sedecim cohortibus ad mare descendere: ipse cum Cleopatra Ephesum profectus est. Ibi classis conveniebat octingentarum navium, unà cum onerariis: ex his ducentas Cleopatra præbuit, & viginti millia talentorum, & universo exercitui alimenta ad bellum. Cæterùm eam Antonius, Domitii & aliorum consilia secutus in Ægyptum navigare, ibique eventum belli expectare jussit. At Cleopatra metuens ne rursus interventu Octaviæ bellum componeretur, magna pecunia Canidium corrupit, ut pro ipsa apud Antonium intercederet, eique ostenderet, injustum esse Cleopatram bello, ad quod tam magna præsidia ea contulisset, arceri: neque in rem esse, Ægyptiorum, qui magna pars navalium copiarum sint futuri, animos absentia reginæ languidiores facere: alioquin etiam haud apparere, cuinam regum unà bellum gerentium prudentiæ laude Cleopatra cedere debeat, quæ tanto tem-

Antonius provincias P.R. Cleopatræ addicit.

Antonii & Cæsaris mutuæ criminationes.

Belli apparatus.

tempore ipſa tum amplum regnum adminiſtraſſet, ac diuturna præ-
terea Antonii conſuetudine magnas res tractare didiciſſet. Hæc ſen-
xxtentia vicit, fato jam omnia ad Cæſarem trahente. Conductis co- *Luxuria.*
ıvpiis, Samum advecti genio indulſerunt. Quemadmodum enim o-
mnibus regibus, regulis, principibus, nationibus, & urbibus quæ
intra Syriam, Mœotidem, Armeniam, & Lauria eſſent, indictum
fuit, ut mitterent adferrentque ad bellum neceſſaria: ita omnes ſce-
nicos ludiones in Samum convenire neceſſe fuit. cùmq; totus pro-
pe orbis terrarum luctibus & gemitibus reſonaret, una hæc inſula
per aliquot multos dies fiſtularum & muſicorum aliorum inſtru-
mentorum ſono perſtrepebat, repletis theatris, & choris certanti-
bus. Singulæ autem urbes bovem ad ſacrificia mittebant, eaque u-
nà obibant, & reges inter ſe conviviis & muneribus certabant: ita
ut vulgò quæſitum ſit: Qualesne hi victis hoſtibus apparatus & pro
parta victoria feſtivitates eſſent inſtructuri, qui tanto ſumptu bel-
li exordium celebrarent. His peractis Antonius Prienem ſcenico-
rum ludorum artificibus habitandam dedit: & Athenas advectus,
rurſum ludicris & theatro vacavit. Cleopatra autem Octaviæ ho-
noribus æmulabatur, quam Athenienſes ſummo in precio habue-
LXXV rant: itaque magnificis donis populum demerita eſt. Populus ei
honores quoſdam decrevit, & legatos qui decretum domum ejus
afferrent miſit, interque eos Antonium, nimirum civem Athenien-
ſium: atque is verba apud Cleopatram pro civitate fecit. Idem
Romam miſit, qui Octaviam domo ſua ejicerent: ferturque abiiſ-
ſe cum omnibus Antonii liberis (excepto filio, quem primum Ful-
via pepererat, qui tum cum patre erat) plorans, & fortunam ſuam
incuſans, quod ipſa etiam in cauſis ejus belli numerata eſſet. Ro-
mani autem non Octaviam, ſed Antonium miſerabantur, præſer-
tim qui Cleopatram vidiſſent neque pulcritudine, neque ætatis
cauſa illi præferendam. At Cæſar magnitudine & celeritate Antonii
apparatus bellici perturbari, ac metuere, ne ſibi durante adhuc ea
æſtate decertandum eſſet: quippe & deerant adhuc multa, & pecu-
niæ exactiones moleſtæ erant, cùm ingenui quadrantem redituum,
libertini octavam facultatum partem pendere coacti eum infeſtis
clamoribus inſectarentur, & tota Italia tumultuaretur. Quam-
obrem inter maxima Antonii peccata id numeratum eſt, quod ra-
tionem belli mutavit: nam & apparandi ſui tempus Cæſari conceſ-
ſit, & ſpacium ſedandorum tumultuum, cùm qui pecuniam poſtu-
lati excandeſcebant, ii, ſoluto quod poſcebatur, iram remitterent.
LXX Interim Titius & Plancus viri conſulares à Cleopatra ignominiis
VI affecti, quod maximè id contenderant, ne ea bello intereſſet. ad
Cæſarem abierunt atque ei de teſtamento Antonii, quorum erant
conſcii, retulerunt. Depoſitum erat id apud Veſtales, atque eæ po-
ſcenti Cæſari daturas ſe negaverunt: ipſumque venire, ſi vellet acci-
pere, juſſerunt. Abſtulit, ac principiò privatim quædam crimini- *Teſtamentũ*
bus obnoxia notavit: deinde convocato ſenatu recitavit multis in- *Antonii.*

dignè ferentibus: iniquum enim novumque videbatur, vivum aliquem accusari de iis, quæ se mortuo fieri voluisset. Id maximè urgebat Cæsar, quod de sua sepultura Antonius jusserat, ut corpus suum, etiamsi Romæ decederet vita, per forum elatum Alexandriam ad Cleopatram mitteretur. Calvisius autem Cæsaris socius, hæc præterea crimina objecit Antonio: Pergamensem eum bibliothecam, in qua ducenta librorum millia erant, Cleopatræ dono dedisse: in convivio multis præsentibus assurrexisse, & pedes ei ex pacto quodam trivisse: ab Ephesiis eam dominam salutari, se præsente passum: sæpe cum principibus & regibus responsa daret, onychinas & crystallinas tabulas amatorias ab ea missas accepisse, & legisse: Furnio, qui in magna existimatione, interque Romanos disertissimus habebatur, causam perorante, cùm Cleopatra fortè lectica per forum veheretur, eum statim atque vidisset, prosiluisset
& relicto judicio lecticæ se applicuisse, eamque deduxisse. Ta- LXVII
metsi pleraque horum commentus videbatur Calvisius. Amici autem Antoniani Romæ oberrantes populum deprecabantur. Ex his unum, nomine Geminium, populus ad Antonium misit, qui oraret, ne sibi abrogari magistratum, neve hostem se Romanorum judicari vellet. Geminius postquam in Græciam venit, statim suspectus Cleopatræ fuit, quasi Octaviæ causam acturus esset: subsannatusque adsiduè in cœna, & inhonesto assessu illusus, omnia tulit, dum colloquendi occasionem nansciceretur. Iussus verò in cœna dicere, cujus rei causa venisset: Reliquum, inquit, colloquium sobrios nos requirit: unum & sobrius & ebrius certò scio, rectè omnia fore, si Cleopatra in Ægyptum abierit. Stomachante ad hoc Antonio. Bene, inquit Cleopatra, abs te factum est, Gemini, qui citra tormenta veritatem confessus sis. Geminius paucis post diebus Romam profugit. Multi etiam alii amici Antonii adulatorum Cleopatræ scurriles insultationes non ferentes, abierunt: inter quos M. etiam Sillanus fuit, & Dellius historicus. hic quidem sibi ab insidiis Cleopatræ metuisse ait, monitum à Glauco medico. Offenderat autem eam, quod inter cœnandum dixerat, vappam sibi infundi, Sarmentum Romæ Falernum vinum potare. Erat autem Sarmentus unus ex pueris, quos in deliciis Cæsar habebat. Cæsare ad LXVIII
bellum jam sufficienter parato, decretum est bellum contra Cleopatram: Antonio magistratus abrogatus, quem is mulieri concessisset. & addidit Cæsar, Antonium veneficiis ita perditum, ut ne sui quidem ipsius sit compos: bellum contra Romanos geri à Mardione eunucho, Photino, Eira Cleopatræ tonstrice, & Charmio: ab his summam rerum administrari. Prodigia ante bellum hæc evenisse perhibentur. Pisaurum colonia ab Antonio ad Adriam deducta, terræ hiatibus absorpta est. De saxeis Antonii apud Albam statuis quædam sudore fluxit, qui nonnullis abstergentibus per aliquot dies non cessavit. Apud Patras Antonio commorante, fanum Herculis de cœlo tactum conflagravit: Athenis Bacchus de giganto-

Prodigia.

toma-

tomachia ventorum impetu excussus, in theatrum decidit. Supra autem demonstravimus, Antonium genus suum ad Herculem, vitæ institutum ad Liberum retulisse, & Bacchum juniorem dictum fuisse: Idem turbo in colossos Athenis incumbens, solos Eumenis & Attali, qui Antonio inscripti erant, de tanta multitudine evertit. Circa prætoriam etiam Cleopatræ navim, quæ Antonias appellabatur, grave ostentum factum est. hirundines enim infra puppim nidificarunt: has aliæ supervenientes expulerunt, & pullos eorum *Antonij & Cæsaris copiæ.*
XX interfecerunt. Copiæ Antonii hæ fuerunt: naves pugnæ idoneæ
IX haud pauciores quingentis, in quibus octiremes & deciremes multæ terribili & superbo ornatu: centum peditum, & duodecim equitum millia: reges subditi auxiliabantur, Bocchus Africæ, Tarcondimotus superioris Ciliciæ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagoniæ Philadelphus, Commagenæ Mithridates, Sadales Thraciæ, præsentes omnes: auxilia miserant ex Ponto Polemo, ex Arabia Malchus, nec non Herodes Iudæus, & Amyntas Lycaoniæ & Galatiæ rex: aderat & à Medorum rege missum subsidium. Cæsar naves ad prœlium paratas habebat CCL. LXXX. peditum millia, & totidem quot Antonius equites. Suberant Antonio ab Euphrate & Armenia usque ad Ionium mare & Illyricum omnia: Cæsari quæ ab Illyrico usque ad occiduum Oceanum, & inde usq; ad Tyrrhenum & Siculum mare omnes provinciæ. Africam, quantum ejus à Gadibus Hispaniæ, Galliæ & Italiæ subtenditur, obtinebat: reliquum à
LXX Cyrena usque ad Æthiopiam, Antonius. Vsque adeò autē addictus Cleopatræ fuit Antonius, ut cùm peditatu longè quàm hostis esset potentior, in honorem illius classe victoriam voluerit quærere: idq; cùm penuria remigum videret à magistris triremium ex misera & multa jam perpessa Græcia abripi viatores, agasones, messores, impuberes, ac ne sic quidem remigium constare, sed plerasque difficulter agi. Cæsar autem classem Tarenti Brundusiique continens, navibus instructam non ad altitudinis molisve ostentationem paratis, sed agilibus, celeribus, & sociis navalibus defensoribusque præclarè impletis, ad Antonium mittebat, venire eum cum copiis, neque tempus terere jubens: se navibus ejus portus & stationes tutas præbiturum, & tanto spacio, quantum uno cursu confici ab equo potest, exercitum suum à littore dimoturum, dum tutò is excensionem & castra faciat. Contra hæc Antonius arroganter Cæsarem, tametsi senior, ad singulare prœlium provocabat: sin id subterfugeret, apud Pharsalum de summa rerum omnibus copiis de-
LXXX cernere secum, ut ante Cæsar & Pompeius fecissent, jubebat. Interim Antonio apud Actium naves in statione tenente eo loco, ubi nunc est Nicopolis, trans misso Ionio mari Cæsar Torynam (Epiri locus est) occupat. Ibi Antonio perturbato, quod terrestres copiæ nondum advenissent, Cleopatra illudens: Quid, ait, tandem mali est, si Cæsar in Toryna consedit? Antonius autem mane hostibus adnavigantibus metuens, ne ii naves ipsius propugnatoribus

destitutas caperent, remiges armatos in tabulatis constituit, ut ii conspecti, defensores putarentur: remigium quoque erexit & ad cursum instruxit, & ex utraque parte faucium portus Actiaci proris in hostem conversis naves constituit, tanquam ad pugnam promptas. Hoc quidem astu delusus Cæsar abiit. Aquam etiam scitè munitionibus quibusdam inclusit, eaque hostem arcuit, cùm quæ circum sunt loca, neque copiosam & vitiosam haberent aquam. Et Domitium humaniter tractavit, invita quidem Cleopatra. Cùm enim is jam febricitans parum lembum conscendisset, eoq; ad Cæsarem abiisset, indignè ferens, omnia tamen impedimenta, unà cum amicis & famulis, ei misit. Sed Domitius, quasi eum detrectæ perfidiæ ac proditionis pœniteret, mox mortem cum vita commutavit. Reges etiam Deiotarus & Amyntas ad Cæsarem defecerunt. Verùm LXXII
enimverò classis ab omnibus rebus male instructa, & ad omnem usum incommoda rursus Antonium coegit in terrestribus copiis omnem spem collocare. Et Canidius adeò, dux illarum, mutata ob præsens periculum sententia suasit, uti Cleopatra dimissa, in Thraciam vel Macedoniam se reciperet, atque ibi terrestri prœlio decerneret: nam & Dicomam Getarum regem magna auxilia polliceri. Porrò autem non facturum turpiter Antonium, si Cæsari bello Siciliensi exercitato, mari cederet: sed dignum reprehensione fore, si peritissimus terrestrium pugnarum robore & apparatu tam numerosarum copiarum uti nolit, sed eam in naves absumat. Vicit tamen Cleopatræ sententia, classi decertare jubentis: jam enim ad fugam se componebat, idque agebat, non quomodo ad victoriam plurimum conduceret, sed ut rebus eversis quàm facilimè evaderet. Erant à castris ad navium stationem longi muri brachiorum instar porrecti, per quos Antonius crebrò, nihil hostile metuens, transibat: eò Cæsar, edoctus à quodam servo posse Antonium capi transeuntem, misit qui eum interciperent. Ea res tam propè confecta, ut qui Antonium præcedebat, eum ex insidiis coorti Cæsariani apprehenderint, & Antonius vix cursu evaserit. Postquàm navali LXXIII
prœlio decernere placuit, Antonius omnes naves cremavit, LX. Ægyptiacis demptis: optimas autem & maximas à decmiremibus usque ad triremes militibus implevit, inque eas viginti millia gravis armaturæ militum imposuit, & duo sagittariorum millia. Cùm quidem tribunus quidam (ut fertur) militum, qui Antonii auspiciis sæpe pugnas obiverat, & plurima vulnera acceperat, præsente Antonio lachrymas edidit, &: Cur, inquit, cicatricibus istis & gladio huic diffidens, in malis lignis spem ponis imperator? Ægyptii & Phœnices mari certent: nobis terram da, in ea stantes mori aut vincere hostes consuevimus. Ad hæc Antonius nihil respondit, manuque tantùm & vultu innuens, debere eum bono esse animo, abiit, jam tum non optimè sperans: quippe & rectores vela omittere volentes, coegit in naves imponere, usum eorum fore in persequendis hostibus dicens, quorum neminem fuga evadere esset passurus.

Illa die, & quod insecutum est eam triduò, magno vento agitatum mare pugnam remoratum est. Quinto die cùm omnes venti posuissent, summaq; esset tranquillitas, commissum est prœliū. Dextrum cornu Antonius, & Poplicola, lævum Cœlius tenebat, medium M. Octavius, & M. Iustejus. Cæsar autem sinistrum cornu Agrippę mandavit, dextro ipse præfuit. Peditatui Antoniano Canidius, Cæsariano Taurus præfectus, aciebus in littore instructis quiescebant. Antonius undique circumiens, milites remis hærentes hortabatur, ut navium mole freti, tanquam ex terra pugnarent, gubernatores, ut navibus veluti stantibus sensim impetum hostium exciperent, & sibi ab iniquitate locorum apud fauces caverent. Cæsari autem, cùm nondum sublatis planè tenebris tentorio digressus circum naves ambularet, quidam asinum agens occurrisse traditur: isque interrogatus quis esset, respondisse: sibi Eutycho, asino Niconi nomen esse. est autem Eutychus Latinis *fortunatus*, Nico *vicens*. Ejus ominis causa Cæsar, cùm locum istum rostris navium ornaret, æreum asinum & hominem ibi posuit. Cùm autem ordines specularetur, navigio in dextram advectus, miratus est hostes in faucibus se continere quietos: etenim is erat Antonianæ classis aspectus, ac si naves jactis ancoris starent: idque aliquandiu ita esse Cæsar credidit, ob eamq; causam mille ab hoste passibus suas continuit. Sexta jam diei hora erat, & ventus ab alto incumbebat, cùm Antoniani moræ impatientes, altitudine & mole suarum navium freti, easque ab oppugnatione tutas putantes, lævum cornu moverunt. Quod ut vidit Cæsar, gavisus est, ac retrò avertere cornu dextrum suum cœpit, cupiens extra sinum & fauces educere hostes, ut agilibus suis navibus circumveniret & oppugnaret hostium naves, mole sua & remigum defectu tardas. Commissa pugna, mutui navium impetus ac collisiones nullæ fuerunt: nam & Antonii naves ob molem impetu destituebantur, qui maximè ictui navis illisæ alteri robur suppeditat: & Cæsariani non modò adversis proris concurrere cum gravibus & æratis rostris cavebant, sed ne in latera quidem audebant invadere. facilè enim rostra suarum navium frangi videbant, impacta navigiis, quæ ex magnis quadratis lignis ferro compactis constabant. Pedestri itaque prœlio, aut verius oppugnationi murorum similis erat pugna, cùm tres simul aut quatuor naves Cæsarianæ unam Antonianam circumdantes, pilis, hastis, contis, & facibus ardentibus oppugnarent: Antoniani etiam balistis à turribus ligneis tela torquerent. Cùm verò Agrippa alterū cornu ad circumveniendos hostes abduceret: Poplicola contra tendere coactus, à mediis abruptus est. Qui cùm perturbati cum Aruntio congrederentur, incertoque adhuc pugnaretur eventu, subitò sexaginta Cleopatræ naves sublatis velis fugere per medios pugnantes conspectæ sunt. Constitutæ autem fuerant post magnas naves: itaq; tum per eas se proripientes, suos conturbabant: hostes autem mirati quidnam rei esset, secundo eas vento versus Peloponnesum tendere animadverterunt.

Margin notes: *Actiacæ pugnæ descriptio.* (beside "Octavius, & M. Iustejus"); *Omen.* (beside "gatus quis esset"); XXXIV (beside "no Taurus præfectus" / "tonius undique"); XXXV (beside "gum defectu tardas" / "collisiones nullæ").

terunt. Ibi verò Antonius ostendit se neq; imperatoris, neq; adeò viri animum gerere, imò autem ne sui quidem ipsius animi compotem: sed ut quidam joco dixit, animum amantis in alieno vivere corpore, ita se à Cleopatra totum pendere, & unà trahi atque abripi, perinde ac si corpori ejus inolevisset. Simul enim & vidit navem ejus abvehi, & omnium illicò oblitus, proditis desertisque iis, qui pro ipso pugnabant, mortemque oppetebant, quinqueremem conscendit, solis Alexandro Syro & Scellio comitantibus, eam quæ ipsum & seipsam perdiderat secutus est. Illa signo à navi elato eum præstolata est. Receptus in navim, neque ipsam conspexit, neque conspiciendum se dedit, sed in proram solus concessit, ibique tacitus utraque manu caput tenens assedit. Interim Liburnides Cæsaris insequentes apparuerunt. Iussit igitur proram hostibus obverti: & cùm reliquas repulisset, Eurycles Laco acriter admodum institit ei, stans in tabulato, & hastam velut in ipsum conjecturus vibrans. Is cùm è prora interrogasset Antonius, quisnam ille esset, qui adeò se persequeretur: Eurycles, inquit, sum Lacharis filius & nunc fortuna Cæsaris ad persequendam patris mei injuriam utor. Lachares autem prędationis accusatus jussu Antonii securi percussus fuerat. Veruntamen non invasit in Antonii navim, sed alteram prætoriam navim (duæ enim erant) æreo rostro ictam circumegit, eamq; in latus versam cepit, aliamq; cum preciosa suppellectile. Eurycle evitato Antonius priori gestu recepto quietus in prora consedit; totumque solus ita triduum, quo Tænarum perventum est exegit, sive iratus Cleopatræ, sive ejus verecundia.

Tænari mulieres familiares primùm ad colloquium eos, inde ut unà cœnarent & cubarent, pertraxerunt. Iam eodem etiam multæ parvæ naves, & quidam amicorum conveniebant, nuntiantes classem periisse, terrestres autem copias adhuc ipsis videri integras. Itaque Antonius ad Canidium scribit, ut exercitum quamprimùm per Macedoniam in Asiam traducat. Ipse à Tænaro in Africam trajecturus, navim onerariam multa pecunia, aureaque & argentea supellectile regia onustam amicis dono dat, jubens ea inter se partiri, & saluti suæ prospicere: renuentes, & flentes, perquàm benignè & humaniter consolatus & deprecatus dimittit: Theophilo etiam, quem procuratorem Corinthi habebat, scribit, ut viros istos occultet, securitatemq; eis præbeat, dum à Cæsare veniam impetrent. Hic Theophilus Hipparchi pater fuit, ejus qui plurimum apud Antonium potuit, primusque libertorum ad Cæsarem transiit, ac deinde Corinthi habitavit. Apud Actium verò cùm classis Antoniana diu Cæsari restitisset, & maximè afflicta fluctibus fuisset qui ad proras magni ingruebant, decima tandem diei hora succubuit. Mortui sunt haud plures quinque millibus, captæ naves CCC. ut ipse Cæsar scribit.

Antonij in amicos fides.

Vt verò de fuga Antonii cognitum est, primò id incredibile videri, eum novendecim legionibus peditum, duodecim millibus equitum integris etiamnum relictis aufugisse: quasi verò non sæpe antę fortunæ vim in utranq; partem expertus,

neque

neque permultis certaminibus bellisque mutationem ejus pericli-
tatus fuisset. Milites autem & desiderabant absentem, & sperabant
eum ad ipsos aliunde adventurum: adeòque jam cognita fuga, tan-
tum fidei & virtutis ostenderunt, ut septem totos dies spretis Cæsa-
rianis legationibus in castris permanserint. Postquàm Canidius et-
iam noctu clam profugit, destituti ab omnibus, & proditi à duci-
bus, ita demum ad victorem concesserunt. Secundum hæc Cæsar
Athenas navigavit, & cum Græcis redintegrata gratia, frumentum
quod à bello supererat, urbibus divisit, miserè affectis, pecuniaque,
& mancipiis atq; jumentis spoliatis. Etenim proavus noster Nicar-
chus referre solebat, universos suos cives coactos fuisse dimensum
frumenti humeris ad mare quod est apud Antyciram deportare, fla-
gellis incitatos: cùmq; semel hoc fecissent, & jam secundò onus di-
mensum essent sublaturi, de Antonii clade allatum nuntium saluti
urbi fuisse: statim enim procuratoribus ejus & militibus fuga dissi-
LXXX patis, ipsos inter se commeatum partitos. At Antonius cùm Afri-
IX cam attigisset, præmissa à Parætonio in Ægyptum Cleopatra, abun-
dè solitudine perfruebatur, oberrans cum duobus solis amicis, Ari-
stocrate rhetore Græco, & Lucilio Romano: quem alibi demonstra-
vimus apud Philippos ut Bruto effugiendi facultatem pararet, se
Brutum tulisse, & insequentibus in manus tradidisse, servatumq; ab
Antonio, summa hunc fide usq; ad extremum coluisse. Cùm verò in
Africa etiam copiæ ab ipso ducis earũ impulsu defecissent, seipsum
interficere voluit, sed ab amicis prohibitus est. Vt Alexandriam per-
venit, Cleopatram reperit opus arduum & ingens aggressam. Inten- *Cleopatræ conatus.*
derat enim naves per Isthmum qui rubrum mare ab Ægyptio di-
stinguit, videturque Asiæ & Africæ limes esse, qua is maximè utro-
que mari arctatur, & strictissimus CCC. stadiorum latitudine patet,
classem transferre in Arabicum sinum cum exercitu & magna vi pe-
cuniæ, ibique servitute & bello evitato habitare. Sed postquàm na-
ves, quæ primæ eò tractæ fuerant, Arabes circa Petram habitantes
combusserunt, cùm etiam Antonius putaret copias apud Actium
suas integras esse: dimisit eum conatum, & aditui in Ægyptum oc-
XC cludendo se dedit. Antonius urbe & amicorum consuetudine o-
missa, aggere in mare apud Pharum immisso, habitationem sibi ma-
ritimam confecit, in eaque exul hominum degebat, Timonis vitam
se imitari eaque delectari dicens, eademque perpessum: nam se
quoque ab amicis malam gratiam referentibus affectum injuriis, o-
mnes homines odisse, omnibus diffidere. Fuit is Timon Athenien-
sis, & tempore belli Peloponnesiaci vixit, ut ex Aristophanis & Pla-
tonis fabulis apparet: ab his enim traducitur ut morosus, & osor ho-
minum. Is Timon, cùm omnium hominum congressum vitaret atq;
aspernaretur, solum Alcibiadem juvenem tunc ferocientem saluta-
bat benignè, atque amplectebatur: & Apemanto miranti, causam-
que percontanti: Amo, inquit, adolescentem, quod eum novi Athe-
niensibus multorum malorum causam fore. Apemantum enim

 istum,

istum, ut similem sui, & ejusdem vitæ sectatorem, aliquando ad se admisit: & semel cùm Chœphorica sacra celebrarentur, unà duo isti cœnavere. cùm quidem Timon Apemanto dicenti, præclarum esse id convivium, respondit: Et verò, siquidem tu abesses. Fertur ali- XCI
quando frequenti Atheniensium concione suggestum conscendisse: cùmque omnes novitate rei suspensi, taciti eum intuerentur, & magnum quippiam expectarent, ita locutum: Viri Athenienses, parvus est mihi agellus, in eoque ficus, de qua se permulti civium hactenus suspenderunt. cùm itaque statuissem ibi ædificare, publicè volui edicere, ut, si qui vestrûm velint, suspendant se antequàm ficus exscindatur. Mortui corpus Halis sepultum est, juxta mare: & littus procurrens subsedit, fluctusque erupit eò, & inaccessum hominis sepulcrum fecit. Inscriptio hæc fuit:

Hic jaceo invisæ abrupto spiramine vitæ:
Qui sim, ne rogitate: mali male sed pereatis.

Hanc quidem ipsum sibi fecisse dicunt. Callimachi hoc est quod circumfertur:

Hic habito Timon, hominum osor: tu modo perge,
Dira precare mihi plurima perge modo.

Hæc de Timone, de multis perpauca. Canidius autem ipse amissi XCII
ad Actium exercitus nuncium Antonio attulit: simulque annunciabatur, Herodem cum legionibus aliquot & cohortibus ad Cæsarem transivisse: defecisse etiam cæteros regulos, neque extra Ægyptum quicquam fidi esse. Nihil his perturbatus, sed quasi gauderet se cum solicitudine simul spem posuisse, maritimo suo domicilio, quod Timoneum nominabat, relicto, in regiam est à Cleopatra adscitus, urbem conviviis & donis replevit. Filium Cleopatræ & Cæsaris in ephebos retulit. Antyllo suæ & Fulviæ filio virilem togam dedit: ob hæc Alexandriæ per aliquot dies convivia & festivitates celebratæ. Ipse & Cleopatra vitæ genere, quod *Inimitabile* dicebatur, dimisso, aliud instituerunt, quod mollicie, luxuque & deliciis illi minimè concederet, eamque vitam *Commorientium* appellabant: amici enim inter se unà morituros adscribebant, & per ordinem redeuntibus cœnis genio serviebant. Cleopatra autem lethalium veneno- XCIII
rum omnigenas copias comparabat. & quum nullo aut levi dolore unumquodque eorum mortem adferret, in iis qui capitis damnati asservabantur periclitabatur. Cùm verò deprehenderet ea, quæ celeriter necant, magnum dolorem secum trahere, leviora autem celeritate carere, bestias etiam exploravit: ipsaque inspiciente, alii alia admota est. Id quotidie factitans, inter omnes propè unicum aspidis morsum animadvertit absque convulsione & gemitu gravem soporem & quasi veternum inducere, sudoremque mollem in facie, & sensuum hebetationem, quibus detenti facilè elanguerent, & se excitari aut moveri ægrè ferrent, veluti qui alto somno pressi jacent. Interim ad Cæsarem legatos in Asiam mittunt, Cleopatra li- XCIV
beris suis regnum Ægypti petens: Antonius, ut sibi privato Athenis,

Ad luxum redit.

Legatio ad Cæsarem.

si non

ſi non in Ægypto, liceret vivere. Penuria autem amicorum, & perfidia, ad Cæſarem ſubinde tranſeuntium, legare coactus eſt Euphronium liberorum ſuorum magiſtrum. (Alexas enim Loadicenſis Romæ Antonio cognitus opera Timagenis, & in ſummo de Græcis omnibus honore habitus, qui omnium inſtrumentorum, quibus Antonium Cleopatra ſubruit, validiſſimum fuerat, & ſana conſilia, quæ in ejus animo de Octavia ſteterant, everterat, miſſus tum ab Antonio ad Herodem, ut eum in fide retineret, prodito Antonio huic ſe adjunxerat: eoque fretus, auſus erat in conſpectum Cæſaris venire. Tametſi nihil ei profuit Herodes, quin ſtatim in vincula conditus Laodiceam deportaretur, ibique juſſu Cæſaris necaretur. & vivente *Perfidia punita.*

CV adhuc Antonio perfidiæ ſuæ meritas pœnas perſolveret.) Cæſar Antonij legationem non admiſit: Cleopatræ reſpondens, omnia æqua pollicitus eſt, ſi vel necaſſet, vel ejeciſſet Antonium: miſitque unà Thyreum libertum ſuum: hominem haud ineptum, neque imperitum ſubſerviendi imperatoris juvenis mandato ad mulierem faſtuoſam & mirficè forma ſua ſuperbientem. Is Thyreus cùm prolixius atq; reliqui cum Cleopatra colloqueretur, & in maximo haberetur honore, movit Antonio ſiniſtras ſuſpiciones: iſque eum correptum flagris cecidit, & ad Cæſarem remiſit, ſcribens in hanc ſententiam: Inſultans mihi, & me contemnens Thyreus irritavit, alioquin irritabilem ob adverſas res: quod ſi id factum gravius fers, habes meum libertum Hipparchum, hunc ſuſpende, & flagella, ut par reddas. Porrò autem Cleopatra Antonium ſuſpiciones ejus & offenſas diluens, ſummo ſtudio demeruit: cùmque ſuum natalem intra modum, & fortunæ convenienter celebraſſet, ipſius natalitia immenſo ſplendore & ſumptu egit: ita ut multi eorum qui ad cœnam vocati

CVI pauperes veniſſent, divites diſceſſerint. Cæſarem interim Agrippa crebris literis Romam revocabat, quod res urbis præſentiam ejus flagitare diceret: quo factum eſt, ut bello tempus produceretur. Exacta hyeme Cæſar rurſus per Syriam, legati ejus per Africam in Ægyptum duxerunt. Capto Peluſio, rumor extitit urbem eam à Seleuco non injuſſu Cleopatræ deditam: Cleopatra autem uxorem ejus & liberos Antonio necandos præbuit: ipſa cùm haberet cellas & monumenta pulchritudine & altitudine inſigni extructa apud fanum Iſidis, cui ea erant annexa, eo regiæ gazæ præcipua congeſſit, aurum, argentum, ſmaragdum, uniones, ebenum, ebur, cinnamomum: tum faces ſtupamque multam: ita ut Cæſar veritus ne rebus deſperatis mulier tantas opes incendio aboleret, ſemper miſſis nuntijs bonam ſpem ei oſtenderit, atque ipſe interim exercitum ad A- *Cæſaris bellum in Ægypto.*

CVII lexandriam duxerit. Cùm apud Circum caſtra poſuiſſet, Antonius, egreſſus præclarè pugnavit, fuſoſque Cæſaris equites uſq; ad caſtra eſt inſecutus. Hac elatus victoria, in regiam adijt, & armatus Cleopatram oſculatus eſt: atque hunc, cujus præcipua eo prœlio fuerat virtus, ei commendavit: quem Cleopatra aureo thorace & galea donavit. Iſque ea nocte cum præmijs ſuis ad Cæſarem perfugit. Rur-

ſum Antonius Cæſarem miſſo nuntio ad duellum provocavit: cùm-
que is reſpondiſſet, Antonio multas ad mortem vias patere, ſentiẽs
nullã quàm prœlio honeſtiorem mortis oppetendæ rationem eſſe,
ſtatuit terra mariq; cum hoſte congredi. Itaq; fertur in cœna famu-
lis juſſiſſe ut alacrius infunderent, quod incertum eſſet, an idem
cras facturi eſſent, an verò ipſo mortuo, & ad nihilum redacto, aliis
dominis miniſtraturi. Lacrymantes autem ad hoc amicos cernens,
dixit ſe non ducturum ad pugnam, qua mortem potius honeſtam,
quàm ſalutem & victoriam ſit quæſiturus. Ea nocte perhibent jam XCVIII
Prodigium. media, cùm civitas futuri metu expectationeque triſtis ac tacita
quieſceret, ſubitò omnis generis inſtrumentorum cantus concin-
nos exauditos eſſe, clamoremque multitudinis ovantis, & choreas
Satyricas ducentis ſtrepitum tumultumq; : graſſatum autem per
mediam urbem uſque ad exteriorem urbis portam, quæ hoſtibus
obverteretur: ea tumultum excidiſſe, cùm quidem fuiſſet maxi-
mus. Id oſtentum ita interpretantur, Antonium tum à Deo, quem
maximè imitatus fuerat, deſertum fuiſſe. Orto ſole peditatum An-
nius in tumulis ante urbem collocavit, naveſque ſuas quietus ſpe-
ctavit, quæ adverſus hoſtiles ſubvehebantur, ſperans eas aliquod
facinus edituras. Sed Antoniani cùm propè Cæſaris claſſem veniſ-
ſent, eam ſalutarunt, ſalutatique viciſſim Cæſarianis ſe adjunxerunt:
& una de duabus facta claſſis ad urbem proris converſis acceſſit. Sta-
tim etiam equitatus Antonium deſtituit: victuſque pedeſtri confli-
ctu, in urbem rediit, vociferans ſe à Cleopatra iis proditum, quos
propter iſtam hoſtes cepiſſet. Cleopatra autem iram ejus timens, & XCIX
Antonii interitus. rebus deſperatis inſaniam, in ſepulchrum confugit, & validis ſeris
ac obicibus munitum oſtium penſile demiſit, miſſis ad Antonium,
qui mortem obiſſe ipſam renuntiarent. Antonius ita eſſe rem cre-
dens, hæc ad ſeipſum: Quid præterea cunctaris Antoni? ſolam uni-
cãq; cauſam cur vivere cuperes, fortuna abſtulit, ſtatimq; ingreſſus
in conclave thoracem ſolvit, atq; dimovit, & : ô Cleopatra, inquit, nõ
dolet mihi quod te ſpoliatus ſum: mox enim ad te perveniam: ſed
quod tantus imperator animi fortitudine à muliere victus ſum. Erat
Antonio ſervus, nomine Eros, quem jampridem hortatus fuerat, ut
juſſus ipſum interficeret. Is cùm id quod olim in ſe receperat, tum
præſtare juberetur, ſtricto gladio, cùm Antonium videretur icturus,
averſo vultu ſeipſum cõfodit, & ad heri pedes accidit. Tũ Antonius:
Bene, inquit, ô Eros, qui quod facere nõ poteras, mihi quomodo fa-
ciendum eſſet oſtendiſti: ſimulq; vulnus ſibi in ventrem ingeſſit, &
in lectum ſe demiſit. Verùm ea plaga non ſtatim exanimatus fuit:
itaq; impetu ſanguinis, ut decubuit, repreſſo, viribus reſumptis
præſentes oravit, ut ſe jugularent. Illi verò è domo profugerunt, cla-
mantẽ atq; calcitrantem relinquentes: tãdem Diomedes Scriba ve-
nit, miſſus à Cleopatra, jubenſq; eum ad ipſam adferri. Antonius C
Cleopatram vivere cognito, ſtatim tollendum ſe famulis præbuit:
manibuſq; eorũ ad fores uſq; domicilii, in quo ea erat, portatus eſt:
Cleo-

Cleopatra foribus non apertis, de fenestra se conspiciendam præbuit, catenisq; & funibus demissis, ijs implicatum ipsa, & duæ quas solas secum in monimentum receperat mulieres attraxerunt. Qui interfuerunt, nullum eo miserabilius spectaculū extitisse asserunt. Sanguine enim repletus, & moribundus in altum attrahebatur, manus Cleopatræ intendens: non enim facilè id opus mulieribus fuit, sed ægrè omninò Cleopatra manibus funi innexis prona in faciē in sublime pertraxit, acclamantibus qui infra adstabant, hortatuq; cōmunem anxietatem testātibus. Postquàm eum accepit, & reclinavit, vestes super eo suas discidit, pectus percussit, manibusq; laniavit, faciem sanguine ejus inquinavit, dominum eum invocās, & maritū, & imperatorem: suorumq; propè oblita est malorū præ ejus misera-
CI tione. Antonius cùm lamentationem ejus sedasset, vinū poposcit, incertum an sitiēs, an eò citius se animā exhalaturum sperans: postquàm bibit, hortatus eam est, ut suis rebus, quantum citra dedecus posset, consuleret, & ex omnibus Cæsaris amicis Proculeio potissimū fidem haberet: ipsum verò ob extremam hanc mutationem non lugeret, sed beatum potius prædicaret, tot bonis perfunctū, & clarissimam famam adeptum, summamq; potentiam, nūc quoq; citra turpitudinē victum, Romanum à Romano. Vix dum expiraverat, cùm à Cæsare missus Proculeius adfuit. Nam simul atq; Antonius vulnere sibi illato ad Cleopatram gestatus fuit, Dercetæus quidam stipatorum pugionem eum occultè abripuit, & ad Cæsarem clam accurrit: primusq; ei de Antonij obitu retulit, cruētum ostendens pugionem. Cæsar eo nuncio accepto, in tentorij parte interiori substitit: deploravitq; virum, collegam quondam suum & affinem, præterea multorum bellorum ac negociorum socium. Literis deinde arreptis, amicos convocavit, & coram ijs recitavit, ut viderent, quàm justa & æqua ipse scripsisset, & quàm superbè semper Antonius respondisset. Proculeium deinde misit, mandans, ut si qua ratione posset, Cleopatram vivam in potestatem redigeret: nam & pecuniæ ejus metuebat: & triumpho suo plurimum gloriæ accessurum intel-
CII ligebat, si ipsam in eo duxisset. Sed Cleopatra, manibus Proculeij se credere noluit: ad fores in plano sitas aggressus, validè admodum munitas, voci tamen pervias, collocutus est cum ea in monumento se continēte. Petebat autem liberis suis regnum, Proculeio consolāte, & ut Cæsari omnia crederet jubente. Vt verò loci naturam speculatus, Cæsari rē detexit, rursum Gallus missus est qui cum ea colloqueretur: cùmq; is ad fores adstans, sermonē de industria traheret, interim Proculeius admotis scalis ad fenestrā, qua receptus fuerat Antonius, evasit cū duobus famulis: statimq; ad fores ipsas, ubi adstabat Cleopatra descendit. Illa, altera una inclusarū mulierū vociferāte: Viva caperis ô misera Cleopatra, cōversa, ut vidit Proculeium, sica qua tū forte accincta erat, ferire seipsam intēdit. sed Proculeius celeriter accurrens eam utraq; manu corripuit, &, teipsam, Cæsaremq; injuria afficis, insignem ei humanitatis suæ demonstrandæ occa-

Cleopatra capitur.

occasionem præripiens, & perfidiæ implacabilitatisq; insimulans clementissimum imperatorem: simul & gladium ei ademit: & vestem, ne quid veneni occultaret, excussit. Missus est etiam à Cæsare Epaphroditus libertus: cui injunctum erat, ut vivam eam omni cura adservaret, cætera omnia quàm jucundissima ei præberet. Ipse au- CIII
tem Cæsar Alexandriam invectus est, cum Ario philosopho colloquens dextramq; ejus tenēs, ut is divino in honore ab ipso habitus, statim in oculis civium admirationeq; esset. Gymnasium deinde ingressus, suggestum ad id erectum conscendit: Alexandrinisq; metu consternatis, & ad terram collapsis, surgere jussit: Omni se culpa liberare populum dicens, primum ob Alexandrum urbis autorē, deinde ob admirabilem urbis pulcritudinem, tertio in gratiam Arij amici. Hoc honoris propter Cæsarem adeptus est Arius, multosq; etjam alios servavit. Horum unus fuit etiam Philostratus, ad dicendum ex tempore ut quisquam alius istius ætatis rhetorum paratissimus, sed qui se inter Academicos importunè ingereret: itaque Cæsar etiam mores ejus abominans, preces aspernabatur, ille verò canam demittens barbam, & pullum amictum gerens, Arium à tergo sequebatur, hunc identidem versum occinens:

Cæsaris humanitas.

Sapiens sapientibus est saluti si sapit.

Quod cùm cesset ad Cæsarem allatū, magis ut Arium invidia, quàm CIV
metu Philostratum liberaret, hominum missum fecit. De liberis autem Antonij, Antyllus Fulvia natus, à Theodoro pædagogo traditus ad necem est. Cujus cùm caput milites amputassent, gemmam preciosissimam, quàm in collo gestaverat, surripuit Theodorus, cinguloq; insuit: cùmq; eam se habere negaret, & manifestus furti factus esset, in crucem actus est. Liberi Cleopatræ unà cum alumnis in custodia liberaliter habiti sunt. Cæsarem verò, cujus pater Iulius Cæsar ferebatur, à matre cum magna vi pecuniæ per Aethiopiam in Indiam amandatum, Theodoro similis pædagogus Rhodon ut rediret persuasit, à Cæsare eum ad regnum accersi dicens. Deliberante super eo Cæsare, Arius dixisse fertur:

Haud equidem expediet tibi multos Cæsares esse.

Hunc itaq; post Cleopatræ interitum occidit. Multis verò regibus, multis ducibus Antonium ad sepulturam petentibus, cadaver ejus Cleopatræ non præripuit: sed illius manibus tumulari passus est, regio luxu, omnia quæ vellet suppeditans. Illa cùm ex luctu tanto & doloribus (nam pectus ob ictus intumuerat, & exulcerabatur) in febrim incidisset, gavisa est eo se prætextu cibo abstinendi, & vita se nemine obstante privandi facultatem nactam: & Olympo medico familiari suo re indicata, eum consultorem & adjutorem in consumendo corpore suo habuit, ut ipse Olympus edita harum rerum historia testatur. Cæsar cùm id sensisset, minas de nece filiorum obje- CV
cit: quibus ea quasi machinis subruta, corpus curandum alendumq; volentibus præbuit. Paucis post diebus ipse Cæsar eam colloquendi & consolandi causa adijt. Recumbebat tum lectulo humi strato: in-

ingressoque Cæsare exiluit, & ad pedes ejus accidit, unica tantum tunica velata, caput & faciem graviter fœdata, voce tremula, oculis colliquatis, multisque in pectore verberum & unguium notis extantibus, atque corpore quàm animo haud levius affecto. Gratia tamen & protervitas formæ haud planè extincta erat, sed sic quoque afflicta elucebat è vultu. Cùm recumbere eam Cæsar jussisset, & juxta assedisset, orsa quidem excusationem quandam est, metu & vi Antonii acta, quæ egisset, dicens: singula autem Cæsare refellente, victa ad deprecationem se convertit, summam vitæ cupiditatem præ se ferens: tandem consignationem reconditarum pecuniarum
Cæsaris cum Cleopatra colloquium.

cvi ei tradidit. Ibi cùm Seleucus quidam, unus de procuratoribus eam argueret, quod subtraxisset quædam, exiluit, crinibusque arrepto pugnos in faciem ingessit: subridente Cæsare, & eam inhibente. An non indignum est, inquit, ô Cæsar facinus, cùm tu me ita miseram convenire & alloqui dignatus sis, servos meos audere me accusare, quod de mundo muliebri aliquid reservarim? non profectò id mei ornandæ causa, sed ut Octaviæ & Liviæ tuæ iis munusculis datis, earum opera te clementiore utar. Gratus is sermo Cæsari fuit, omninò eam vivere cupere putanti: itaque id modò fatus, se ei cùm hoc liberum facere, tum spe majorem suam humanitatem ipsam experturam, abiit deceptus, cùm se ei imposuisse ipse opinaretur. Erat inter amicos Cæsaris Cornelius Dolabella, illustris juvenis: is Cleopatræ, cui nonnihil cupiebat, clam misso nuncio indicat, Cæsarem per Syriam terrestri itinere reditum parare ipsamque cum liberis tertio die amandaturum. Quo ea accepta nuncio, precibus à
cvii Cæsare impetravit, uti sibi liceret Antonio parentare. Allata ad sepulcrum, unà cum familiaribus mulieribus ad tumulum ejus accidit: Nuper, inquit, mi Antoni, liberis te manibus sepelii, nunc inferias serva fero, & in custodia habita, ne corpus meum, quod ad triumphum de te agendum servatur, planctu & luctu dehonestem. Alios porrò honores, alia justa ne expectaveris: hæc tibi postremum peragit Cleopatra. Etenim vivos nos nihil divulsit: periculum autem est ne morte nostra loca permutemus, ut tu Romanus hìc, ego infelix in Italia jaceam, hoc unum de tua patria nacta. Quod si qua tamen Romanorum Deorum (nostri enim nos prodiderunt) vis est, & virtus, te obsecro, ne me dimittito vivam tuam conjugem: neque patere ex te in meo corpore triumphari, sed hìc me tecum absconde, & sepeli: nam de innumeris quæ passa sum malis, nihil mihi fuit grave ita atque durum, quàm exiguum illud temporis spacium, quo sine te vixi. Hæc lamentata tumulum coronavit ac deosculata est, sibique lavacrum parari jussit. Postquàm lavit, splendido apparato prandio accubuit. Interim ab agro quidam venit, cistam portans, interrogatusque à custodibus quid ferret: aperiens eam, & folia dimovens, ficubus repletum vasculum ostendit: mirantesque pulcritudinem & magnitudinem earum, ridens accipere de iis si vellent jussit: itaque facta fide intrò afferre jussus est.
Cleopatræ luctus.

est. A prandio Cleopatra tabulam conscriptam & obsignatam ad CVIII
Cæsarem misit:reliquisque,præter duas istas,de quibus supra mentio est facta,mulieres remotis,fores clausit. Cæsar cùm apertis literis lugubres deprecationes legisset, orantis ut unà cùm Antonio sepeliretur,statim quid actum esset intellexit:ac primus ipse statuit accurrere:deinde mutata sententia alios eò adire, & quid rei esset, explorare jussit. Sed acta res celeriter fuit. Cùm enim cursu ad ædes perrexissent, & custodes nihil sensisse intelligerent, foribus apertis,Cleopatram mortuam in aureo lecto recumbentem offenderúnt,regio ornatu. De mulieribus altera, Eiras nomine,ad pedes ejus animam agebat:altera,cui Charmium fuit nomen,titubans jam & capite nutans diadema in capite Cleopatræ cõponebat. cui cùm iratus quidam diceret: Hæccine pulcra ò Charmium? Sanè inquit, pulcerrima, & digna tot regum progenie. nulloque præterea verbo emisso,exanimis ad culcitram accidit.Traditum est aspidem jus- CIX

Cleopatræ mors.

su Cleopatræ ficubus & foliis ita obtectam allatam fuisse, ut serpens ipsius ignorantis corpus invaderet: itaque ut eam ficubus dimotis conspexit,dixisse: Hic ergo est illud? & nudatum brachium morsui exhibuisse. Alii in seria inclusam aspidem adservatam dicunt,& aureo fuso à Cleopatra irritatam brachium arripuisse. Quid verum sit,nemo novit:quando id quoque memoratur, eam venenũ in fistula contentum capillis suis tecta gestasse. Cæterùm neq; macula in corpora ulla,neque aspis reperta est: tractus modò vestigia aliquot apud mare,quà id domus & fenestræ respiciunt,visos ajunt. Quidam in brachio Cleopatræ duas tenues & obscuras puncturas conspectas perhibent,quibus & Cæsar videtur assensus: nam in triumpho Cleopatræ imago, & anguis brachio inhærentis illata est. Enimverò Cæsar, quanquam morte Cleopatræ magnum cepisset dolorem,indolem tamen ejus admiratus est, sepelirique eam cum Antonio splendidè regioque ornatu jussit: ejusdem jussu mulieres etiam honorificè sepultæ. Mortua est Cleopatra, annos nata CX

Posteritas Antonii.

xxxix,ex quibus viginti duo regnavit,socia regni amplius quatuordecim fuit:Antonius sex,aut(ut alii volunt)tres supra quinquagesimum annos vixit.Hujus statuæ dejectæ sunt:quod idem ne Cleopatræ etiam statuis accideret,Archibius quidam ejus amicus mille talentis à Cæsare redemit. Fuerunt Antonio ex tribus uxoribus septẽ liberi;de quibus solus Antyllus,natu maximus,est à Cæsare interfectus:reliquos Octavia cum suis educavit, & Cleopatram Cleopatra natam Iubæ regi venustissimo nuptum dedit. Antonium vero Fulviæ filium eo evexit:ut cùm apud Cæsarem primus locus Agrippæ, secundus Liviæ filiis esset, is tertium obtineret. Cùm verò ex Marcello duas haberet filias Octavia,& unum filium Marcellum, hunc Cæsar sibi simul & filium & generum adscivit: filiarum alteram Agrippæ matrimonio conjunxit. Sed posteaquàm Marcellus, nuper admodum celebratis nuptiis, fato obiit, neque Cæsari fidelem generum de reliquis amicis deligere in promptu fuit, ei & Agrippæ Octa-

Octavia persuasit, ut hic Cæsaris filiam duceret, Marcella dimissa: quam Antonio collocavit. Duæ supererant Antonii & Octaviæ filiæ: harum alteram Domitius Ænobarbus, alteram pudicitia & forma nobilem Antoniam Drusus Liviæ filius Cæsaris privignus duxit, & ex ea Germanicum atque Claudium genuit. ex his Claudi⁹ posterius imperium tenuit. De Germanici liberis Cajus cùm haud diu imperasset, unà cùm uxore & filia est occisus: Agrippina cùm ex Ænobarbo filium L. Domitium sustulisset, Claudio Cæsari nupsit, qui & filium ejus adoptavit, ac Neronem Germanicum appellavit. Is Nero nostra ætate rerum potitus, matrem necavit: parumque abfuit quin sua væcordia Romanum imperium pessundaret, Quintus ab Antonio ratione stirpis fuit.

DEMETRII ET ANTONII comparatio.

III Cùm uterq; horum maximas sit rerum expertus vicissitudines, primo loco eorum potentiam & amplitudinem expendamus. Ea Demetrio paterna fuerunt, & jam ante parta: quippe inter Alexandri successores plurimum Antigonus potuit, & majorem Asiæ partem, antequàm Demetrius adolevisset, occupavit. Antonius verò patre, egregio quidem viro, sed neque bellis claro, neque magnum ullam ad gloriam momentum suis relinquente natus, ausus est Cæsaris imperium, nihil ad se propinquitatis ratione pertinens invadere, & hæreditatem eorum quæ maximis ille laboribus paraverat, sibi vendicare. Et quidem fretus his, quæ in seipso reposita habebat, eò usque processit, ut universo Romano imperio in duas portiones distributo, alteram ipse delegerit, illustrioremque earum nactus sit: absensque administrorum & legatorum opera Parthos aliquoties vicerit, & ad Caucasum accolentes gentes barbaras usque ad mare Caspium repulerit. Testantur ipsius magnitudinem & ea, ob quæ male audivit. Nam Antigonum non pœnituit Philam Antipatri filiam Demetrio ut præstantiorum impari ætate conjungere: Antonio Cleopatræ connubium vitio est datum, mulieris quæ potentia & splendore omnes ejus ætatis, excepto Arsace, reges antecelleret. Ita verò suam ipse amplificavit potentiam, ut aliis majoribus etiam, quàm appeteret, rebus dignus videretur. Porrò institutum imperii adipiscendi in Demetrio reprehensione vacat, qui regnum obtinere in homines regi assuetos, & regem desiderantes cuperet: Antonii iniqua fuit & tyrannica cupiditas, Populum Romanum in servitutem redigendi, quam nuper Cæsaris morte effugisset. Et verò bellum contra Cassium & Brutum, quod omnium ipsius facinorum maximum est & nobilissimum, eripiendæ civibus & patriæ libertatis causa ab eo gestum est. At Demetrius etiam prius quàm fortuna ipsi necessitatem imponeret, Græciæ liberandæ, præsidiisque ex urbibus depellendis operam impen-

Potentia.

XIII *Cupiditas dominandi.*

Liberalitas. impendit: cùm Antonius se occisis in Macedonia Romæ liberatoribus jactaverit. Iam liberalitate, ob quàm unicè laudatur Antonius, ita fuit à Demetrio superatus, ut hic hostibus largitus sit, quæ ne amicis quidem ille. Laudi sanè datum Antonio fuit, quod tegi & sepeliri Brutum jussisset: at Demetrius & cæsos hostes universos humavit, & captos unà cum pecunia & muneribus Ptolemæo remisit. Fuit quidem uterque rebus secundis voluptatibus, deliciis & libi- CXIV
dini obnoxius: veruntamen Demetrium nemo dixerit iis indulgentem, rerum interim gerendarum ullas occasiones amisisse. Etenim *Luxuria.* abundantiæ, ocii voluptates adjungebat: & Lamiam suam, veluti eam quæ in fabulis est, animi causa oscitabundus ac ludens tractabat: bello instante, non hedera cingebatur hasta ejus, neq; unguentum olebat galea, nec nitidus floridúsve ex gynæceo ad pugnam prodibat: sed sopitis choris, & orgiis Bacchi, minister Martis (ut ait Euripides) prophani erat: omninòque nulla ei unquam ob voluptatis studium aut socordiam clades accidit. Antonium verò Cleopatro, quemadmodum Herculem Omphale pingitur clava spoliare, & leonis pelle exuere: sæpenumero dearmatum emollitumque permovit, ut magnis rebus, necessariisque expeditionibus omissis, in littoribus circa Canobum & Taphosirin vagaretur atque colluderet. Denique veluti Paris ex prœlio aufugiens, in ejus se gremiũ recipiebat: nisi quod Paris victus in cubile fugiebat; Antonius Cleopatram persequens certam propositam victoriam dimittebat. Ad CXV
hæc Demetrius nulla lege prohibitus, sed Philippi & Alexandri exemplo receptam Macedoniæ regibus consuetudinem secutus, *Vxores.* plures uxores duxit, sicut & Lysimachus & Ptolemæus: omnes autem, quas duxisset, honorificè tractavit. Antonius autem cùm duas uxores simul habuit, quod nemo unquam Romanus ante ausus fuerat: tum civem, & legitimam conjugem ejecit in gratiam peregrinæ & contra leges adscitæ. Itaque illi ob nuptias nullum, huic *Lascivia.* gravissima evenerunt mala. Veruntamen ob lasciviam nullum tale ab Antonio, quale à Demetrio flagitium est commissum. Nam historici referunt, arce Atheniensi solitos canes omninò arceri, quod id animal palam coit: Demetrius ipsa in æde Minervæ virginis cum scortis cõcubuit, multas cives Atticas stupravit: & quod extremum potest hisce libidinibus adjungi crudelitatis malum, id cupiditas voluptatum ejus admisit, qui passus est, imo autem adegit pulcher- *Impietas in suos.* rimũ & pudicissimum Atheniensiũ miseranda morte, dum stuprum fugit, perire. In summa Antonius seipsum sua intẽperantia, Demetri⁹ alios injuria affecit. Adversus parẽtes nihil quod culpari possit CXVI
Demetrius egit: Antonius matris fratrẽ necandum cõcessit, ut Ciceronis occidendi facultatẽ redimeret: quod facinus per se scelestum & immane est adeò quidem ut vix veniam meruerit Antonius, si ne- *Perfidia.* ce Ciceronis salutem avunculi repræsentasset. Quod ad perjurium amborum & fœderum violationem attinet, Antonio quod Artabazũ cœpit, causa fuit haud obscura: fuerat enim ab eo in Media desertus

fertus atque proditus: Demetrium plerique falsa crimina ferunt excogitasse contra Alexandrum, quem interfecisset, & accusasse, quasi eum non affecisset injuria, sed se, læsus ab eo, defendisset. Rerum præterea gestarum laus Demetrii propria est: Antonius absens per legatos maximis & pulcerrimis est potitus victoriis. Exciderunt autem rebus uterque sua ipsius culpa, sed dissimili modo. Demetrius enim à Macedonibus desertus est, Antonius pro se pugnantes deseruit. ut culpandus ille sit, qui suos sibi milites ita infestos fecerit: hic, quod suos ita ipsi fides & benevolos destituerit. Mortem laudare neutrius possumus. Magis tamen reprehendendus Demetrius, qui captivus fieri sustinuerit, inque custodia habitus trienium lucrari, quod vino & gulæ, belluæ instar, mancipatus exigeret. Antonius trepidè quidem, & miserabiliter, & indecorè, attamen prius, quàm corpore ipsius hostis potiretur, sese vitæ subduxit.

Gloria rerum gestarum.

INTERPRETIS ANNOTATIONES, in Antonium.

ANtonius cognomento Creticus.) *In Græco est* Criticus) *ut Aretinus reliquit: & Amiotus explicavit* judiciarium) κριτικὸς: *sed mendosè pro* κρητικὸς, Critici *cognomen ego tribui huic posse non puto: Creticum vocari à bello contra Cretenses gesto arbitror, argumento eorum quæ apud Florum lib.3.7. in Epitoma Liviana* XCVII. *& alibi leguntur.*

Cap. 2. Nempe sexagies sestertiûm.) πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων. CCL. *talentorum. Cicero Philippica secunda hanc rem ita describit:* Recordare tempus illud, cùm pater Curio mœstus jacebat in lecto, filius se ad pedes meos prosternens lacrymās te mihi commendabat: orabat, ut te contra suum patrem, si HS. sexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te intercessisse dicebat, &c. *Ciceronis verbis in summa hac exprimenda Latinè malui uti, quàm talenta ponere. Idem verò esse* CCL. *talenta & sexagies sestertiûm, ostendimus in vita Ciceronis.*

Cap. 10. Cùm ejus triremes multis parvis scaphis arcuisset. πολλὰ τῶν λ. ακ.τ.τ. αὐτῦ περιστήσας. *non* περισώσας. *Interpres* ὑπαλλαγλὼ *fecit. non enim Antonii triremes fuerunt sed Libonis. Totum stratagema describit ipse Cæsar venustè, lib.3. belli Civilis.*

Cap. 11. Profundos sinus.) ἀγχιβαθεῖς φάραγγας. Præceps & scopulosum littus, *interpres.* φάραγξ *inter alia hiatum seu fissuram terræ significat, quæ aquam incidentem absorbeat, Varinus. Voce* ἀγχιβαθὴς (*rectius enim legitur hoc modo, quàm* ἀγχιβαθὴς) *etiam Homerus usus est Vlyss.v.*

φάραγξ. ἀγχιβαθὴς.

ἀγχιβαθὴς ἡ θάλασσα, καὶ οὔπως ἐςὶ πόδεσσι
ςήμεναι ἀμφοτέροισι, καὶ ἐκφυγέειν κακότητα.

Quod exponit Eustathius, littus ubi altum sit mare.

Cap. 12. Magistrum equitum Romam mittit * est autem, &c.) De hoc loco quod statuam, non habeo. ἀντώνιον δήμαρχον ἑλόμενος εἰς ῥώμην ἔπεμψεν, Antonium tribunum plebis, &c. Et verò quæ de tribunitia potestate sequuntur, vera per se sunt, & historiæ Romanæ non rudibus cognita. Sed adduci, ut credam Plutarchum hoc loco ab omnibus aliis autoribus dissensisse, vix potero. Nihil est enim notius, quam Cæsare iterum dictatore, Antonium magistrum equitum (ἵππαρχον, non δήμαρχον) ei adjunctum fuisse. Id ostendit copiosè Dio, & apertè in hujus historiæ luculenta narratione, lib 42. contentionem etiam ejus cum Dolabella persequens stylo. Idem in Philippica secunda Ciceronis est. Denique cur Antonium eo tempore Romam tribunum plebis mitteret, ne causam quidem fuisse existimo: nihil enim istis artibus & tumultibus tribuniciis Cæsari ad id quod volebat opus erat, sed iis quæ erant in Antonio maxima, insolentia, & quæ constituendæ stabiliendæque tyrannidi conduceret, injusta & legibus contraria dominatione, qualem tum fuisse Antonii magistri equitum, ex Dione apparet. Quid ergo (inquies) Plutarchus hæc de tribb. plebis potestate hoc loco commemorat, si ἵππαρχον, ut tu vis, non δήμαρχον, est, legendum? Dicam. Suspicor intercidisse aliquot versus post hæc verba, εἰς ῥώμην ἔπεμψεν. Illis autem versibus descriptam fuisse ἀναρχίαν ipsam & confusionem quæ tum Romæ fuit, cum Cæsare iterum populi, & Antonio equitũ magistro creato, neque consul esset, neq; prætor, uti perspicuè est à Dione nostro explicatum. His deinde malis accessisse tribunicias illas contentiones & turbas, quæ veluti unguis essent in ulcere. Causam autẽ redditam obiter à Plutarcho, cur tribunis licuerit quicquam moliri dictatore creato & magistro equitum præsente, reliquis magistratibus abolitis. Cætera interpretari, & de tribb. pleb. potestate commentari, non est hujus operæ. Hanc autem medicinam puto adhiberi huic Plutarchiano loco posse, atq; haud scio an nullam aliam. Quod si quis integrum locum esse putat, ipse viderit: modò ne in eum finem contendat, ut optimum & minimè imperitum autorem calumniandi occasionem captet. Sanè in vita Ciceronis quoq; χιλίαρχοι legitur, pro δήμαρχοι. quam cavillandi ansam arripuit Corradus.

Cap. 13. Ille quidem Antonio. ὁ δὲ ad Sergium mimum refert. Cicero ad mimam in secunda Philippica. Interpres non advertit.

Cap. 16. D. Brutus Albinus.) In Græco sunt duo insignia menda, λαβῖνος pro ἀλβῖνος, & ἀδελφῆς pro ἀδελφιδῆς. De quibus apud Dionem monuimus. Albinus rectè in Cæsare legitur.

Cap. 17. Cæsar autem magistratu eos dejecit.) καίσαρ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστησαν. insigne mendum, & historiæ contrarium: quod & Aretinus senserat. Legendum est καῖσαρ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστησεν, nempe illos tribb. plebis. Historia est apud nostrum in Cæsare, apud Dionem lib. 44. apud Suetonium, & alios.

Cap. 24. Munatius Plancus. Is est L. Munatius Plancus ad quem extant libro decimo Familiarium multæ Ciceronis Epistolæ: etsi in

pleris-

plerisque libris vitiosè Cn. pro L. legitur. ut hic φλάκκος *pro* πλάγκος. *quod & alibi annotatum est.*

Ibid. Cotylonem.) *Is est, quem* L. Varium Cotylam *Ciceroni in Philippicis quinta & octava dictum deprehendimus. Apparet à potando cognomentum esse effictum. est enim* cotyla *genus mensuræ.*

Cap. 28. Amici insomnio.) *Actorii scilicet medici Dio lib. 47. & Valerius lib. 1. cap. 7 & alii.*

Ibid. Illum ad sepulcrum fratris.) *Hortensium scilicet. Interpres hoc non tam omisit, quam pervertit. In Græco mendum est. sed non difficile animadversu,* ἐπισφάξαι *pro* ἐπέσφαξε. *Cur autem Hortensius in culpa cædis C. Antonii fuerit, ex Plutarchi Bruto & Dione patet. De morte ejus Hortensii est apud Velleium, & in Epitoma Liviana* CXXIIII.

Cap. 29. Et putida.) σαπρὸν *Aretinus,* disjecta: *quasi* σαθρὸν *legisset, quod & Amiotus habet.*

Cap. 30. Pestes istas Italicas.) τὰς ἀπὸ τῆς ἰταλίας κῆρας. *Sic vocat mimos, tibicines, præstigiatores, & alios ejus farinæ homines, quibus impensè delectatum, deditumque jam olim fuisse Antonium nemo nescit:* κῆρας *autem sicut &* ὄλεθρον, *& similia Græci dicunt, ut Latini* pestem, scelus *pro pestilentibus & scelerosis hominibus: estque pervsitata dictio. Aretinus cùm id non recordaretur,* insultatum calamitatibus Italicis *nullo autore & magno errore dixit. Sophoclis locus est initio Oedipi regis.*

Cap. 33. Apud Homerum.) *Alludit ad locum qui est de Circe, Vlyssea lib. 12 redeunti ab inferis Vlyssi occurrente:*

——ἀλλὰ μάλ᾽ ὦκα ἦλθ᾽ ἐντυναμένη. *Quod exponit Eustath.* ἐπαγωγὸν περὶ ὁπλίσασα, εἴπως ἀρέσοι τῷ ὀδυσσεῖ, *aut similem aliquem, qui nunc non occurrit.*

Cap. 34. Cydno amne.) *In Græco* κύανον *est pro* κύδνον, *male, quanquam illud Amiotus retinuerit.*

Cap 36. Et in Mesopotamia.) *Ex his quæ deinceps sequuntur, confecta est posterior pars Parthici libri, qui in amissi (ita enim opinor) locum Appiano Alexandrino est subsarcinatus, cujus prior pars est ex nostri autoris Crasso decerpta. Quæ ad Antonium præcipuè, non ad rem Parthicam pertinent, omissa sunt in isto centone: cætera ad verbum propè descripta.*

Cap. 38. In numerum assecLarum Antonii.) ἐν τοῖς θεραπεύουσι τὸν. *Aretinus pervertit totum locum satis alioquin & elegantem & apertum: transtulitque ad alias alia personas. Locus Platonis qui paulo post citatur, est in Gorgia.*

Cap. 41. Ipse enim Attiæ filius fuit.) ἀττίας *legendum, non* ταπίας *satis ex iis quæ apud Dionem diximus apparet. Sicque in Ciceronis vita legitur. Suetonius in Cæsare Iulio cap. 27. Attia Octaviam natam videtur dicere.* Ad retinendam (*inquit*) Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octaviam sororis suæ neptem quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit.

Cap. 44. Regis Orodis. *) ἡρώδου. Quod secutus est, sed imprudenter, Aretinus: & Amiotus etiam. in Crasso ὑρώδης legitur falsum & hoc. ὀρώδης enim,* Orodes *rex Parthorum fuit dictus, quod notissimum est.*

Ibid. A Clepsydræ aqua. *) Fons est in arce Attica, Clepsydræ nomine: sic dictus, quod clepsydræ in morē modò amittat aquam modò recipiat. Impletur enim flantibus Etesiis, vacuus aquæ est iis cessantibus, exemplo Nili. Hæc & plura Schol. Aristoph. ὄρνισι.*

Cap. 45. Antonio & Cæsare. *) In Græco deest copula καὶ: quam tamen & interpres & Appiani codices habent, & sensus requirit. Interpres porrò ex* Sossio Cassium *finxit, haud levi historiæ detrimento. Res gestæ C. Sossij & Canidij sunt apud Dionem lib. 49. Amiotus Socium dixit.*

Cap. 49. Quæ olim Bambyce. *) βορβύκην est in textu, & sic interpretes legerunt. Sed rectius apud Appianum habetur βαμβύκην, quod secutus sum: cùm & Strabo lib. 16. & Plin. quinto & vigesimo tertio idem dicant, quod hîc legitur. Vrbes sunt Syriacæ*

δεξιὰν καταπέμπειν. Ibid. Missis nunciis fidem dedit. *) δεξιὰν καταπέμψαντος. Non male vertit Aretinus. Est enim missis nunciis fidem amicitiæ & gratiæ dare. Sic in vita Alexandri Darius moriens Polystrato, ἀλεξάνδρῳ ταύτην τὴν δεξιὰν δίδωμι διὰ σοῦ. & Appianus libro 2. ἐμφυλ. δεξιὰν ἔφερε παρὰ τοῦ βασιλέως τῷ Πομπηίῳ. Tale est etiam λαμβάνειν δεξιὰν, veniam donari, apud nostrum in Cæsare de L. Domitio ἀπῆλθε πρὸς καίσαρα, καὶ λαβὼν δεξιὰν, αὖθις διεξέπεσε πρὸς Πομπήιον. Annotavi autem propter correctorem istum, qui perinde ac si errasset hîc Aretinus, Græca verba in margine allegaverat, neque tamen explicarat.*

Cap. 50. Atropatenam. *) Male in Græco σατραπατηνῆς, apud interpretem* Antropatene *legitur: rectè apud Appianum ἀτροπατηνῆς. Sic & Stephanus, & Plin. 6. 13. Straboni est ἀτροπάτιος μηδία lib. 11. quod & ipsum Stephanus habet.*

Ibid. Duce Statiano. *) Sic est apud Dionem libro quadragesimo nono. & in Augustano manuscripto Appiani codice σρατιανοῦ legitur, pro σατιανοῦ. Phraata autem, φράατα ex Appiano reposui pro* Phraortis: *φραόρτου. Et sic etiam infra apud Plutarchum est: ὥδευσαν ἀπὸ φραάτων ἡμέρας κζ. imposuit enim libri mendum interpretibus. Apud Dionem legitur πράασπα,* Praaspa.

Cap. 52. Æqualibus intervallis. *) Hic locus rectius in Appiani libro legitur, estque scribendum hîc non παρεξιόντες, (quod imposuit Aretino) sed παρεξιόντας. ὑσσοὶ* pila *sunt non* venabula, *quibus tum neque Romani in pugna, neque Parthi utebantur. Virgula inter κραυγῆς & ἐπιστρέψαντες temerè posita, nebulas loco offudit.*

Cap. 61. O decem millia. *) Historia hæc horum decies mille Græcorum, est apud Xenophontem in libris de expeditione Cyri, & summatim in vita Xenophontis apud Suidam.*

Cap. 76. Interim Titius & Plancus. *) τίτιος legendum. Dio l. 50. &*

post

post Calvisius, καλβίσιος, non καλβῖος. *Sed quæ de recitatione testamenti sunt scripta à Plutarcho, alienißimo & ineptißimo sensu Aretinus reddidit. De Calvisio multa Dio.*

Cap. 81. Si Cæsar in toryna consedit.) *Iocus est, proprio nomine in appellativum deterto.* τορύνη *instrumentum est, quo ollæ (aut potius quæ in illis coquuntur) agitare solent, nimirum* cocleare coquinarium. *Patet hoc ex Aristophane in Equitibus, ubi est,* τορύνη.

δοίδυξ ἐδὲ τορύνη. *& in Avibus:*

ἔχεις ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας.

Sipontinus in suo Cornucopiæ tudeculam *interpretatur, sed male. Vsus est vocabulo etiam Plato in Hippia majore: ita ut facilè appareat inde, id fuisse quod diximus. Meminit & Eustathius in λ. Iliadis, aitq; (id quod huc facit) παρὰ τὸ τορῶ dictum, id est* circumago. *Ergo Cleopatra extenuat præsentiam Cæsaris, à loci nomine petita joci materia. quod fugit utrunq; interpretem.*

Cap. 86. Cum Arruntio) *Hunc ab Octavio mediam aciem tenuisse, apparet ex hoc loco. Paterculus lævum cornu ei commissum dicit.*

Cap. 91. Halis sepultum.) *Locus est Atticæ,* ἄλησι. *De quo apud Stephanum.*

Cap. 104. Haud equidem expediet.) οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη. *Allusio ad Homericum illud nobilißimum dictum, de Iliad. 2.* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

——Multos dominos non expedit esse.

Cap. 110. Cùm verò ex Metello.) *Remitto te ad typum & explicationem genealogiæ hujus, quam ad finem nostrarum in Dionem Annotationum adjecimus.*

IN COMPARATIONEM.

Veluti Paris.) *Alludit eleganter ad ea quæ sunt apud Homerum Iliad. 3. ad finem.*

PLUTARCHI AGIS, GUILIELMO XYLANdro Augustano, interprete.

HAUD ab re quidam existimant Ixionis fabulam adversus inanis gloriæ sectatores excogitatam, qui cum nebula concubuisse pro Iunone, atque ita Centauros procreasse dicitur: nam & isti gloriam, veluti umbram virtutis quandam amplexi, nullum sincerum aut laude constanti dignum, sed adulterina pleraque & exilia facinora edunt, aliis aliàs æmulationum & cupiditatum impetibus acti. Nam quod illi apud Sophoclem pastores de gregibus suis dicunt: *In gloriæ sectatores.*

Servimus his, domini simus licet, tamen

Et hos, taceant quamvis, audire cogimur:

id re vera his accidit, qui in republica versantes cupiditatibus multitudinis obsequuntur atque serviunt, ut popularium & principum

civitatis titulum consequantur. Vt enim proretæ postquàm ea quæ ante gubernatores sunt prospexêre, ad illos respiciunt, & eorum jussa perficiunt: sic illi multitudinis ministri sunt, cùm principum nomen gerant. Etenim qui omnibus numeris absolutus est bonus vir, ei gloria opus omninò non est, nisi quæ ei fidem conciliet, aditumque ad res gerendas faciat: juveni, & honorum cupido concedendum est, ut præclaris factis nonnihil etiam se jactet. Virtutes enim, quæ in hujusmodi enascuntur & germinant ingeniis, laudatione (ut ait Theophrastus) confirmantur, augescuntque animis simul sese efferentibus. Verùm ut ubique id quod modum excedit II damnosum est: ita in ambitione civili exitium adfert: magnam enim ea potentiam adeptos ad væcordiam, manifestamque effert insaniam, cùm non honestas actiones gloriosas haberi volunt, sed gloriosum esse boni loco ducunt. Quemadmodum igitur Phocion Antipatro à se aliquid inhonestum petenti respondit, se non posse simul & amicum esse, & adulatorem, ita, aut simili modo multitudini dicendum est: Non posse eam eodem & duce & assecla uti. Nam quod evenisse draconi fabula significat, caudam in dissensione quadam à capite postulasse, uti non semper sequi cogeretur, sed alternis ipsa quoque præiret: sortitamque ducendi munus, & ipsam male afflictam fuisse, utpote cùm ambularet improvidè, & caput contra naturam coactum cæcis surdisque partibus obsequi gravissimè offendisse. id videmus multos eorum, qui in gratiam populi omnia in Repub. agunt, obtigisse: quippe cùm se multitudini temerariis impetibus citatæ abripiendos dedissent, neque corrigere postea, neque inhibere confusionem eam valuerunt. Hæc nobis contra popularis auræ studium dicere subiit, apud animum reputantibus, III quàm ea Tiberii & Caij Gracchorum casibus essent confirmata: quos honestissimo loco natos, optime educatos, tractandæque Reipub. pulcerrimum propositum secutos, non tam nimia gloriæ cupiditas, quàm infamiæ metus à causa non illiberali natus perdidit. Magno enim civium favore accepti, turpe existimantes eum quasi æs alienum non compensatum relinquere, in id incubuerunt, ut gratis populo Decretis confectis honores sibi habitos superarent: ob quæ majori rursus honore affecti, cùm ambitionis contentione populum adversum ipsos, & se adversus populum accendissent, imprudentes ad eas res tentandas delati sunt: quas cùm parum honestas sentirent, tamen jam inhonestas esse (notum enim illud est:

Quod non honestum est, jam turpe esse sentias)

colligere non potuerunt. Hæc tu ipsa ex narratione deprehendes. Comparabimus autem iis par Regum Spartanorum, qui se ad demerendum populum dederunt, Agidem & Cleomenem: nam & hi similiter populi vires augentes, justamq; & pulchram Reipub. administrationē longo tempore intermissam instaurentes, eodem modo in odia potentum incurrerunt, potentiam suam ac priores partes mordicus retinentium. Fratres ii non fuerunt, sed cognatis succes- IV sionibus

De Dracone fabula.

sionibus regnum ad eos devolutum est, consiliisq; in eo gerendo usi germanis sunt: quorum occasiones quas habuerint, exponam. Vt primùm argenti aurique amor Spartam se insinuavit, ac divitiarum parandarum possidendarumque studium avaritia & illiberalitas, usum verò & fruitionem luxus, splendor, molliciesq; comitata sunt: pleraq; sua bona urbs ea amisit, indignèque jacuit, usque ad id tempus, quo Agis & Leonidas regnaverunt. Agis genere Eurytionides fuit, Eudamidæ filius, sextus ab Agesilao, qui in Asiā expeditionem fecit, & inter Græcos potentissimus fuit. Natus enim Agesilao Archidamus est, quem apud Mandoniū Italiæ urbem Messapii occiderunt. Huic duo fuerunt filii, quorum senior Agis, Eudamidas junior dictus: hic, cùm Agis ab Antipatro apud Megalopolim interfectus absque liberis decessisset, regnum obtinuit. Filius ejus Archidamus, hujus Eudamidas alter fuit, pater ejus, de quo scribimus, Agidis. *Genus Agidis.*

V Leonidas Cleonymi filius ex altera Regum familia, qui Agidæ appellantur, octavus à Pausania fuit, eo qui apud Platæas Mardonium superavit. Pausanias enim Plistonactem, hic alium Pausaniam filium & successorem habuit. Hoc Tegeam in exilium profecto, Agesipolis filius natu major, & hoc absque prole defuncto Cleombrotus minor regnavit. Cleombroto filii duo fuerunt. Ex his Agesipolis alter neque regnum diu tenuit, & liberos nullos reliquit: Cleomenes post fratrem rex factus, vivus filium priorem Acrotatum amisit. Cleonymus natu minor, patri superstes fuit: neq; tamen regno potitus est, sed Acrotati filius Areus. Arei filius Acrotatus alter, patri in pugna ad Corinthum mortuo successit. atque ipse deinde prœlio ab Aristodemo tyranno apud Megalopolim superatus periit, uxore gravida relicta. Hęc cùm marem peperisset, Leonydas Cleonymi filius tutelam ejus gessit, atq; ad hunc, pupillo priusquàm adolesceret mor-

VI tuo, ita regnum rediit, non planè civibus suis commodum. Nam tametsi universi moribus corruptis ab antiquis restitutis Reip. descivissent, in Leonida tamen illustris erat à consuetudine majorum discessio, quippe diu in aulis satraparum versatus, Seleucumq; asseccla comitatus, fastum illum ad res Gręcas & legitimum regnum parum rectè transferebat. Agis verò ingenii bonitate, animiq; magnitudine tantum præstabat non huic modò, sed omnibus ferè quotquot post Agesilaum istum magnū regnaverunt, ut annos nondum viginti natus educatusque inter summas opes luxumq; muliebrem Agesistratæ matris, & Archidamiæ aviæ (quarum divitias nemo civis æquabat) ab initio statim adversus voluptates sese obfirmaverit: idq; etiam magnopere cavens, ne venustas formæ suæ sibi obesset, omnem corporis ornatum præciderit, omnemq; splendorem subterfugiens in palliolo sese ostentaverit: cœnasque, lavacra, & omnino vitæ rationem Laconicam amplexus sit. ajebat enim: Nolle se regem esse, nisi opera sua leges moresq; antiquos restituere pos- *Frugalitas & temperantia.*

VII set reip. Sanè initium perniciei & morborum fuit, quod Lacedæmonii Athenensium principatu everso auro sese & argento expli-

 vissent.

vissent. Sed tamen quia Lycurgus certum ejus rei numerum definiverat, jusseratque succedi in stirpe, ita ut pater filio hæreditatem relinqueret, utcunq; manens adhuc ille ordo & æqualitas cęteris reip. vitiis medebatur. Cæterùm quidam homo potens, juxtaque arrogans & importunus, Epitades nomine, Ephorus factus, controversia ei cum filio coorta, legem tulit: Licere unicuique facultates suas cuicunq; vellet vel donare dum viveret, vel testamēto legare: quam ab eo iræ suæ exaturandæ causa latam reliqui avaritia ducti cùm juberent, optimū reipublicæ statum perdiderunt. Exinde enim potentiores, pulsis qui successione hæredes essent, omnia ad se rapiebant: statimq; divitiis in paucorum redactis potestatem, paupertas urbe ingruebat, quæ illiberalitatem, honestorumq; studiorum intermissionem, invidiamq; & odia adversus divites secum trahebat. Erant omninò Agidis tempestate haud plures septingentis Spartani: ex his centum circiter agros & patrimonium possidebant, cæteri opum honorumq; vacui in urbe desidebant: bella, si quæ inferrentur, segniter animoque invito propulsantes, semper mutationis rerum occasionem aliquam expectantes. Hæ Agidi causæ fuerunt, ut æquare, & complere civitatem (quam rem, ut erat, præclaram putabat) conaretur. Iuvenes quidem statim, & præter spem etiam morigeros VII

Lycurgi lex de hæreditate abrogata.

Agidis conatus reip. emendandæ.

habuit, ad virtutem sese accingentes, libertatisque causa vitæ rationem, quasi vestem mutantes. At majorum natu plerique, apud quos inveteratæ jam corruptelæ erant, Lycurgum haud aliter, quàm servi perfugæ dominos, ubi ad eos è fuga reducuntur, formidabant: Agidemque præsentem rerum statum deplorantem, pristinamque Spartæ dignitatem desiderantem incusabant. Lysander tamen Libys F. & Mandroclidas Ecphanis F. atque Agesilaus conatum ejus probaverunt, utque pergeret hortati sunt. Erat Lysander summa inter cives existimatione: Mandroclidas omnium Græcorum res magnas tractandi componendique peritissimus, calliditateque simul & audacia præditus. Agesilaum regis avunculum, eloquio valentem, cætera mollem & avarum, palam filius Hippomedon concitabat, vir multis bellis clarus, & magna ob juvenum benevolentiam potentia: vera autem cur Agidis institutum amplecteretur causa Agesilao erat, magnitudo æris alieni, quo se mutato reipub. statu liberatū iri sperabat. Agis eo causæ suæ adjuncto, unà cum eo statim matri suæ Agesilai sorori, idem persuadere intendit, mulieri quæ clientum, amicorum, debitorumq; copiis plurimum in civitate poterat, multaq; negocia publica conficiebat. Hæc re audita primum perterrita IX dehortari adolescentem cœpit ab instituto eo, quod perfici neque posset, neq; expediret. Verùm ubi eum Agesilaus docuit, rem & rectè habituram, & utiliter confectum iri: tum Agis matrem oravit, ut sibi ad gloriam consequendam divitias concederet: neque enim se reges cæteros pecunia æquare posse, qui satraparum famuli, ac servi procuratorum Ptolemæi & Seleuci plura possideant, quàm omnes in universum Spartanorum reges: quod si collegę luxum temperantia,

perantia, frugalitate, & magnanimitate vincens, æqualitatem & communitatem inter cives constitueret, nomen se & gloriam verè magni regis adepturum. his rationibus ita mulierum animi mutati sunt, adolescentis gloriæ studio excitatæ, ut veluti afflatu numinis ad honestatis amorem impulsæ, ultrò Agidem cohortarentur & stimularent: vocatisque ad se amicis, rem cum eis communicarent, atque eam cæteris etiam matronis proponerent. sciebant enim Lacedæmonios consuevisse mulieribus obtemperare, patiq; ut curio-
I sius etiam de publicis quam suis rebus inquirant. Cæterùm eo tempore maxima pars divitiarum Laconicarũ penes mulieres erat: quæ res Agidi maxima impedimenta & difficultates attulit. Quippe mulieres, cùm non modò luxum, in quo beatitatem vitæ honestatis ignoratione ponebant, tolli, sed honores potentiamq;, quos ipsæ divitiarum fructus capiebant, præcidi viderent: resistere Agidi statuerunt, & ad Leonidam se contulerunt, hortantes ut prior ipse ætate Agidem inhiberet, ejusq; consilia impediret. Leonidas opitulari *Leonidæ calumnia.* quidem divitibus cupiebat, metu tamen populi mutationem expetetis apertè nihil cōtra Agidem egit: apud principes autem reipub. calumniatus est, eum pro tyrannidis mercede pauperibus bona divitum, agrariam legem, & novas tabulas largiri, multosq; non Spar-
II tæ cives, sed sibi stipatores parare. Enimverò Agis hoc consecutus, ut Lysander ephorus crearetur, legem statim (rhetram ipsi vocabāt) scripsit, inq; senatu proposuit; cujus hæc erant capita: quod deberetur, id pro soluto habendum: agros dividendos, ita ut a convalle apud Pellenem usque ad Taygetum, Maleam, & Sellasiam partes essent quater mille ac quingentæ, extra quindecies mille: quarũ hæ vicinis, qui arma ferre possent, illæ ipsis Spartanis tribuerentur. Spartanorum numerum cōplendum assumptis vicinis & peregrinis, qui liberaliter educati corpore valido essent, vigerentq; ætate. hos in quindecim Phiditia distribuendos, quadringentenos partim, partim ducentenos in singula: victusq; eam rationem tenendam, quæ esset instituta à majoribus. De hac lege cum variarent senatorum sententiæ, Lysander populo ad concionem vocato, orationem habuit. Ac Mandroclidas etiam tum, & Agesilaus verba ad populum fecerunt, orantes ne paucis quibusdam, qui superbè civibus insultarent, gratificantes, paterentur jacere collapsam Spartæ dignitatem: antiquorum potius oraculorum memoriam repeterent, quæ vitari studium pecuniæ, ut Spartæ pestiferum, juberent, fortiumq; nuper à Pasiphae
XII allatarum. Fuit Pasiphaes fanum & oraculum Thalamis cultum, quam nonnulli unum Atlantidum Iove natarum fuisse perhibent, Ammonis matrē: alij Casandram Priami filiam ibi mortuã, & quod omnibus efferret (Græce id *pâsi phanein* dicitur) oracula, Pasiphaam cognominatã. Phylarchus Daphnem Amyclæ filiam ait, cùm Apollinem concumbere sibi cupientem fugeret, in laurum cōversam, eiq; honorem à Deo habitum, vaticinandiq; facultatem concessam. Hujus ergo vaticinationes ajebant mandare Spartanis, ut secundum

priscas Lecurgi leges æqualitatem inter universos instituerent. Ad extremum rex Agis in medium progressus, oratione brevi habita, affirmavit, se ad eam quam conderet rempublicam stipem conferre amplissimam: nam se primùm omnium omnes suas facultates in medium proponere, non agros modò & pascua, quæ possidebat latissima, sed præterea nomismatis DC. talenta. idem matrem quoq; & aviam facere, & amicos necessariosq; omnium Spartanorum ditissimos. Magnitudine animi Agidis populus obstupuit, sūmoq; est perfusus gaudio, dignum Sparta regem trecentesimo post anno extitisse censens. At Leonidas eo majori conatu Agidem oppugnare, XIII intelligens se quidem omninò ut idem faceret coactum iri: nō eandem autem civium gratiam sibi conciliaturū, sed omnibus ex æquo sua bona reipublicæ largientibus, omnem honorem in rei ejus autorem redundaturum. Itaque Agidem interrogare: Ecquid Lycurgum justum fuisse bonumq; virum existimaret? Affirmante id Agide: Vbi verò, inquit, Lycurgus novas tabulas permisit, aut peregrinos civitate donavit? qui sanè omninò salvum fore urbem, nisi ejectis peregrinis non putavit. Ad hæc Agis: Mirum sibi non videri, à Leonida, qui & peregrè educatus sit, & ex satrapica familia uxorem duxerit, ac liberos genuerit, ignorare Lycurgum simul cum nummo debita omnia & æs alienum Sparta exterminasse: majore autem odio prosequutum fuisse eos, qui à studijs & vitæ ratione à se instituta abhorrerent, Spartanos quàm in urbe degentes peregrinos: neq; enim horum corporibus eum hostem fuisse, sed eos non aliam ob causam ab ipso ejectos quàm quod metuebat ne vita eorum & mores contagione in cives serperent: apudq; eos studium luxus, mollitiei, & avaritiæ excitarent. Itaq; Terpandrum, Thaletem, & Pherecydem peregrinos, quod Lycurgi institutis consentanea cantabant atque commentabantur, à Spartanis maximo in honore habitos. Ac tu quidem, ajebat, ô Leonida, Ecprepem laudas, qui cùm esset Ephorus, Phrynidis musici duas de novem chordis ascia præcidit: & qui Timotheo idem fecerunt, probas. nos autem culpas, qui luxum, luxuriam, & superbiam Sparta arcemus. quasi verò non illi nimiam accurationem & lasciviam Musicæ represserint, ut caverent ne hujusmodi vitia in mores etiam vitamq; aliquando serperent, immodestiaque inde oborta urbis concentus atque concinnitas corrumperetur. His ita dictis, Agidem multitudo secuta est: divites autem XIV cùm Leonidam hortati sunt ne se destitueret, tum senatores, qui eo quod autores fieri eorum de quibus deliberaretur legibus jubentur, plurimum poterant, deprecando & suadendo, effecerunt, ut unius suffragij numero excellerent qui antiquabant legem. Cæterùm Lysander magistratu nondum abdicato actionem Leonidæ intentavit ex lege quadā prisca, qua interdicitur, ne quis Heraclidarum ex peregrina mulieres liberos suscipiat: & ut qui Sparta alio habitādi gratia cōmigrasset, morte plecteretur. Hæc qui adversus Leonidam proferrent, submisit: ipse signum cum collegis expectavit. Quod ad signum attinet, tale est. Nono quolibet anno ephori noctē serenam,

Leonidas regno dejicitur.

& Lunaris luminis vacuā observant:eamq; nacti,taciti consident,atq; in cœlum intuētur.quod si tum ab una parte in alteram stella trāscurrere videretur,reges aliquid adversum deos peccasse judicāt, regnūq; eis abrogāt,tantisper dum Delphis aut Olympia oraculum afferatur,
XV quod damnatis regibus opitularetur. Hoc ergo tum signum sibi apparuisse dicens Lysander,Leonidā in judicium vocavit: testesq; produxit,qui eum ex Asiatica muliere,quam ei Seleuci quidā satrapes nuptū dederat;geminam prolem sustulisse perhiberent,odioq; ab uxore habitum contra animi sentētiam domum redijsse,ac regnum successore vacuum suscepisse. Simul etiā Cleombroto,genero Leonidæ, & regio genere noto persuasit,ut is regnum sibi vindicaret. Ergo Leonidas periculi metu,supplex in Chalciœcum cōfugit,cui se,marito Cleombroto relicto filia comitem addidit. Vocato in judicium,atq; eo nō venienti regnum abrogatum,& Cleombroto mādatum est. Interim Lysander circumacto legitimo tempore ephorus esse desijt. Qui autem subsecuti eum sunt ephori,ij Leonidam supplicem miserati,decedere tēplo jusserunt: Lysandro autem & Mandroclidæ dicā scripserunt,quod contra leges de novis tabulis & agris dividūdis legem promulgassent. Hi cùm viderent quo in periculo versarētur, regibus persuaserunt, ut concordia inita,& conjunctis viribus, ephororū decretis valedicerēt. eum magistratum dissensionē regū vires sumere,atq; ei qui meliora suadeat solere adstipulari altero de utilitate contendente. quod si uterq; rex idē statueret,regum potentiā dissolvi nullo modo posse: cōtraq; leges facturos ephoros, si regibus repugnarent. non enim eorū esse officij,in regum consentientiū consilia sese ingerere: sed ijs inter
XVI se dissidentibus,arbitriū penes ephoros esse. In hanc sententiā pertracti reges cū amicis in forum descēderunt, & ephoros de sellis amoverunt,aliosq; in eorū locum constituêre,inter quos etiā Agesilaus fuit. Armata deinde juvenū multitudine captivos liberarunt,metumq; cædis adversarijs injecerunt: trucidatus tamē est nemo.quinetiā Agis cū audivisset Leonidā Sparta profugum Tegeam petere,Agesilaum autē vitæ ejus insidiari,&in viā percussores misisse:alios ipse de suis fidelibus emisit,qui eum comitarētur,tutoq; Tegeam abducerēt. Hoc modo succedētibus Agidi rebus, ac nemine impediēte unus homo evertit perdiditq; omnia Agesilaus, pulcerrimā & Laconum rebus cōvenientissimam legē turpissimo avaritiæ morbo corrumpēs. Nam cùm plurimū agri præstātissimi possideret, haberetq; etiam æs alienū maximū cùm neq; huic solvēdo esset,neq; agrum dimittere vellet, Agidi persuasit,si novæ tabulæ simul & agrorum divisio institueretur,novis rebus civitatē graviter agitatū iri: quod si in præsentia novis tabulis animi opulētorum demulcerētur, eos facilè postea tēporis nulloq; tumultu in divisionē agrorū cōsensuros. Idē etiam Lysandro videbatur,
XVII itidē ab Agesilao in fraudē inducto. Ergo debitorum tabulas in forū, quæ Claria dicuntur cōportantes,in unū acervum cōpositas cremaverūt. Edita flāma, cum divites & fœneratores tristes admodū discederēt, Agesilaus tanquam insultans eis: Nullum se eo igne splendidiorē

Avaricia malum.

Novæ tabulæ.

puri-

purioremq; unquam vidisse dixit. Postulante autem populo agrorum divisionem statim fieri, idemque regibus jubentibus, semper aliquid occupationum injiciens, excusationemq; aliquam identidem afferens, eò usque tempus traxit, dum Agis in bellum proficisci cogeretur, Achæis, qui tum erant Spartanis confœderati, auxilium Lacedæmone requirentibus. Nam Ætoli Megaricam in Peloponnesum irrupturi ferebantur: & Achæorum dux Aratus ejus rei prohibendæ causa exercitum cogebat, ab ephorisque suppetias missis literis flagitabat. atque hi statim Agidem miserunt, studio & alacritate suorum militum animo elatum. Major quippe eorum pars, juvenes erant, & inopes, nuperq; debitis liberati, & soluti, ac ubi ex bello redijssent divisionem agrorum futurã sperantes, mirificè Agidem observabant, spectaculumq; Græcis jucundum præbebant, placidè & absq; omni maleficio, ac propè sine omni strepitu Peloponnesum peragrantes. itaq; miraculo rei moti homines inter se quærebant, quemnam ordinem & ornatum Laconici exercitus fuisse quispiam putare deberet, Agesilao ducente, aut Lysandro illo, vel antiquo Leonida? quando jã milites adolescẽtem, ac prope omnium qui in exercitu erant natu minimum tã verecundè & solicitè colerent. Et verò XVII
Agis frugalitate, & alacritate ad labores, vestitusq; & armorũ habitu nihil privati cujusvis cõditionem superante se ostentans, gratissimũ & admirandum præferebat hominum multitudini exemplum: nam divitibus nova hæc ipsius ratio minimè probabatur, metuentibus ne ad sui imitationem omnes populos permoveret. Apud Corinthum cum Arato congressus, deliberante adhuc prœlióne cum hoste decerneret, magnam alacritatem, audaciamq; nequaquam insanã aut cõsilij expertem ostendit. dicebat enim, videri sibi decertandum pugna, neq; hostem intra portas Peloponnesi admittendum: facturum tamen id, quod Arato placuisset, ætate majori, & duci Achæorum, quibus non imperaturus aut dux futurus, sed commilitatum & opitulatũ ipse advenisset. Bato Sinopensis Agidem pugnam detrectasse scribit, jubente pugnare Arato: nõ legerat nimirum ea, quæ ipse Aratus scripsit, cùm omissam pugnam excusans ait, cõsultius sibi visum fuisse transitum hostibus concedere, fructibus jam propè omnibus ex agris collectis, quàm summam rerum in discrimen Martis adducere. Postquàm ergo Aratus consilio dimicandi improbato socios XI
collaudatos dimisit, Agis sui excitata admiratione discessit, jam rebus Spartæ majorem in modum cõturbatis, atq; immutatis. Etenim Agesilaus ephoratum gerens, liberatusque eo metu, ob quem prius abiecta conditione vixerat, nullo facinore, quod quidẽ quæstuosum esset abstinebat: atq; adeò decimum tertium mensem, annorum circuitu tum id non postulante, & contra legibus definitam temporum ordinationem intercalavit, ut exigere tributa posset. Odio autem omnibus cùm esset, metueretq; eos, quos iniurijs afficiebat, sicarios aluit: neq; in curiam nisi stipatus ijs descendit. Volebat autẽ videri regum alterum planè contemnere, Agidem magis necessitudinis

quàm

quàm magiſtratus cauſa aliquo in honore haberi: ſpargebat etiam rumorem, iterum ſe ephorum futurum. Ea propter adverſarii maturè occurrendum, adeundumque diſcrimen intelligentes, facta coitione Leonidam Tegea palam ad regnum reduxerunt: libenter hoc etiam vulgo vidente, cujus animos irritaverat, quod promiſſa agrorum diviſione fraudati erant. Ageſilaum quidem filius Hippomedon, omnibus ob virtutem gratus, deprecando apud cives morti eripuit, Spartaque eduxit. Reges autem, Agis ad Chalciœcum confugit, Cleombrotus in fano Neptuni ſupplex conſedit: huic enim infenſior videbatur Leonidas, omiſſoq; Agide cum militibus hunc petebat, graviter ei exprobrans, iratoque animo, quòd gener ſibi inſidias feciſſet, regnoque & patria ejicientibus adfuiſſet. Cleombrotus, cùm quod reſponderet haberet nihil, anxius animi, tacitusque ſedebat. At filia Leonidæ Chelonis, quæ prius injuriam patris ad ſe quoque pertinere rata, Cleombroto marito, qui regnum ſocero deturbato ſuſceperat, relicto, patrem calamitate ictum coluerat, ſupplicantiq; adfuerat, & in exilium profecto in luctu ipſa, Cleombrotique odio perſeveraverat: rurſus tum fortunæ mutationem ſecuta, ſupplicanti viro aſſidebat, manibus eum ſuis amplectens, & liberos ab utroque latere ſingulos ſub ſe habens. Admirantibus univerſis, & ob bonitatem, amoremque in virum mulieris ejus ad fletum converſis, vittam crinesq; incomptos manu tangens: Hunc, inquit, ô pater, vultū, hunc habitum, non Cleombroti miſericordia mihi circumpoſuit, ſed à tuo exilio ac calamitate in hunc uſq; diē luctus mihi perpetu⁹ comes fuit uſuq; familiaris factus permanſit. Vtrum igitur nunc te victore & Spartæ regnāte vivendū mihi porrò in his eſt miſeriis? an verò veſtis mihi ſplendida & regalis ſumenda eſt, videnti maritū, cui virgo nupſi, à te jugulari: Qui quidem ſi uxoris & liberorū lacrymis te non exorat, graviores etiā quàm tu ipſe velles pœnas ſuę imprudentię dabit, videns me, quā ſibi habere chariſſimā, ante ſe mori. Qua enim fronte vivens inter reliquas mulieres verſabor? quā deprecantē neq; maritus eſt, neq; pater miſerat⁹: ſed & filia, & uxor, cōmunem cum meis calamitatem & ignominiā ſubire cogor. Quod ſi quid honeſtæ accuſationis maritus meus habuit, ego id omne refelli eo tēpore, cùm ſecura, teſtimonium adverſus eū tuli. Tu verò ipſe oſtendis facinus ejus facilè excuſari poſſe, qui regnum tanti faciendum omnique conatu expetendum oſtendas adeò, ut ejus cauſa & generos necare, & propriorum liberorum nullam habere rationem juſtum eſſe innuas. Hunc Chelonis ad modum quiritata, faciem Cleombroti capiti impoſuit, vultumque luctu confectum in adſtantes intuens circumegit. Leonidas autem cum amicis deliberata re, Cleombrotum templo abire, & ſolum vertere juſſit: filiam autem oravit uti ſecum maneret, neque patrem deſereret ſui ita amantem, ut ſalutem etiam mariti ei donaret. Neque verò perſuaſit: ſed Chelonis ſurgenti marito alterum natorum tradens, alterum ipſa recipiens, adorato Dei altari, unà cum marito abiit.

Mulieris virtus.

abiit, ut Cleombrotus profectò, nisi inanis gloriæ studio planè fuisset perditus, debuerit propter talem uxorem exilium sibi quàm regnum meliori obtigisse fortuna credere. Pulso Cleombroto Leonidas, primisq; ephoris magistratu privatis, & constitutis aliis, confestim Agidi insidias struxit. Ac primò quidem hortatus eum est ut templo discederet, collegamq; se ei in regno, ut ante, adjungeret: ignovisse enim ipsi populum, quod homo juvenis laudisq; cupidus ab Agesilao cum aliis esset deceptus. Deinde suspicante insidias Agide, & intra templum se continente, ipse quidem fraude tentandi simulandique finem fecit. Amphares autem Demochares, & Arcesilaus accedere ad eum, & colloqui solebant: aliquando etiam à templo ad lavacrum deducere, lotumque rursus in templum reducere. XXIII

Leonidæ in Agidem insidia.

Erant hi tres Agidis familiares: Amphares autem nuper etiam vestes & preciosa pocula ab Ægesistrata mutuò sumpserat, eorumque retinendorum causa regi, regiisque matronis insidiabatur: fertur-que is omnium maximè obsecutus Leonidæ fuisse, & ephoros, de quorum erat collegio, adversus Agidem concitasse. Itaque cùm Agis perpetuò in templo degeret, nisi cùm ad lavandum descenderet, statuerunt eum, cùm extra templum in via ad lavacrum esset, capere: observatoque tempore cùm lotus fanum repeteret, occurrerunt, salutaverunt, colloquentesq; & ludentes tanquam cum familiari suo juvene deduxerunt ad eum usque locum, ubi obliquum à via ad carcerem est diverticulum. Ibi demum Amphares, ut qui magistratum gereret, Agidi manum injiciens: Duco, ait, te ô Agi ad ephoros, ut administratæ Reipub. rationem reddas: tum Demochares homo validus & magnus, veste collo injecta eum traxit: reliquisque à tergo ex composito impellentibus, nemine succurrente, quod solitudo eo loci erat, ita Agis in carcerem conjicitur. Illicò Leonidas supervenit, carceremque multis stipendiariis militibus cinxit. XXIV

Agis capitur

Ephori autem ad Agidem ingressi sunt, & de senatoribus eos, quos secum sentire noverant, eodem vocaverunt quasi de causa cognituri: Agidemque factorum suorum causas edere jusserunt, qui cùm simulationem eorum rideret: Ejulabis, inquit Amphares, pœnasque tuæ dabis protervitatis. Alius autem quidam ex ephoris, veluti rationem effugiendæ damnationis Agidi significans quæsivit: Vtrum ista à Lysandro & Agesilao coactus egisset. Respondente Agide, à nemine se coactum, sed æmulatione Lycurgi hanc Reipublicæ mutationem aggressum: idem rursus interrogavit: Mutaretne factum. Cùm respondisset, nequaquam se pœnitere optimorum suorum consiliorum, etiamsi extrema sibi ferenda supplicia sciret: morte eũ damnaverunt, lictoribusque mandaverunt, ut eum in Cajadem abducerent. Locus est in carcere Cajades, ubi damnatos suffocant. Demochares lictores cernens non audere attingere Agidem, ac milites quoque qui adstabant, opus illud subterfugere & aversari, quod injustum nefasque putarent manus Regis corpori afferre, multa iis minatus atque conviciatus, ipse eo Agidem pertraxit. Iam enim XXV

multi

multi inaudiverant eum comprehensum esse, tumultusque ad fores carceris erat,& multa lumina: aderatque mater & avia Agidis, vociferantes, orantesque ut de causa regis Spartanorum populum cognoscere sinerent. quo magis ii necem ejus accelerabant, ne noctu pluribus supervenientibus è carcere eriperetur. Et Agis quidem ad strangulationem vadens, cùm videret ministrorum unum graviter dolere ac flere: Desine, inquit, mi homo me deplorare: nam qui ita injustè necor, autoribus meæ cædis præsto. atque hæc locutus, ultrò collum laqueo præbuit. Amphares autem ad fores progressus Agesistratam, quæ ei ad pedes acciderat familiaritate freta, erigens, nihil gravius aut capitale statutum iri de Agide affirmavit, ac si vellet, intrò ad filium ire jussit: & cùm oraret, ut mater quoque unà admitteretur, nihil se impedire dixit. Ita utraque recepta, januam carceris rursum claudi præcepit, prioremque Archidamiam necandam tradidit, maximo jam natu mulierem, & quæ in summa inter cives dignitate consenuerat. Hac mortua, intrò Agesistratam vocavit. Quæ cùm ingressa filium humi jacere mortuum, matremque exanimatam à fune pendere vidit, in hac quidem deponenda carnifices adjuvit, corpusque ejus juxta Agidem extendit, & texit: in filii verò cadaver incumbens, faciemque deosculata: Nimia, ait, ô fili te accuratio & cautio, tum mansuetudo, & humanitas nobiscum perdiderunt. Amphares cum foribus assistens illam cerneret, vocemque exaudiret, ingressus est, Agesistrataque iratus dixit: Quando ergo idem quod filius sensisti, eodem afficieris supplicio. Tum Agesistrata ad laqueum se erigens: Modò, inquit, Spartæ hoc prosit. Re verò per urbem divulgata, & tribus his cadaveribus elatis non tantus fuit metus civium, ut non palam dolere sibi hoc factum, odio se Leonidæ & Ampharis correptos præ se ferrent: existimabant enim ab eo tempore, quo primum inhabitare Peloponnesum Dorienses cœperunt, ad eum usque diem nihil crudelius Spartæ, aut scelestius actum fuisse. Et vero Lacedæmoniorum regi ne hostis quidem in pugna occurrens manus temere attulisse videtur, sed dignitatis verecundia abstinuisse. itaque in tam multis adversus Græcos certaminibus Spartanorum, unicus ante Philippi Macedonis ætatem Cleombrotus apud Leuctra in prælio cæsus est: & quod affirmant Messenii Theopompũ ab Aristomene interfectum id Lacedæmonii negant, ictumque modò fuisse fatentur. Sed ea nonnihil habent ambigui. Lacedæmone quidem primus regum Agis ab ephoris necatus est, cùm præclaras Spartaque dignas res conatus esset, idque ea ætate, qua peccantibus hominibus ignosci solet: ab amicis autem quam inimicis reprehendi potuit rectius, quod & Leonidam servasset. &, homo videlicet mansuetissimus, cæteris credidisset.

Necatur cum matre & avia.

Regum Spartanorum dignitas.

IN

IN AGIDEM INTERPRE-tis Annotationes.

AGis ultimus Spartanorum ex familia Eurytionidarum rex fuit, Arati Sicyonij æqualis, & Antigoni regis Macedoniæ. Circa annum V.C. *maxime* DX. *floruit. Et statim successit in altera familia Cleomenes. Olympiade* CXXXIX. *mortuum Antigonum Polybius in fine secundi libri ostendit: quo tempore Cleomenes paulo ante ab eo victus in Aegyptum profugit, ibiq; sub Ptolemæo Philopatore perijt. quo tempore etiam Marcellus Gallos vicit.*

Cap. 3. Notum enim illud est : Quod non honestum.) *Alludit Plut. ad sententiam Græci alicujus poetæ (neq; autor, neque locus nunc succurrit & tamen memini me legisse alicubi, sed quærendi ocium non suppeditat) qua limites honesti & inhonesti ita distinguuntur, ut ubi honestum desinat, ibi incipiat tupitudo. Itaq; locum, quem ob brevitatem non est assecutus Tudertinus, aliquot verbis additis parenthesiq; illustravi. Est autem in Græco pars Senarij:* ἐπεὶ μὴ καλὸν, αἰσχρὸν ἤδη.

Cap. 4. Genere Eurytionides.) *Dixi de hoc vocabulo in Lycurgo. Duæ enim fuerunt regiæ familiæ Lacedæmone: Eurytionidarum seu Eurypontidarum una, Agidarum altera. Quod neque Tudertinus, neque Amiotus hoc loco observarunt.* εὐρυπωντίδης *in Græco legendum.*

Ibid. Apud Mandonium.) *Non memini legere hoc nomen alibi. Historia est apud Diodorum Siculum libro 16. qui eadem die id factum ait, qua apud Chæroneam Philippus Græcos vicit: meminit etiam Pausanias.*

Cap. 5. Agidæ.) *In Græco mendum est* ἀπιάδης, *pro* ἀγιάδης. *nam* ἀγιῆδαι, & ἀγιάδαι *etiam apud Pausaniam scribuntur. Interpretes familiæ nomen omiserunt.*

Ibid. Neque tamen regno potitus est.) *Tudertinus contra & Græca verba, & historiæ veritatem scripsit,* regnatum à Cleonymo, sed non diu. *Nam Areo fuisse regnum mandatum, repudiato Cleonymo, non hîc modò, sed & copiosius in Pyrrho Plutarchus, perspicuè in Laconicis Pausanias narrat, & alij.*

Cap. 11. Studium pecuniæ.) *Extat apud multos Græcos scriptores oraculum Apollinis Pythij, in hanc sententiam versu hexametro pronunciatum:*

ἁ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδὲν.

Meminit Cicero lib. 2. Off.

Ibid. Thalamis.) ἐν θαλαμίοις. *Scribendum* ἐν θαλάμαις, *ex Pausaniæ Laconicis & Stephano: tametsi hîc aßignat Messeniis, ut de alia urbe locutus videatur. Nam hæc quidem* Laconica *est.* θαλάμην *Ptolemæus nominat.*

Cap.

Cap. 13. Thaletem.) Cretensem intellige, de quo supra in Lycurgi vita.

Ibid. Ecprepem.) In Laconicis Apopht. ἐμπρεπής, Emerepes legitur: quod & Erasmus retinuit. Mihi hæc lectio verior videtur.

Cap. 24. In Cajadam.) τὴν καλουμένην δεκάδα. Sed τὸν καλούμενον καιάδαν legendum minime dubito. quandoquidem δεκάδα hanc a nemine adhuc autore alio nominari invenerim: καιάδαν autem de simili re, scilicet Pausaniæ exitu, scribens, nominat Thucydides libro primo, atque sic legitur etiam apud Suidam. Eustath. in β Iliadis, & initio δ' Vlisseæ καιέταν vel καιάταν scribit, innuitque sic dictum à fissura terræ.

Cap. 26. Modò, inquit, Spartæ prosit.) συνενέγκαι ego pro optativo accipiendum duco, cujus est tertia persona Aoristi. Interpres, In hoc duntaxat Spartæ utilis fui. Atque hoc etiam Erasmus secutus est. Sed mihi nimis longè petitum videtur: & non ταῦτα, sed τοῦτο erat legendum, si intelligi debuit hoc eam dicere: Nihil se præterea patriæ potuisse dare, quam quod Agidem peperisset: eventum enim ejus consiliorum præstari a se nequivisse. Noster sensus & verbis congruit, & simplicior, mulierèque dignior est.

Ibid. Dorienses.) Erant hi Heraclidæ, ex posteris Herculis. de quibus vide quæ passim sunt apud Pausaniam, præsertim in Argolicis & initio Laconicorum: & Diodorum libro quarto.

PLVTARCHI CLEOMENES, GVILIELMO Xylandro Augustano Interprete.

I MORTUI Agidis fratrem Archidamum arripere Leonidas non potuit: fugam enim ex urbe is occupaverat. Vxorem Agidis Agiatidem, quæ prolem recens natam habebat, domo abductam vi nuptum filio suo Cleomeni dedit, non planè nuptiis maturo: verùm eam alii nubere non volebat, quod & à Gylippo ea patre amplissimam hæreditatem expectabat, & forma longè omnes Græcas mulieres superabat, & moribus erat admodum commodis prædita. Postquàm itaque etiam multa fertur ultrò fecisse non passa se cogi. igitur Cleomeni conjuncta fuit, tametsi Leonidã odisset, adolescentem tamen hunc omni amore & officio conjugali coluit, statim in ipsis nuptiis amore sui correptum, & quodammodo desiderium memoriamque Agidis, qua eum uxor prosequebatur, miserantem, adeò quidem, ut sæpe historiam rerum ejus recitari sibi jusserit, narrantique consilia & propositum ejus attentè animum adverterit. Erat enim Cleomenes ingenio laudis cupido, excelsoque præditus animo, & ad continentiam simplicitatemque non minus, quàm Agis, natura aptus: cautionem autem ejus, & mansuetudinem non habebat, sed innatum quendam animi stimulum, ut vehementi

Cleomenes Agidis uxorem ducit.

Ingenium & studia.

II impetu ad id quod pulchrum videtur, incitaretur. Existimabat verò

verò pulcherrimum esse, volentibus imperare: pulchrum autem hoc etiam, non obtemperantes cogere, & ad officium faciendum vi compellere. Proinde statum Reipub. præsentem minimè probabat. Etenim cives otio & voluptatibus deliniti quiescebant, rex omnibus negotiis valere jussis satis sibi beatus videbatur, si luxuriantem, genioque in omnium rerum abundantia indulgentem nemo interturbaret: negligebatur commodum publicum, pro se unusquisque quantum poterat in rem suam vertebat: mentionem autem exercitationis & temperantiæ adolescentum, tolerantiæque & æqualitatis facere periculosum erat, Agide, quod conatus ea fuisset in urbem reducere, interfecto. Fertur Cleomenes adolescentulus adhuc philosophiam attigisse, cùm Sphærus Borysthenites Lacedæmonem venisset, adolescentesque & pueros non indiligenter institueret. Is Sphærus inter primos fuit Zenonis Citiæi discipulos: videturque ingenium Cleomenis ad fortitudinem accommodatum amplexus, animi ejus magnitudinem doctrina sua excitasse. Nam quod Leonidas ille priscus interrogatus qualem poëtam judicaret? Tyrtæum, respondit, videri sibi aptum ad demulcendum blandiendo animos juvenum: (repleti enim à carminibus ejus quasi furore quodam divino, in prœliis vitam suam honestati postponebant) id de Stoica disciplina secus est. magna enim & vehementia ingenia si ea imbuantur, prompti ad pericula subeunda & audaces adeoque temerarii fiunt homines: sin ea sedato & placido ingenio committatur, ejus temperamento quasi diluta fructus optimos & consentaneos profert. Cùm morte Leonidæ ad Cleomenem redisset regnum, videretque cives planè dissolutos, quod & divites suis cupiditatibus voluptatibusque intenti rempublicam negligebant, & vulgus rebus domesticis laborantibus neque ad bella alacritatem neque laudis studium ad disciplinam quotidianam afferebat: se quoque videbat titulum regis habere, omnem potestatem penes ephoros esse: statim in animum induxit præsentis rerum status mutationem. Amicus ei erat Xenares, amator quondam ejus: (Lacedæmonii *empnesthæ* dicunt, cùm de hoc genere amoris loquuntur, quasi *inspirare* Latine diceres) hujus primum animum tentavit, percontando qualisnam ei rex fuisse Agis videretur, & quo modo, quibus auxiliis ea quæ egerat confecisset. Et primò quidem Xenares haud illibenter historiam eam commemorabat, singula ut acta essent narrans. Vt verò non fefellit Cleomenes majore animi affectu auscultans, novisque Agidis rebus mirificè commotus, eademque sæpius recitari sibi postulans, iratus eum Xenares objurgavit, ut non satis sanum: & ad extremum omninò congressu colloquioque ejus abstinuit, caussam tamen dissidii non aperuit, Cleomenem eam cognitam habere dicens. Xenare ad hunc modum refragante, alios perinde affectos arbitrans Cleomenes, ipse consilia secum agitavit. Existimans autem facilius in bello quàm pace mutari remp. posse, Spartanos cum Achæis commisit occasiones querelarum

Margin notes: III (beside "discipulos"); Rex fit. (beside "ingenio committatur"); IV (beside "tus mutationem").

Bellum contra Aratum & Achæos.

larum ultro offerentes. Aratus enim potentissimus Achæorum, cùm statuisset omnes Peleponnesos in unum corpus redigere, (hic enim finis diuturnis ejus actionibus, multisq; expeditionibus erat propositus, hoc uno pacto existimantes Græcos ab exteris hostibus tutos fore) cæterisque propè omnibus civitatibus ei se conjungentibus, soli restarent Lacedæmonii, Elei, & Arcades quotquot eorum Lacedæmoniis parebant: statim post mortem Leonidæ adortus est Arcades, eosque potissimum infestavit, qui Achæis erant finitimi, Lacedæmoniorum animos tentans, & Cleomenem ut juvenem & imperitum contemnens. Itaque ephori Cleomenem primum ad occupandum Minervæ fanum, quod apud Belbinam erat, mittunt, castellum est in finibus Laconicæ ad fauces positum, ac tum de eo cum Megalopolitanis disceptabatur. Cùm id esset à Cleomene occupatum & muro cinctum, Aratus nulla prius expostulatione interposita noctu exercitum ad Tegeam & Orchomenum opprimendas duxit: proditorib. autem præ metu quod promiserant non præstantibus retrò abiit, latuisse se putans. Cleomenes verò jocosè ad eum scripsit, tanquam amicum interrogans, quonam noctu exercitum duxisset: & cùm responderet, audivisse se eum Belbinam munire velle, & ad id prohibendum contendisse, rescripsit: Hoc quidem se ita esse credere, cupere tamen, nisi molestum sit ipsi, scire ex eo, quam ob rem faces & scalas secum tulisset. Ibi cùm Aratus ad facetias hominis subrisisset, & quæreret, qualisnam ille esset adolescens, Damocrates Lacedæmonius exul: Si quid, ait, adversus Lacedæmonios moliris Arate, properandum est tibi, antequam pullo huic aculei nascantur. Secundum hæc Cleomenem in Arcadia cum paucis equitibus, & ccc. peditibus castrametatum ephori metu belli revocarunt: sed postquàm eo digresso Caphyas Aratus cepit, rursus ab iis emissus, Methydrium occupavit, & Argolicam incursionibus vexavit. Contra eum viginti peditum millia, mille equites ab Achæis missi sunt duce Aristomacho: qui cùm apud Palantium Cleomeni occurrissent, isque ad pugnandum esset paratus, perterritus ejus audacia Aratus, committere prœlium ducem non est passus, sed discessit, & ob id conviciis Achæorum exagitatus, derisus contemptuique habitus est à Lacedæmoniis, quorum in exercitu ne quinque quidem integra millia fuerant. His rebus Cleomenes audacia auctus, jactare se apud cives cœpit: admonuitq; prisci cujusdam regis, qui dixerat: Non debere interrogare Lacedæmonios, quales, sed ubi hostes essent. Inde Eleis ab Achæis bello infestatis opem ferens, apud Lycæum discedentes jam Achæos adortus, universum eorum exercitum in fugam vertit, permultos occidit & cepit, ita ut Aratum quoque periisse rumor apud Græcos vagaretur. Aratus vero occasione præclarè usus, statim ab ea fuga Mantineam venit nemine id opinante, urbemque eam cepit atque obtinuit. Cleomenes cùm ob hæc Lacedæmonii sententiam prorsus mutarent, sibique bellum gerere volenti repugnarent, statuit Archidamum

damum Agidis fratrem, quem ex altera familia regem esse leges jubebant, Messena Spartam evocare: regno integritati suæ restituto censens ephororum potentiam minorem futuram. At qui Agidem interfecerant, cùm hoc sensissent agi, timerentque ne pœnæ ab ipsis factorum exigerentur, receperunt quidem eum in urbem clam, reducendique socios se præbuerunt: statim autem occiderunt, sive (ut Phylarchus ait) invito Cleomene, sive ab amicis ad prodendum hominem verbis adducto. nam in eos præcipuè culpa collata est, quod ad necem Archidami adegisse Cleomenem existimabantur.

Archidamus perit.

Enimverò Cleomenes statim movere urbanas res cupiens, e- VII
phoros pecunia corrupit, ut expeditionem sibi decernerent: reliquorum etiam permultos demeritus est matre Cratesiclea affatim sumptus præbente, conatusq; filii adjuvante. hæc quidem, cùm ei conjugio nihil esset opus, filii causa primò gloria & potentia civiū nupsisse traditur. Educens igitur copias Cleomenes, oppidum quoddam Megalopolitarum occupat, Leuctra nomine: cùmq; eò celeriter Achæi duce Arato defendendorum suorum causa accurrissent, commissa ad ipsam urbem pugna pars quædam exercitus Spartani victa est. Cùm autem Achæos Aratus apud profundam quandam convallē à persecutione inhiberet, indignè id ferens Lysiades Megalopolita, suos equites incitavit, hostiq; fugienti instans in locum vitibus, fossis, & ruderibus repletum invectus est: ibique dissipatis suis, eximere se inde & expedire non valuit. Quod cernens Cleomenes, Tarentinos & Cretenses milites ei immisit, ab iisq; Lysiades fortiter pugnans cæsus est. Lacedæmonii autem animis receptis cum clamore in Achæos irruerunt, totumque exercitum pulerunt, multis occisis. Cadavera omnia ex pacto reddidit Cleomenes, præter Lysiadæ: id enim ad se afferri jussit, purpuraq; ornatum & serto, ad portas Megalopolis misit. Hic est ille Lysiades, qui tyrannide se abdicavit, civibusq; libertate reddita, eos Achaico fœderi adjunxit. Porrò Cleomenes altos jam spiritus ducens, certoque sibi persuadens, se, si suo arbitratu bellum gereret adversus Achæos, facilè victoria potiturum, Megistonū vitricum docuit, debere spretis ephoris cives in commune bona sua conferre, æqualitateque instituta Spartam erigere, & ad imperium in universam Græciam evehere: & cùm hoc ei persuasisset, duos aut tres alios ex amicis ad eandē causam sibi adjunxit. Accidit iis diebus, ut quidā ex ephoris in fano Pasiphaæ dormiens, per somnum sibi videretur eo in loco, ubi jus dare ephori solebant, cernere unicam tantū sellam, reliquis quatuor sublatis, positam: sibique admiranti vocem ex templo auditam, quæ hoc ita Spartæ expedire diceret.
Hoc insomnium Cleomenes cùm IX
narrare sibi audiret ephorum, initiò perturbatus est, tentari se propter suspicionem aliquam putans: ut verò persuasum est vera eum dicere, animo confirmatus quos maxime civium instituto suo refragaturos censebat, iis abductis Heræam & Alsæam; urbes Achæis subditas, cepit, Orchomenum frumentum importavit, ad Manti-

nean

neam castra posuit, omninoque longis hac illac expeditionibus Lacedæmonios ita defatigavit, ut plerosque eorum ita flagitantes in Arcadia relinqueret. Ipse cum mercenariis militibus Spartam petiit, inque itinere consilium suum iis, quorum erga se benevolentię maximè fidebat, exposuit: sensimq; progressus est, ut ephoros in cœna deprehenderet. Cùm prope urbem esset ventum, Euryclidam in ephororum syssitium præmisit, veluti per eum aliquid è bello nuncians. Therycion autem & Phœbis, & duo alii qui cum Cleomene educati Samothraces appellabantur, cum paucis militibus eum subsequebantur. Euryclida adhuc cum ephoris colloquente, strictis in eos gladiis milites irruerunt. Primus Agylæus cùm ictus concidisset, videreturque mortuus, sensim sese colligens, & ex ædibus istis subducens, nemine observante in parvam ædem irrepsit, quæ Metui sacra, cùm alias semper fuisset clausa, tunc fortuitò patebat: in hanc ut se contulit, ostium occlusit. Cæteri quatuor obtruncati sunt, & plures quam decem qui auxilium tulissent. nemini enim quiescenti manus illatæ sunt, neque urbe exeuntem quisquam prohibuit: Agylæo etiam postridie ex templo discedenti pepercerunt. Lacedæmone non Metus tantum, sed Mortis etiam, & Risus, aliorumque in generis affectuum fana sunt. Colunt autem Metum, non eo modo, quo noxios quosdam genios abominantur, sed quod eo maximè contineri rempub. arbitrantur. Ideo etiam ephori cum magistratum ineunt, civibus edicunt (ut refert Aristoteles) ut superius labrum radant, ac legibus animum advertant, ne molesti ipsis esse cogantur: de barba (ut opinor) eò præcipientes, ut in minimis quoque rebus dicto audientes esse juvenes adsuefacerent. Et quidem fortitudinem mihi videntur non vacuitatem à metu, sed metum reprehensionis & ignominiæ antiqui judicasse. qui enim maximè leges timent, ii adversus hostem sunt audacissimi: minimèque dolorem formidant, qui male audire maximè timent. Ideo rectè dictum est:

Namq; verecundus metus comes est pudor—

atque Homerus etiam præclarè:

Chare socer, reverende mihi, semperq; timende:

& alio loco,

Ductorumq; metu taciti—

Nam plerique eos maximè reverentur, quos timent. Itaque ergo etiam juxta ephororum syssitium Metus fanum dedicatum fuit, cum eorum magistratus proxime regiā esset potentiam. Facta die Cleomenes LXXX. cives proscripsit, quibus solum vertendum esset: sellisque ephororum remotis, unam modò reliquit, qua sedens ipse jus diceret. Advocato deinde ad concionem populo, ut factorum suorum rationem redderet, hujusmodi orationem habuit. Lycurgus regibus, inquit, senatum adjunxit: diuque eo modo respublica Spartana absque ullo alio magistratu administrata fuit. Postea temporis cùm bellum adversus Messenios traheretur, reges, quod ipsi

Ephoros Cleomenes trucidat.

Metus cur Spartæ cultus.

expeditionibus occuparentur, quosdam suorum amicorum delegerunt, qui judicia obirent, eosque ut suos vicarios populo reliquerunt; ephoros ab inspectione dictos. Hi cùm primum nihil aliud quàm administri regum essent, paulatim deinde potestatē sibi ipsis arrogarunt, magistratumque proprium animadvertente nemine constituerunt. Cujus rei signum extat, hodieque rex ab Ephoris vocatus, primùm atque iterum abnuit: tertiò domum vocatus surgit, & ad eos accedit: tum hoc, quod Asteropus, qui primus eum magistratum auxerit, multis post ætatibus ephorus fuit. Ac poterant XI
quidem utcunque ferri in repub. ephori, si quidem moderatè se gessissent: qui autem potentia adscititia avitum regnum opprimebant, adeò ut regum alios in exiliū agerent, alios indicta causa necarent, periculumque omnibus priscam ac pulcerrimam reipublicæ formam videre desiderantibus denunciarent, tolerari nequaquam debuerunt. Quod si absque cæde exscindi pestes Lacedæmoni invectæ potuissent, luxus, luxuria, debita, fœnerationes, malaque bis antiquiora pauperies & divitiæ: omnium ego me regum beatissimum judicarem, veluti eum medicum, qui absque ullo dolore patriam sanasset. Nunc necessitati veniam deberi Lycurgus ostendit, qui privatus, & neque regia, neque alia ulla potestate præditus, regnum tamen adiens armatus in forum processit: ita quidem, ut Charilaus rex perterritus ad aram confugeret. Sed is quidem, vir bonus & patriæ amans, statim Lycurgo socium se immutandæ, constituendæque reipublicæ adjunxit: ostendit tamen re ipsa Lycurgus, difficulter citra vim & terrorem mutari rempub. posse. Atque his quidem ego moderatissimè usus sum, sublatis è medio iis qui saluti Spartę impedimento erant. Cæteris omnibus agros in commune dividendos tribuo, debitores alieno ære libero, peregrinorum delectum propono, ut eorum optimi in civitatem nostram assumpti, armis urbem tutentur: ne, ut hactenus, Laconicam penuria defensorum prædationibus Ætolorum & Illyriorum expositam videre cogamur. His dictis, primus omnium bona sua in publicum contu- XII
lit: idemq; & Megistonus vitricus, & amicorum unusquisque fecerunt, ac cives universi imitati sunt. Agri deinde divisi sunt: assignavitque Cleomenes iis quoque suas partes, quos solum vertere jusserat, ac promisit rebus ad tranquillum statum reductis universos se reducturum. Civium deinde numerum lecto de finitimis præstantissimo quoque supplevit, ac quatuor millia arma ferentium instituit: docuitque eos loco hastilium sarissis uti, quas utraque manu tenerent, & scutum ferre non loro appensum sed armilla. Ad adolescentum inde conversus institutionem, adjutorem in plerisque habuit Sphærum: recipiebatur autem ab iis statim exercitationum & syssitiorum ordo atque frugalitas, paucis vi ad ea compulsis, plerisque ultrò ingenuam illam & Laconicam vivendi rationem amplectentibus. interim ne solus regni potiri videretur, ad avertendam ejus nominis invidiam fratrem Euclidam regni socium adscivit:

Æqualitas Spartam reducta.

& tunc

& tunc primum Spartanis duo ex eadem familia reges fuerunt. *Duo fratres Spartæ reges.*
XV Porrò sentiens Achæos & Aratum judicaturos, ipsum rebus ob mutationem fluctuantibus non ausurum exire Sparta, urbemque tantis motibus agitatam deserere, ostendere hostibus alacritatem sui exercitus judicavit neque indecorum fore, neque inutile. Itaque in fines Megalopolitanorum ingressus, maximam prædam egit, plurimumque agri vastavit. Ad extremum histriones Messena proficiscentes nactus, erexit in hostico theatrum: unoque die quadraginta minas præmium certaminis constituens, spectavit ipse assidens: non quod spectacula tanti faceret, sed insultans veluti hostibus, eorumque contemptu demonstrans, quantò ipsis esset superior. Alioquin omnium regiorum & Græcorum exercituum soli Laconici neque mimos, neque circulatores, neque saltatrices, neque psaltrias secum trahebant: omnique planè scurrilitate, lascivia, & pompa vacabant: sed plerunque pueri senioribus docentibus discebant exercitabantque aliquid: animique causa, si suppeditaret ocium, jocis consuetis atque facetiis, Laconicisque dicteriis indulgebant. quod genus jocandi quid attulerit utilitatis, in vita Lycurgi demon-
XVI stravimus. Cæterum ipse omnia docebat suos Cleomenes, vitam *Cleomenis laus.* suam simplicem, frugalem, omnisque fastus expertem, neque præter cæteros quicquam habentem, veluti exemplum temperantiæ proponens: quod quidem ei ad res Græcas momentum videtur aliquod attulisse. Etenim homines cùm ad alios accederent reges, non tam admiratione splendoris eorum luxusque percellebantur, quàm fastum eorum & superbiam abominabantur, molestè & asperè respondentium. Ad Cleomenem verò venientes, & re scilicet, & nomine regem, cùm circa ipsum nullas lænas aut purpuras, nullum lectorum lecticarumque apparatum, nullam nunciorum janitorumq; turbam conspicerent, neque is per literas tardè ægrèque responsa daret, sed plebejo amiculo indutus convenientibus occurreret, familiariterque eos exciperet, hilarique vultu humaniter colloquere-
XVII tur, demulcebantur, & eum solum ab Hercule natum dicebant. Cœna ipsius quotidiana in triclinio erat frugalis admodum & Laconica: sin legatos aut hospites acciperet, duo alii apponebantur lecti, ac splendidius aliquantò mensam famuli adornabant, non quidem opiparè conditis cibis aut placentis, sed ut largius apponerentur fercula, & vinum esset liberalius. Nam quin & objurgavit quendã suorum, cùm audivisset eum in convivio hospitibus jus nigrum & mazam, ut in phiditiis, apposuisse: nam in his dicebat, & apud peregrinos præsertim, non esse nimis accuratè Laconicum morem tenendum. Remota mensa, tripos inferebatur, cum æneo cratere vini pleno, & pateris argenteis duabus, quarum utraque duas cotylas caperet, & poculis argenteis perpaucis: inde bibebat qui vellet. nolenti nemo porrigebat. Aurium oblectatio neque adhibebatur ulla, neq; desiderabatur: nam convivium ipse suo sermone jucundum reddebat, modò quærens, modò narrans, oratione ita temperata, ut & quæ

ſeriò dicebantur, non injucunda, & facetiæ elegantes non inurbanæque eſſent. Quibus enim rationibus cæteri reges hominum benevolentiam venantur, pecuniæ ſcilicet & munerum corruptela, eas & injuſtas, & artis vacuas cenſebat: pulcherrimum autem, & maximè regium judicabat, eos quibus cum ageret oratione ac conſuetudine grata & fide digna ſibi devincire: idque unum inter amicum & mercenarium intereſſe, quod ille moribus & ſermone, hic pecunia paratur. Primi eum Mantinenſes ad ſe vocarunt, noctuque XVIII in urbem admiſſum in ejiciendo Achæorum præſidio adjuverunt, ſeque in fidem ejus tradiderunt. Quibus ille cùm leges ac rempub. reddidiſſet, eadem die Tegeam profectus eſt. Paulò pòſt peragrata Arcadia ad Pheras Achaiæ urbem acceſſit, ut vel cum Achæis prœlio decertaret, vel Aratum calumniis objiceret, qui pugnam ſubterfugiens Cleomeni regionem proderet. Prætor tum Achæorum erat Hyperbatas: ſed omnium rerum poteſtas penes Aratum. Acheis cum omni exercitu egreſſis, & in agro Dymæo apud Hecatombæum caſtrametatis, Cleomenes ſupervenit: cùmque videretur male ſibi conſuluiſſe, qui intra Dymem urbem hoſtilem, & caſtra Achæorum conſediſſet, hoſtes audacter provocavit, pugnareque coactos vicit: fuſaque eorum phalange multos interfecit, multos cepit. Inde ad Langonem profectus, ejecto Achæorum præſidio, urbem Eleis reddidit. Ita attritis Achæis Aratus, qui ſolebat alternis annis præturam gerere, tum magiſtratum recuſavit, vocatus quidem, & ut eum ſuſciperet, oratus; non rectè id agens, qui in tam periculoſa tempeſtate clavum dimitteret, aliique traderet. Cleomenes cùm hactenus viſus eſſet legatis Achæorum tolerabiles proponere conditiones, tum miſit, qui juberent eos principatum dimittere: de cæteris facilè ſibi cum ipſis conventurum, ſeque ſtatim ipſis captivos & quę in bello ademiſſet oppida redditurum. Cùm Achæi his conditionibus pacem componere ſtatuiſſent, Cleomenemque Lernam vocarent, quo loco conventum inſtituerant: caſu evenit, ut Cleomenes continenter profectus, & aquę potu intempeſtivè uſus, multum ſanguinis ejiceret, voxque ei intercluderetur: itaque captivorum pręcipuis ad Achæos remiſſis, dilato conſilio Lacedæmonem rediit. Hic caſus res Græciæ perdidit, quæ alioquin videbatur utcunque ſe recolligere, Macedonumque ſuperbiam & avaritiam effugere poſſe. Aratus enim ſive quod Cleomeni fidem non haberet, eumque me- XX tueret, ſive invidens inſperatis ejus ſucceſſibus indignumque judicans ſibi, qui per XXXIII. annos primas partes tenuiſſet, juvenem ſubitò exortum cum gloria ſimul potentiam eripere, imperiumque ab eo auctum & tam longo tempore obtentum evertere: primò ſtatuit Achæos ne pacificationem iſtam probarent, vi prohibere. deinde cùm Cleomenis audacia territi dicta ejus ſpernerent, atque etiam iſtam eſſe Lacedæmoniorum petitionem dicerent, qui antiquam formam Peloponneſi reducere conarentur, rem aggreſſus eſt, nemini Græcorum convenientem, omnium autem maximè ipſi turpem,

Res geſtæ bello Achaico.

XIX

Aratus Antigono ſe adiungit.

turpem, & rebus ante actis indignissimam: nimirum ut Antigo-
num in Græciam vocaret Macedonibusque impleret Peloponne-
sum. quos ipse adolescens liberato Acrocorintho ex Peloponneso
XXI ejecerat. Et quidem omnibus regibus suspectus, ac cum omnibus si-
multates exercens Aratus, Antigono huic mille suorum commen-
tariorum locis obtrectat. Iam qui multa se passum multa conatum
propter Athenienses ait; dum urbem eorum præsidio Macedonico
liberaret, is Macedones armatos in patriam penatesque suos usque
ad gynæceum adducit: genus verò ab Hercule trahentem Sparta-
norum regem, & qui avitam reipub. formam veluti concentum ob-
soletum renovans, cantilenam illam Dorij modi de temperanti vi-
tæ ratione, quam olim Licurgus cecinerat, repetebat, Sicyoniorum
ac Triccæorum ducem scribi indignum putat. mazamque fugiens,
& pallium, & (quod gravissimum Cleomeni impingebat crimen)
divitiarum sublationem, paupertatisque correctionem diademati,
purpuræ Macedonicisq; & satrapicis mandatis se Achajamque sub-
jicit: ac ne videatur imperata à Cleomene facere, Antigonia sacri-
ficat, coronatusque pæanas canit in honorem hominis pulmonum *Reprehendi*
vitio contabescentis. Neque nos hæc Arati accusandi causa scribi- *modus.*
mus, viri qui in multis rebus Græciæ utilis præstansque fuit: sed
humanæ imbecillitatis deplorandæ gratia, quando ne in tam no-
bilibus & insigniter ad virtutem aptis ingenijs bonum absque ullo
XXII nævo existere potest. Achæis Argos ad concilium venientibus, &
Cleomene Tegea eodem profecto, maxima apud omnes spes pacis
extiterat. Aratus verò, qui jam cum Antigono de maximis rebus
pactus erat metuens ne Cleomenes omnia consequeretur, populo
Achæo persuasit, aut quidem vi eo adegit, ut juberent Cleomenem
acceptis triginta obsidibus solum ad ipsos venire: aut si cum co-
pijs accederet, extra urbem apud gymnasium Cyllarabium collo-
qui. Hæc audiens Cleomenes, injuriam sibi fieri dixit. prædicen-
dum enim sibi hoc fuisse. non jam ad fores accedenti fidem solven-
dam, seque repellendum. epistolam quoque ea de re ad Achæos
scripsit: cujus major pars in Arato criminando consumebatur.
Cùmq; apud multitudinē vicissim Aratus multis eū verbis traduxis-
set, celeriter discessit, præconē qui bellū Achæis indiceret nō Argos,
sed Ægium (ut ait Aratus) præveniendi eorum apparatus causa mi-
sit: Tumultum ea res apud Achæos excitavit, & ad defectionem
civitates spectare cœperunt. nam & populi agrorum divisionem,
novasque tabulas sperabant, & principes varias Arato molestias ex-
hibebant: multisque odio erat, quod Macedones in Peloponne-
XXIII sum induceret. Ergo Cleomenes hac occasione aucta fiducia in *Achaicum*
Achajam irrupit: ac primùm Pellenem cepit, ejectis unà cum *bellum inte-*
præsidio Achæis: deinde Pheneum & Penteleum in potestatem *gratur.*
redegit. Cùm verò Achæi proditionem quandam, quæ Corinthi
& Sicyone conflabatur, metuentes, mercenarios milites & equi-
tatum Argis eò custodiæ causa misissent, ipsique Agros profe-

cti Nemea ibi celebrarent : sperans Cleomenes (id quod res erat) se si urbem hominibus festivitati & spectaculis deditis repletam subitò adortus esset, magnas turbas daturum, noctu ad muros exercitum adduxit : locoque circum Aspidem (pars urbis ita appellatur) occupato, qui supra theatrum situs, aditus difficiles habet, tantum terrorem hominibus incussit, ut nemo ad defendendam urbem se converteret : verùm & præsidium acciperent cives, & viginti obsides darent, & Lacedæmoniorum fœderi, cujus dux erat Cleomenes, se adjungerent. Hæc res magnum ei & ad poten- XXIV
tiam, & ad gloriam momentum attulit. Nam neque priores Spartanorum reges Argos firmiter sibi adjungere, quantumvis multa ejus rei causa machinari, potuerunt : & imperatorum summus Pyrrhus cùm vi intrasset, non obtinuit urbem, sed & ipse, & unà magna exercitus pars perijt. Itaque celeritatem & prudentiam Cleomenis admirabantur homines : & qui prius eum, cùm in abrogandis æris alieni contractibus Solonem se & Lycurgum imitari diceret, deriserant, tum omninò assensi sunt, eum mutationis in melius rerum Spartanarum autorem causamque fuisse. Quippe ita ante hac abjecti vixerant, adeòque se ipsos tueri nequiverant Lacedæmonij, ut Ætoli in regionem eorum impressione facta, quinquaginta mancipiorum millia abegerint. cùm quidem ferunt quendam de senioribus Spartanis dixisse : Beneficio Laconicam ab hostibus affectam, qui eam ita exoneraverint. Non multo post tempore, cùm attigissent modò priscam disciplinam, ejusque vestigijs institissent veluti præsente & gubernante Lycurgo, multa fortitudinis dederunt documenta, atque obedientiæ, principatum Græciæ Lacædemoni recuperantes, & Peloponnesum sibi restituentes. Argis captis, cùm statim etiam Cleonæ & Phlius Cleome- XXV
ni se adjunxissent, Aratus, qui tum Corinthi in quosdam, qui ferebantur Laconum partibus studere, inquirebat, nuncio rei allato perturbatus, cùm civitatem eam sentiret ad Cleomonem inclinare, ac cupere Achæorum principatu liberari, civibus in concilium advocatis, ipse occultè ad portas elapsus est : ibique equum adductum conscendit, ac Sicyonem confugit. Idem scribit, Corinthiorum certatim Argos ad Cleomenem contendentium tantam fuisse festinationem, ut equi eorùm omnes rupti fuerint : increpatosque eos à Cleomene, quod se non comprehendissent, sed effugere passi fuissent. Venisse etiam ad se Megistonum à Cleomene missum, orasseque ut accepta, quam promittebat ingentem pecuniâ Acrocorinthũ Achæorum præsidio deducto traderet. seq; ei respondisse : Non habere se res in sua potestate, sed ab ijs haberi. Cleomenes Argis profectus, Trœzenijs, Epidaurijs, Hermoniensi- XXVI
busque sibi adjunctis Corinthum venit, arcemque munitionibus inclusit, Achæis decedere nolentibus. Arati quoque amicos & procuratores ad se vocavit, jussitque facultates ejus tenere ac tueri. rursumque Tritymallum Messenium ad Aratum misit, petens

ab

ab eo, ut Acrocorinthum communi Achæorum Lacedæmoniorumque præsidio teneri peteretur: privatimque Arato duplum ejus stipendij, quod à rege is Ptolomæo accipiebat, daturum se promisit. Arato non obtemperante, sed & filium cum reliquis obsidibus ad Antigonum mittente, & Achæos eò adducente, ut tradendum Antigono Acrocorinthum decernerent, ita demum in Sicyonium agrum impressionem fecit, eumque populatus est, & decreto Corinthiorum bona Arati dono sibi data accepit. Cùm Antigonus magno cum exercitu Geraniam transcenderet, existimavit non Isthmum sibi, sed montes tantum eos, qui Onij dicuntur (quasi si *Asininos* Latinè appelles) vallo murisque intercipiendos custodiendosque Cleomenes, locique oportunitate potius adversus Macedonas, quàm cum phalange probe instructa & exercitata pugnan-

Antigoni expeditio.

XXVII dum. Atque his quidem usus consilijs, in maximas Antigonum difficultates conjecit, cui neque satis frumenti comparatum, neque obsesso à Cleomene transitu facilè erat vi pergere: & cùm noctu conatus esset per Lechæum elabi, spe frustratus nonnullos milites amisit. Ita ut Cleomenes cum suis elati victoria, audaciaque repleti ad cœnam se contulerint: Antigonus autem animi anxius, necessitate ad consilia difficilia & impedita adactus fuerit. cogitabat enim castra ad promontorium, quod à fano Iunonis Heræum dicitur, referre, atque inde exercitum navibus Sicyonem trajicere: quæ res & multum temporis, & apparatum haud mediocrem desiderabat. Iam sub vesperam Argis ad eum mari advehuntur quidam Arati amici, defectionem a Cleomene moliri Argivos nunciantes, ipsumque eò vocantes. Auctor ejus defectionis fuit Aristoteles, ac populum haud difficulter in suam sententiam pertrahebat, indignantē, quod speratas ab ipsis novas tabulas non dedisset Cleomenes. Proinde Aratus MD. militibus ab Antigono acceptis, Epidaurum navigavit. Aristoteles autem adventu ejus non expectato, ipse cum civibus oppugnavit præsidium Cleomenis: eique præsto fuit cum Achæis Sicyone ad subsidium addu-

Argos & Corinthum amittit Cleomenes.

XXVIII ctis Timoxenus. Hæc cùm circa secundam noctis custodiam cognovisset Cleomenes, Megistonum (qui maximè pro Argivis fidem suam interposuerat, prohibueratque ne suspectos sibi ejiceret urbe Cleomenes) iratus ad se vocavit, & cum duobus militum millibus statim ad retinendos Argos misit: Corinthios interim verbis confirmans, quod nihil periculi ab Argis esse, verùm paucos quosdam homines tumultum ibi concitasse diceret. Sed postquàm Megistonus Argos ingressus in pugna occisus fuit, præsidiumque Spartanum ægrè vim hostium sustinens crebros ad ipsum misit nūtios, subvenire sibi jubentes: metuens ne captis Argis hostes transitus intercluderent, Laconicamque inde tutò popularentur, & Spartam oppugnarent defensorum vacuam, exercitum Co-

XXIX rintho abduxit. Hanc urbem statim amisit, Antigono in eam intrante, præsidiumque imponente. Muros autem Argorum

aggre-

aggressus, & intrò se proripere conatus est, ex itinere conversis ad oppugnationem copijs, excisisque sub Aspide repagulis ad suos pervenit, Achæis etiamnum resistentes, ac partes nonnullas urbis interiores admotis scalis occupavit, vicosque hostibus vacuavit Cretensium sagittariorum opera. Vt vero Antigonum vidit à summitatibus in planitiem cum phalange descendere, & equites magno impetu ad urbem contendere, spe victoriæ abjecta suos ad se conduxit, tutoque præter murum abduxit. cùm quidem brevissimo temporis spacio maximas res confecisset, ac propemodum totam Peloponnesum unica expeditione in suā potestatem redegisset. Quæ quidem omnia continuò rursum amisit, cùm partim milites statim ab ipso discederent, partim paulò pòst Antigono urbes traderent. Hoc successu expeditionis usum, copiasque retrò abducentem cùm jam advesperasceret, quidam Lacedæmone profecti apud Tegeam conveniunt, haud minorem præsenti calamitatem nuntiantes: mortem nimirum uxoris ejus, propter quam ne felicissimis quidem in bellis diutius permanebat: sed amore Agiatidis, quam faciebat plurimi, crebrò Spartam recurrebat. Perculsus verò est, & dolore correptus, ut par est juvenem pulcherrima pudicissimaque orbatum uxore. nihil tamen de animi magnitudine dimisit, nihil se indignum egit: sed voce, habitu, vultuque eodem servato, mandata ducibus dedit, ac de incolumitate Tegeatarum rationes inijt. Postridie prima luce Lacedæmonem descendit: luctuque domi cum matre & liberis peracto, statim de summa rerum deliberationem instituit. Cùm autem Ptolomeus Rex Ægypti auxilium ei promittens, obsidum loco liberos ejus matremque sibi dari posceret, diu admodum veritus est hoc matri indicare, ac sæpe ad eam ingressus, jamque dicturus obmutuit: adeò ut ipsa suspicata hoc sit, & ex amicis ejus percontata, ecquid cunctaretur ipsam aliqua de re compellare. Tandem Cleomene rem aperire auso, cachinnum sustulit mater, &: Hoc ergo, inquit, erat, quod sæpe aggressus nobis dicere, formidine detentus intermisisti? non tu potius statim nos in navim impones mittesque eò ubi corpus hoc Spartæ quàm utilissimum fore judicas, priusquam hic desidens à senectute conficiatur? Omnibus rebus apparatis, pedites Tænarum descenderunt, armato exercitu eos deducente. Iam verò ingressura in navim Cratesiclea, in fanum Neptuni Cleomenem solum abduxit: ibi amplexu ejus & osculis saturata, gravissime dolentis, animoque perturbati: Agedum, ait, ô Rex Spartanorum, operam demus, ne nos hinc egressos quisquam lacrymantes, aut indignum aliquid Lacedæmone in nos admittentes conspiciat. hoc enim præstare unum possumus: fortuna ea utemur, quæ divinitus obtinget. Hæc locuta composito ad serenitatem vultu cum nepote navim conscendit, celeriterque solvere rectorem navis jussit. Delata in Ægyptum, cùm Ptolomæum audiret legatos Antigoni atque oratores admittere, Cleomenem verò ab Achæis ad pacificationem invitatum,

XXX (right margin, beside "partim paulò pòst Antigono urbes tra-")

Vxoris mors. (left margin, beside "antes: mortem nimirum uxoris ejus")

Matrem & liberos obsides Ptolomæo mittit. (left margin, beside "us statim nos in navim impones")

XXXI (right margin, beside "ctute conficiatur? Omnibus rebus apparatis, pedites Tænarum de-")

ma-

matris causa non audere injussu Ptolemæi bellum desinere, per epistolam monuit, ut id, quod Spartæ dignitas, commodumque juberent, ageret, neque semper vetulæ mulieris & puerili causa Ptolemæum metueret. Hanc sese Cratesiclea rebus adversis gessisse

XXII fertur. Cæterùm Cleomenes in ipsam Laconicam conclusus, cùm Antigonus Tegeam cepisset, Orchomenumque & Mantineam diripuisset; helotum quotquot quinque minas Atticas conferrent, libertate donavit: eoque modo D. talentis coactis, duo millia hominum Macadonico more armavit, quos militibus Antigoni opponeret, qui ab albis, quæ gestant, scutis Leucaspides dicuntur. Magnam inde rem, & præter omnium expectationem aggressus est. Megalopolis urbs erat per sese nequaquam Lacedæmone minor, neque imbecillior: tum verò Achæorum etiam, & Antigoni auxilio nitebatur, castra in propinquo habentis, ut qui maximè Megalopolitanorum opera videretur ad ferendam Achæis opem adductus. Hanc urbem diripere intendens Cleomenes, (nullum enim alium finem subita & inopinata ejus hæc actio habuisse propositum videtur) milites quinque dierum cibaria secum ferre jussos ad Sellasiam duxit, veluti in Argolicam impressionem facturus. Inde in agrum Megalopolitanum profectus, cùm apud Rhœtium corpora militum cœna refecisset, recta per Helicuntem ad ipsam urbem contendit. Cùm haud procul abesset, Panteam cum duabus Lacedæmoniorum cohortibus præmisit, qui turrium quoddam interstitium, quo loco audierat maximè desertos esse muros, caperet: ipse cum reliquis copiis paulatim subsecutus est. Panteas non illum modò locum, sed magnam præterea illius muri partem custodibus vacuam offendit, ac statim quà dejecit, quà subruit, occisis quotquot occurrissent custodibus: ac maturè superveniens Cleomenes, priusquàm Megalopolitani animadverterent, cum copiis intra muros constitit. Vix tandem calamitate per urbem innotescente, cives alii arreptis quæ poterant bonis effugerunt, alii arma rapientes facto agmine in hostem pugnaverunt quem cùm profligare nequirent, tutum tamen civibus urbe exeuntibus discessum præstiterunt. Itaque non ultra mille homines in urbe deprehensi sunt, reliqui omnes cum uxoribus & liberis Messenam profugerunt: illa quoque multitudo, quæ pugnâ cum hostibus conseruerat, evasit, paucis admodum captis. Fuerunt inter captivos Lysandridas etiam & Thearidas, viri nobiles, & qui largiter apud Megalopolitanos poterant: itaque eos statim ad Cleomenem adduxerunt milites. Lysandridas cùm eminus Cleomenem conspiceret alta voce: “Nunc, inquit, tibi ô rex Lacedæmoniorum licet præclariori, quàm id quod confectum est, maximeque regio facinore summam consequi gloriam. Tum Cleomenes suspicatus quid esset, quod dicturus erat: Quid ergo, ait, ô Lysandrida sentis? non enim, puto, urbem me jubebis vobis reddere. Hoc ipsum est, respondit ille, quod suadeo tibi, ne urbem tantam pessundes, sed patriam Megalopolitanis reddens, iis bonis fidelibusque

Servi ad militiam liberantur.

Megalopolis capitur.

porrò sociis eam impleas, tantamque conserves multitudinem. Ad hæc rex, cùm paululùm tacuisset: Credere, inquit, hoc cuiquam difficile est: sed tamen apud nos gloriosa semper utilibus præferantur. atque ita fatus, viros istos Messenam misit, unà cùm suo præcone, ea conditione Megalopolitanis se patriam reddere promittens, ut ab Achæis deficiant & secum fœdus ineant. At Phliopœmen Megalopolitas datam Achæis fidem ob tam benignas Cleomenis pollicitationes solvere passus non est, criminans eum, qui non urbem reddere, sed cives porrò etiam in suam ditionem redigere cuperet: Thearidamque & Lysandridam Messena exegit. Hic est Philopœmen ille, cujus prima post apud Achæos potestas, interque Græcos gloria fuit, quemadmodum in vita ejus demonstravimus. XXXV Cleomenes autem, qui hactenus urbem intactam illæsamque conservârat, ita ut ne levissimum quidem quicquam ab ullo etiam furtim auferretur, accepto ejus rei nuncio protinus exasperatus atque iratus, bona diripuit, statuas & tabulas Spartam misit, urbisque maximis & plurimis partibus dirutis, domum se cum suis recepit. ab Antigono sibi & Achæis metuens. Verùm hi tum Ægii concilium habentes, nihil rei gerebant. Quo in Concilio cùm Aratus conscenso suggestu aliquandiu clamyde faciei prætenta flevisset, mirantibusque cæteris & dicere jubentibus, Megalopolim à Cleomene perditam retulisset: statim concilium dimissum est, Achæis celeritate & magnitudine mali perculsis. Antigonus autem cùm opem sociis ferre intenderet, militibus tardè ex hybernis convenientibus, rursus manere suo eos loco jussit, ipseque cum militibus haud multis Argos se contulit. Ideo secundus etiam Cleomenis conatus, cùm ab insana quadam videretur susceptus temeritate, magnæ prudentiæ debuit imputari: quod & Polybius testatur. Nam (ut is refert) XXXVI sciens Cleomenes Antigoni exercitum per urbes in hyberna dispersum, Antigonumque secum non multos Argis (ibi enim cum amicis hyemabat) habere mercenarios milites, in Argolicam irrupit: existimans aut se de Antigono præ pudore ad pugnam excitato victoriam reportaturum, aut pugnare non ausum eum calumniis Argivorum objecturam, atque ita evenit. Cùm enim regionem vastaret, & bona Argivorum ageret ferretque, graviter ii id ferentes, ad fores Regis frequentes commeabant, magnisque clamoribus pugnare eum, aut principatum præstantioribus concedere jubebant.

Antigoni prudentia.

Verùm Antigonus, quod est prudentis imperatoris officium, non male audire apud alios, sed temere se in discrimen mittere, ac quæ tuta essent dimittere turpe existimans, progressus ad prœlium nequaquam est, sed consiliis suis institit. Cleomenes cùm usq; ad muros Argivos exercitum adduxisset, tutoque agros populatus hostibus insultasset, domum rediit. Paulò post cùm audivisset Antigonum Tegeam profectum, ut inde in Laconicam invaderet, celeriter militibus ad se conductis, alia via ingressus, eadem die ad Argos conspectus est, agros vastans, fructusque non, ut alii, falcibus XXXVII

& cul-

& cultris demetens, sed magnis lignis in frameæ modum fabricatis decutiens, ut nullo negotio inter ambulandum joci causa videretur totas segetes perdere. Sed ubi ad Cyllarabin gymnasium perventum est, ignem injicere suos volentes inhibuit: quod Megalopolin ita magis quàm recta ratione ductus perdidisse sibi videretur. Cùm verò Antigonus statim Argos reversus, mox montes & transitus omnes præsidiis occupasset, simulans se nihil ea re moveri Cleomenes, præcones misit, qui fani Iunonis claves peterent, quod Rex sacrificio Deæ peracto discedere vellet. Hoc modo cùm illusisset hostibus, & ad occlusum templum sacris esset operatus, Philiontem copias abduxit: atq; inde profectus ad Orchomenum, in itinere Ologunto præsidium expulit: cùm quidem non civium modò animos confirmasset, audaciaque implevisset: sed ab ipsis etiam hostibus egregius dux, dignusque magnis rebus esset judicatus. Etenim videbatur haud vulgaris esse peritiæ atq; magnanimitatis, unius urbis opibus fretum Macedonum viribus regiisq; divitiis cum totius Peloponnesi viribus conjunctis bello posse resistere: & non modò intactam servare Laconicam, sed & hostilem infestare regionem, & tantas capere urbes. Enimverò qui primus pecuniam esse nervos rerum dixit, is præcipuè ad bellum videtur respexisse. Ac Demades Atheniensibus deducere naves, & instruere classem jubentibus: Prius, inquit, panis pinsendus est, quàm de prora dicendum. Fertur & Archidamus ille sub initium belli Peloponnesiaci, cùm socii juberent certum eum pensionis modum definire, dixisse: Bellum non pascitur certo & certæ mensuræ adstricto sumptu. Etenim quemadmodum exercitatione robur membrorum adepti athletæ spacio temporis opprimunt atq; superant agiles artificiososque: ita Antigonus magnis opibus instructus, iisque bellum reficiens, defatigavit tandem superavitque Cleomenem, vix habentem, unde tenuiter militibus mercedem, civibus alimenta supeditaret. Alioqui pro Cleomene etiam status rerum ejus temporis faciebat: nam barbari absente Antigono incursionibus Macedoniam vexabant, magnusque tum supernè Illyriorum irruperat exercitus, à quo infestati Macedones, Antigonum domum accersebant, ac parum abfuit, quin ante pugnam eæ literæ ei redderentur: quibus acceptis, profectò statim valere jussis Achæis domum contendisset. Sed quæ levi momento solet res maximas decernere fortuna, tantum ostendit in opportunitate temporis positum esse, ut cùm statim post pugnam ad Sellasiam, qua victus Cleomenes exercitum patriamque amisit, adfuerint, qui Antigonum avocarent, tantò miserabilior etiam Cleomenis calamitas videretur. Qui si biduum adhuc se à pugna abstinuisset, nihil opus erat ei futurum pugna: sed discedētibus Macedonibus potuisset quibus ipse voluisset conditionibus pacem cum Achæis componere. Nunc penuria pecuniæ, ut dictum est, omnem in armis spem collocare coactus, eo compulsus est, ut cum viginti millibus hominum (quod ipsum Polybius scribit) adversus

Pecunia belli nervus.

Fortunæ momentum.

triginta

triginta millia decertaret. Quo in prœlio cùm præclari ducis munus obivisset, & cùm civium promptissima, tum mercenariorum non aspernanda opera usus esset, armaturæ tamen modo, phalangisque gravitate elisus est. Phylarchus etiam proditionem inter- XL
venisse tradit, quæ maximè res Cleomenis perdiderit. Cùm enim Antigonus Illyrios & Arcananes occultè circumire, & alterum hostium cornu claudere jussisset, cui Euclidas Cleomenis frater præerat, cæteras deinde copias ad pugnam instrueret: Cleomenes ex specula id contemplans, cùm nusquam arma Illyriorum Arcananumque cerneret, veritus ad hujusmodi rem iis Antigonum usum, Damotelem, qui insidiis præfectus erat, ad se vocavit, videre jubens & quærere, ut se res à tergo aciei, & circum eam haberent. Damotele autem (erat enim, ut fertur prius ab Antigono pecunia corruptus) non debere ea de re solicitum esse dicente (omnia enim probè esse curata) idque potius agendum, ut hostes à fronte ingruentes propulsaret, fidem ei habens in Antigonum suos duxit: impetuq; Spartanorum, quos secum agebat, phalangem Macedonicam pulit, cedentemque ad quinque circiter stadia insecutus est, urgens atque prævalens. Vt verò ab altera parte circumventum cum suis Euclidam vidit, ac quo in discrimine res versaretur, subsistens: Periisti, inquit, charissime frater, periisti! cùm te præclarè gesseris, imitandusque pueris Spartanorum sis, & mulieribus canendus. Euclida cum suis cæso, hostibusque victoribus ad se tendentibus, ut vidit milites animis cecidisse, hostiumque congressum non subsistere, suæ ipsius consuluit saluti. Ferunt & mercenariorum militum mul- XLI
tos ea in pugna occubuisse, & de sex Spartanorum millibus ducentos tantùm superfuisse. Vt Spartam pervenit Cleomenes, civibus obviam factis jussit Antigonum recipere: seque dixit utrum ex usu patriæ sit futurum, aut victurum, aut moriturum. Cùm videret mulieres ad eos qui unà effugerant accurrere armisque ipsos levare, & potum afferre, ipse in suam quoque domum intravit: sed cùm puella quam Megalopoli abductam liberam post uxoris mortem secum habebat, more suo accederet, venientemque è bello curare vellet, neque bibere sustinuit, quanquam siti confectus, neque defatigata membra sedendo reficere: sed ut erat thorace indutus, manum obliquam columnæ cuidam injiciens, caputque cubito imponens, paululum quiete corpus recreavit: omniaque sua consilia animo percurrens, cum amicis ad Gythium contendit. ibi naves ad id paratas conscenderunt, atque avecti sunt. Antigonus verò cùm primo XLII
adventu Lacedæmone esset potitus, humaniter cives tractavit, dignitatemque Spartæ nullo modo conculcavit, aut ludibrio habuit: sed leges rempublicamque Spartanis reddidit, peractisque sacris discessit tertio quàm venerat die: quod Macedoniam bello ardere, atque à barbaris vastari inaudivisset. Iam & morbus ipsum occupaverat, in phthisin vehementem vergens: defluxumque humoris ex capite continentem. Non tamen ei succubuit, sed ita in certamine

Cleomenes vincitur.

Patria profugit.

Antigoni bonitas.

pro

pro regno suo perduravit, ut maxima parta victoria, ingentique barbarorum cæde peracta, majori cum gloria mortem obiret. Phylarchus scribit, eum in ipso prœlio vociferatione corpus perrupisse: quod vero non est dissimile. In confabulationibus hominum ferebatur eum post prœlium clamãtem præ gaudio, O pulchrum diem: multum sanguinis inde expuisse, acutaque febri decessisse. Interim
XLIII Cleomenes Cytheris avectus Ægialiam appulit. Hinc Cyrenam trajectu amicorum quidam Therycio nomine, vir & in rebus gerendis magni animi, & oratione semper usus elata atque arroganti, seorsim compellavit, &: Pulcherrimam, ait, ô rex moriendi in ipso prœlio occasionem dimisimus: tametsi audientibus universis dixeramus, nunquam fore ut Antigonus regem Spartanũ nisi mortuum superet. Nunc quę virtute & gloria proxima illi est nobis adest. Quo navigamus? cur quæ in promptu sita fugientes, eadem procul quærimus? Nam si Herculis ortos genere indecorum non est Philippi Alexandrique servire successoribus, longa navigatione supersedere possumus, nosque Antigono dedere, quem tantum præstare Ptolemæo, quantum Ægyptiis Macedones convenit. Sin eos qui armis nos vicerunt, imperare nobis indignum putamus: cur eum, qui non superavit nos dominum nobis paramus? scilicet ut non uno, sed duobus deteriores videamur: cùm & Antigonum fugimus, & Ptolemæum adulamur. An matris tuæ causa venire nos in Ægyptum dicemus? nimirum præclaro & optabili spectaculo futuri cùm ea Ptolemæi mulieribus ostendet filium de rege captivum & exulem factum. Non potius dum adhuc nostri in nostra potestate sunt gladii, Laconicamq; prospicimus, hîc nos fortunæ subducimus, & his qui apud Sellasiam pro Sparta oppetierunt, nos excusamus? quam in Ægypto sedeamus, audientes quem Antigonus Lacedæmone satrapam reliquerit: His Therycionis verbis ita Cleomenes respondit.
XLIV Tu verò improbè fortis tibi videris, mortem appetens, qua nihil omnium humanarum rerum omnibus magis in promptu est situm? turpior hæc tua priori est fuga. Hostibus quidem etiam alii nobis præstantiores concesserunt, aut fortuna adversante, aut multitudine oppressi. Qui verò ob labores & miserias, aut opinionem reprehensionesque hominũ animum despondet, is à sua ipsius vincitur mollitie: Mors enim spontanea, non fuga actionũ, sed actio esse debet. Turpe verò est nos nobis ipsis tantum vivere ac mori: ad quod nunc tu nos hortaris, properans præsentem rerum statum effugere, nulla alia re confecta. Ego autem censeo & me & te non decere spes patriæ salutares dimittere: eæ ubi nos deserent, facillimum erit mori volentibus. Ad hæc Therycion nihil respondit: sed ubi primum à Cleomene digrediendi occasionem nactus est, ad littus abiit, ac si-
LV bi mortem conscivit. Cleomenes autem avectus inde in Africam perlatus est, ac deducentibus regis Alexandriam venit. Primo congressu Ptolemæus ei se vulgari modo humanum moderatumq; prębuit: sed postquàm animum ejus exploravit, deprehenditq; virum

Mors.

Cleomenis in Ægypto acta.

esse cordatum, cujus etiam in quotidiana consuetudine Laconica simplicitas non illiberalem habere gratiam, neque in ea quidquam nobilitate ipsius indignum admitteretur, ac non fractus à fortunâ in colloquio plus fidei quàm assentatores mereretur: pudere ipsum ac pœnitere cœpit, qui tantum virum destituisset, Antigonumque passus esset eo victo tantum gloriæ & potentiæ parare. Itaque honoribus & comitate sua recreatum confirmavit, promittens se eum cum navibus & pecunia in Græciam missurum, inque regnum instituturum. Viginti etiam ac quatuor talenta ei in singulos annos stipendii nomine constituit: qua ex pecunia ille se & amicos frugaliter sobrieque sustentans, magnam partem largiendo in Græcos, qui in Ægyptum confugerant, insumebat. Verùm Ptolemæus senior priusquàm promissum repræsentaret, vitam cum morte commutavit. Cujus morte cùm statim regnum in multam lasciviam, temulentiam, & mulierum dominationem incidisset, negligi etiam Cleomenes cœpit. Regis enim novi animus ita fuit vino reque muliebri perditus, ut cùm maximè sobrius esse ac seria agere sibi videbatur, tympanum tenens in regia orgia celebraret: maximas autem regni res administraret amasia regis Agathoclea, materque ejus, & lena Oenanthe. Initio tamen videbatur aliquis Cleomenis esse usus. Nam Ptolemæus Magam fratrem timens, ut propter matrem multum apud milites habentem gratiæ, Cleomenem adscivit arcanaque sua cum eo communicavit consilia, fratrem interficere intendens. Id quod Cleomenes unus omnium (nam cæteri hoc suadebant) improbavit, dicens: Regi potius securitatis & diuturnitatis regni causa alios multos fratres parandos esse, si qua id ratione fieri posset. Cùm verò Sosibius, primus potentia inter amicos regios, diceret: Vivente Maga nunquā mercenariis militibus tuto fidi posse: Cleomenes eum hujus rei causa animo ocioso esse jussit, inquiens, eorum militum plures tribus millibus ex Peloponneso esse, atque ita à se pendere, ut ubi primum annuerit, ad se transire cum armis sint parati. Id verbum tunc quidem Cleomeni haud levem benevolentiæ potentiæque opinionem paravit: post verò cùm Ptolemæi imbecillitas timiditatem augeret. & is (quod fieri consuevit apud homines imprudentes) tutissimum putaret omnia metuere, ac nemini confidere, terrori esse Cleomenes aulicis cœpit, quod apud milites largiter posset: ac multi palam dicebant, leonem hunc inter oves versari. & re vera hujusmodi ingenium ejus apparebat, sensim in regia quæ agerentur circumspicientis. Ac naves quidem & exercitum tamdiu frustra petiit, ut desperaret ad extremum. Vt verò Antigonum mortuum, Achæos Ætolico bello implicitos esse, rerumque statum perturbata & divulsa Peloponneso præsentiam suam desiderare audivit, solum se cum amicis dimitti postulavit: sed qui animum ei adverteret, fuit nemo. Nam rex mulieribus, thiasis, & vino continenter deditus, aures non præbebat. Sosibius autem, qui summæ rerum consilioque præerat, existimabat Cleomenem, si invitus

Ptolemæi Philopatoris scelera.

vitus detineretur intractabilem fore & terribilem: dimissum verò, pro sua audacia magnas res moliturum, præsertim qui vitia regni laborantis coram inspexisset: Non enim mulieribus animus ejus demulcebatur, sed quemadmodũ Apis in omnium rerum copia degens, cùm maximè luxuriare videtur, vitam tamen naturæ suæ convenientem, liberosque cursus saltationesque desiderat, palamq; indignè fert se intra manus sacerdotis ali: ita Cleomenem nihil molle aut blandum delectabat, sed quod de Achille Homerus scribit: *Magnanimitas Cleomenis.*

Tabescebat ei cor inerti in pace sedenti,
Et desiderium belli, armorumq; tenebat.

XL Interim Nicagoras Messenius Alexandriam venit, inimicus Cleome-
III ni, quod ab eo, cùm prædium ei pulcrum aliquando vendidisset, ob penuriam (opinor) & negocia hominis bellis occupati precium non receperat: verùm amicitiam tum simulans. Hunc navi oneraria egredientem Cleomenes, ut tum forte in portus crepidine deambulabat, amicè excepit, & cujusnam rei causa in Ægyptum appulisset quæsivit. Nicagora comiter eum vicissim salutante, seque bonos ad bellum equos regi advehere dicente, ridens: Mallem, ait, mulierculas Musicas & cinædos attulisses: his enim nunc maximè opus habet rex noster. Nicagoras cùm tum subrisisset, paucis post diebus Cleomenem de precio prædii admonuit, ac nunc tandem sibi persolvi petiit, dicens se ei molestum non fuisse futurum, nisi satis magnam jacturam mercatura sua fecisset: & cùm Cleomenes responderet, nihil sibi eorum quę accepisset superesse, irritatus Sosibio Cleomenis in regem scomma aperuit. Pergratum id Sosibio fuit: ut tamen majorem regis in Cleomenem exasperandi causam haberet, Nicagoræ persuasit ut discedens epistolam ad se de Cleomene scriptam relinqueret, qua indicaretur eum, si classem & milites à rege *Insidiæ in eum.*
XL accepisset, statuisse Cyrenam occupare. Et Nicagoras quidem his
IX ita scriptis, ex Ægypto avectus est: Sosibius post quatriduum literas, quasi recens sibi datas, coram rege recitavit, itaque adolescentem irritavit, ut decretum faceret, Cleomenem in magnam domum concludendum, eademq; aliàs qua prius erat usus vitæ ratione concessa, exitu omninò prohibendum. Grave hoc Cleomeni fuit: sed deteriora etiam porrò expectabat; hujusmodi casu motus. Ptolemæus Chrysermi filius, amicus regius ante hac semper familiariter cum Cleomene collocutus fuerat, quædamq; inter eos consuetudo jam liberè sermones cedendi intercesserat. Is tum à Cleomene vocatus venit, colloquioq; satis amico habito, cùm suspicionem verbis diluisset, regemq; excusasset abiit: cùmque non animadvertisset Cleomenem se à tergo usq; ad fores sequi, acerbè objurgavit custodes, qui ingentem feram, venatuque difficilem tam negligenter servarent. Id cùm Cleomenes ipse suis auribus audivisset, & priusquàm sentiret Ptolemæus, regressus suis amicis indicasset, omnes abjecta quam ante conceperant spe statuerunt irato animo, injurias Ptolemæi superbiamq; ulsciscі, & ut patria dignum erat mori,

neq; expectare, dum veluti victimæ altiles mactarentur. indignum enim esse, Cleomenē qui pacem cùm Antigono viro strenuo & bellicoso jungere dedignatus fuerit: sedere hîc expectantem, dum eum rex Magnæ matris sacris deditus ocium nactus, deposito semel tympano, finitisq; choreis jugulet. Hoc ubi decretum fuit, & Ptolemæus L forte fortuna Canopum abiit, initiò rumorem sparserunt, liberatum custodia iri à rege Cleomenem: deinde cùm mos esset regi, ut quos dimittere è carcere statuisset, iis cœnam & xenia mitteret: amici multa talia apparata foris intrò miserunt, decipientes custodes, qui ea abs rege mitti existimabant: sacrificabat enim Cleomenes, & epulas affatim custodibus largiebatur, & coronatus ipse cum amicis convivabatur.

Conatus eius & interitus.

Fertur celerius quàm statuerat rem aggressus fuisse, quod animadvertisset quendam famulorum propositi conscium foris cum amasia quadam rem habuisse, ideoq; indicium timeret. Itaq; circa meridiem, cùm custodes ebrietas somno obruisset, tunicam indutus: ita ut per suturam à dextro humero apertam brachium manusque stricto cùm gladio exercetur. cum amicis numero XIII. eodem habitu præditis domo exiliit: Hippotas autem claudus, cùm alacriter unà se proripuisset, videretq; suos propter ipsum segnius incedere. ut se occiderent jussit, neque expectando hominem inutilem negocio obessent. Forte tum Alexandrinus quidam equum præter fores adducebat: in hunc illi Hippotem imposuerunt, cursuque per vicos ruentes, ad libertatem populum vocarunt. Tantum mo- LI dò animi Alexandrinis fuit, ut laudarent minarenturq; Cleomenis audaciam: sequi, & opem ferre ausus est nemo. Chrysermi filium Ptolemęum aula egredientē statim tres facto impetu obtruncarunt. Alteri verò Ptolemæo urbis præfecto curru adversum se ferenti, occurrentes, ministros ejus & stipatores dissiparunt, ipsumq; de curru detractum necarunt. Inde ad arcem contenderunt, ut effracto carcere multudine captivorū uterentur: sed maturè arcem custodes munierant atque occluserant. Itaq; hac etiam frustratus spe Cleomenes, cùm vagaretur per urbem, nemine se ei adjungente, sed omnibus fugientibus atque timentibus, tandem re desperata dicens: Mirum jam non esse, si hominibus libertatem fugientibus mulieres imperarent: jussit omnes ut rege & rebus gestis dignum esset mori. Primus omnium Hippotas juniorum quendam exoravit, ut ab eo cæderetur: cæteri deinde sua singuli manu intrepidè & facilè mortem sibi consciverunt, Panteo excepto. Is est qui primus Megalopolin cepit: eumq; forma præstantem omnibus, & ad disciplinam juvenum aptissimum, rex amasii loco habuerat. ac tum jussit ita demum mori, ubi se & reliquos defunctos videret. Ergo jam omnibus jacentibus circumiens Panteos pugione singulos attigit, explorans an quis forte lateret vivens. Cùm Cleomenes prope talum ab eo ictus vultum obvertisset, osculatus eum juxta assedit: jamq; exanimatum amplexus, seipsum jugulavit. Ad hunc modum periit Cleo- LII menes, cùm XVI annos Spartæ rex fuisset, & quæ commemoravi facinora

cinora edidisset. Fama rei per universam urbem divulgata, Cratesi-
clea, quanquam generoso prædita ingenio mulier, victa tamen ma-
gnitudine calamitatis animi magnitudinem inflexit, liberosq; am-
plexa filii, lamentata est. At filiolorum alter major natu, cùm se ne-
mine metuente proripuisset, à tecto in caput præcipitavit: neq; ta-
men mortuus est, sed male afflictus, sublatus est vociferans indigne-
que ferens se prohibitum mori. Ptolemæus re cognita præcepit, ut
Cleomenis corpus pelle nudatum in sublime suspenderetur, liberi-
que ejus & mater necarentur, quæq; iis aderant mulieres. In his erat
etiam Pantei uxor, pulcerrima forma: & recenti adhuc connubio eo-
rum, amore etiamnum maximè vigente hæc eos fortuna excepit.
Ea, cùm unà cum marito navigare volentem parentes retinuissent,
inclusamq; vi asservassent, paulò post equum sibi ipsa, & non mul-
tum auri paraverat, noctuque profugiens Tænarum celeriter con-
tenderat, ibiq; navi in Ægyptum eunte conscensa ad virum pervecta
fuerat, absq; dolore hilarem cum eo vitam in exilio egerat. Hæc tum
Cratesicleam à militibus eductam manu injecta comitabatur, pe-
plum ejus attollens, animumq; confirmans, ne ipsius quidem mor-
tem formidantis, sed id unum postulantis, ut ante nepotes occide-
III retur. Vt ad locum perventum est ubi supplicia sumi de damnatis
solent, primùm pueros, inspiciente Cratesiclea, jugularunt carnifi-
ces: deinde ipsam, hoc unum tantis in calamitatibus affatam: O li-
beri, quo abiistis. Pantei autem uxor cùm se veste sua præcinxisset,
robusta mulier atq; magna, singula occisarum cadaver tacita & abs-
que tumultu composuit, & quantum in præsentia poterat texit. Post
omnes cùm seipsam composuisset, vestemque deduxisset neminem
passa alium adire aut spectare, nisi eum qui ad inferendam cædem
erat constitutus, heroicè mortem obiit: neq; ei quoquam usus fuit
qui mortuæ corpus componeret aut velaret. adeò animi modestia
etiam exitui ejus adfuit: eumque corporis habitum, quo se vivens
muniverat, conservavit Ita Lacedæmon extremo tempore exempla
mulierum cum viris incerta victoria de honestate certantium veluti
in scena proponens, ostendit virtutem à fortuna violari, turpitudi-
IV neve affici non posse. Post dies haud multos, ii, qui in crucem a-
ctum corpus Cleomenis custodiebant, justæ magnitudinis draco-
nem viderunt caput ejus circumplicasse, faciemque operuisse, ita ut
nulla carnivora avis advolaret. Id superstitionem regi injecit, me-
tusq; expiationum novarum causam mulieribus præbuit: quod vir
diis charus, & præstantioris humanæ naturæ interfectus videbatur.
Alexandrini etiam frequẽtes ad eum locum commeantes, Heroem
Cleomenem, & Deorum filium appellaverunt tantisper, dum eum
errorem doctiores minuerunt: docentes putrefacto bovis cadavere
apes, equi vespas, asini scarabeos generari: in humano autem cor-
pore, confluente sanie quæ est circa medullam, & in unum coale-
scente, angues nasci. id quod intelligentes antiqui, ex omnibus ani-
mantibus draconem potissimum heroibus consecraverunt.

Ptolemæi in uxorem & liberos Cleomenis crudelitas.

Draco Cleomenis.

INTERPRETIS ANNOTATIONES, in Cleomenem.

MORTUI Agidis.) *Hic vitam Cleomenis ordior. Etsi enim in Græco divisa à priore non sit, tamen id nobis perspicuitatis causâ faciendum videbatur. alioquin animadverti multa ex Cleomene citari, quæ sunt in Agide: & vicissim.*

Cap. 2. Agide, quod conatus.) οὐδὲ ἀσφαλὲς ἦν τούτῳ. *Quod postremum vocabulum est mendosum, ac nisi quid desit, τοῦτο videtur reponendum. Sensum arbitror me aperuisse.*

αἰκάλλειν vel αἰκάλλειν.

Cap. 3. Demulcendum blandiendo.) αἰκάλλειν. *Alij per duo λλ scribunt: sed tamen αἰκάλλος etiam legitur ὁ κόλαξ. Tudertinus non rectè vertit*, Incitandum. *Indicabat autem Leonidas, animis puerorum Tyrtæi carmina suavitate sua illabi, eosque delinire, ut præcepta honestatis severa utcunque & aspera accipiant, atque amplectantur. Hæc enim vis est poëseos, atque inde Orphei & Amphionis fabulæ tractæ: quod & Horatius monuit. Esse autem* αἰκάλλειν blandiri & delinire, *cùm Grammatici Græci docent, tum testimoniis ostendi potest, apud Aristophanem in Equitibus* ἀλλαντοπώλης *ille oraculo delinitus:* τὰ μέν (*inquit*) λόγι' αἰκάλλει με. *Vbi quod addit Scholiastes legere quosdam* λόγια κηλεῖ *lectioni Plutarchianæ videtur adstipulari, quæ uno tantum* λ *utitur: ita enim affinior lectio alteri est. Et Philostratus in vita Appollonij Tyanei, lib. 2. cap. 5. elephantum describens, qui magistro suo abblandiretur, inter alia,* προσιόντα τε, αἰεὶ, τῇ προβοσκίδι *αἰκάλλει &c. Tyrtæi autem fragmenta extant quædam, unde qualis fuerit poeta hodieque æstimare homo non ineptus possit.*

ἐμπνεῖσθαι. εἴσπνηλος, ἀίτης.

Cap 4. Empneisthæ.) ἐμπνεῖσθαι. *Idem etiam* εἰσπνεῖσθαι *dicebatur. Vnde* εἴσπνηλος amator *vocabatur*, amasius ἀίτης. *tametsi hoc vocabulo etiam* amator *exprimitur aliquando, ut apud venustissimum poetam Theoc. Idyllio 28. quod inscribitur Amator.* στέργετε δ' ὔμμες ἀίτας. ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν. *Idem* ἀίτα, *Idyllio 12.*

δοιὼ δή τινε τώδε μετ' ἀμφοτέροισι γενέσθην
φῶθ'. ὁ μὲν εἴσπνηλος, φαίης χ' ὡμυκλαῖσδων.
τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀίταν.

Vide quæ ibi sunt in Scholiis.

Cap 5. In unum corpus redigere.) *Id est, in unam civitatem atque fœdus: quomodo Achaicas paulo ante urbes in unam civitatem contraxerat, ut copiosè Polybius libro 2. & noster in Arato ostendunt. In Græco est* εἰς μίαν σύνταξιν. *Quæ vox cùm aliquando tributum significet (ut in Arato, & alibi etiam apud hunc ipsum auctorem) ineptè Tudertinus contra loci hujus & historiæ naturam id arripuit: quasi verò omnis Respublica & civitas eleganter σύνταξις diceretur.*

Ibid. Apud Belvinam.) *Laconicæ oppidum hic intellige, non insulam Æginæ vicinam. Hoc oppidum Stephanus novit. Pausaniæ est (nisi male suspicor)* βελεμίνα, Belemina, *& Ptolemæo* Blemmina

βλέμμινα

βλέμμινα: Suidæ βελυβινα, Belibina. *nam rectè ita legi, ordo literarum testatur.*

Cap. 8. Leuctra nomine.) *Apud Polybium gravem & accuratum scriptorem, & à quo hanc narrationem potuit noster mutuari, locus hic non* Leuctra, *sed* λαοδίκεια *iterum nominatur*, Laodicia *lib.* 2. *Idem Megalopolitanorum, tyrannum* λυσιάδην, Lysiadem *vocat: quam genuinam esse scripturam, & hic vitio poni* λυδιάδην *puto. Quippe in Arato etiam semel* λυδιάδας, *deinde semper* λυσιάδης *legitur. De cæde etiam Archidami idem Cleomenem, ubi lib. 5. mortem hujus describit, insimulat. Porrò quod est hic*, Apud ipsam urbem, *de Megalopoli videtur intelligendum.*

Cap. 9. Alsæam.) *Hoc vocabulum nunquam alibi reperio: de Arcadica aliqua urbe dici apparet. Videndum an de* Alea *loquatur, &* ἀλέαν *vel sanè* ἀλαίαν *scripserit auctor.* Aleæ *in Arcadia cùm alij autores, tum Plinius quoque meminit, lib. 4. cap. 6.*

Cap. 11. Namque verecundus.) *Proverbialis heroici versiculi pars est, de autore mihi non constat: antiquum esse satis patet, cùm de eo etiam Plato in Eutyphrone disputet. Homeri verba priora sunt Helenæ ad Priamum lib. 3. Iliadis. posteriora de Græcis cum metu & silentio suis ducibus obtemperantibus, lib. ejusdem operis quarto.*

Cap. 14. Et scutum ferre, non loro.) διὰ χάνης, οὐδιὰ πόρπακος. *Cur ita verterim, dicam.* πόρπαξ *hoc loco mihi videtur dici* lorum, *quod fibulis scuto annexum ab humero sinistro & collo dependebat, eoque scutum regebatur antiquitus.* ὀχάνην *verò quæ &* ὄχανον *dicitur, intelligo* ansam *sive armillam in tergo scuti, cui brachium sinistrum insereretur, atque ita scutum gestaretur atque regeretur. Omninò autem quod alias* τελαμὼν *dicitur, id hìc appellari* πόρπακα *existimo. Neque piget Herodoti verba adscribere, optimè huc facientia: sunt autem ex libro primo, ubi de Caribus loquitur:* καὶ ὄχανα ἀσπίσι οὗτοί εἰσι οἱ ποιησάμενοι πρῶτοι. τέως δὲ ἄνευ ὀχάνων ἐφόρεον τὰς ἀσπίδας πάντες, οἵπερ ἐώθεσαν ἀσπίσι χρέεσθαι, τελαμῶσι σκυτίνοισι οἰηκίζοντες περὶ τοῖσι αὐχέσι τε καὶ τοῖσι ἀριστεροῖσι ὤμοισι περικείμενοι. *Hinc est illud Virgilianum:* ——— Clypeoque sinistram Insertabam aptans ——— *& multa similia passim. Eustathius hæc non accurate distinxit: quem in præsentia missum facio.* ὀχάνη πόρπαξ.

Cap. 26. Qui Onii dicuntur.) τὰ ὤνια *in Græco est. quod uterque interpretum secutus, de* locis opportunis *in genere vertit: quasi hoc sit* ὤνιον, *ac non potius id quod nos* venale *dicimus. Ego mendosum locum suspicatus facile fui, neque difficulter tamen emendari posse deprehendi. Legendum dico* τὰ ὄνεια: *ut* montes Onii *intelligantur, qui à Scironiis petris, ea parte qua ad Atticam est via, usque ad Bœotiam & Citheronem pertinent. Strabo lib. 8. Cæterùm Gerania mons est inter Megaram & Corinthum, cujus & Stephanus de Urbibus, & Pausanias in Atticis, quo loco Megaricam describit, meminerunt: quorum hic etiam nominis rationem adfert, quam inde petent qui volunt. Meminit & Plinius 4. 7.*

Cap. 35. Militib. haud multis.) εἷς ἄγρος, πολλοὺς ἔχων. *Legendum* οὐ πολλοὺς, *quod & Tudertinus vidit. requirit enim hoc sensus. Quod autem creditum est Cleomenem temerarium fuisse, quod in Argolicam impressionem faceret, nequaquam potest aut debet ad multitudinem militum Antigoni, sed naturam locorum referri: quod disertis verbis Polybius in hujus historiæ expositione testatur, haud procul fine libri 2. quem quidem noster secutus est, quod & ipse præ se fert.*

ῥομφαίᾳ. Cap. 39. In frameæ modum.) ῥομφαίας. *Rhomphæam in Paulo Plutarchus usurpavit pro hasta Thracica, in descriptione prælij quo Perseus est victus. Eam ego apud Cornel. Tacitum* frameam *arbitror appellari, de moribus Germaniæ propè initium: aut certè non ita absimilia ea inter se fuisse, ut ita vertere nobis non liceat. Quod si cui non placet, bona mea pace* Rhomphæam *retinebit: quando Gellius etiam videri potest eam à framea diversum quippiam judicasse lib. 10. c. 15. usumque rhomphææ vocabulo Ennium idem asserit. Eustathius quidem in Iliad. v. scribit, ab antiquis traditum esse, solos barbarorum Thraces magnis usos gladiis, eosque à nonnullis appellatos rhomphæas.*

Cap. 37. Cyllarabin.) *Supra Cyllarabium dixit: quod vocabulum apparet esse denominativum.* κυλλάραβιν *autem hic scribendum satis constat, etiam ex Varino ordinem literarum secuto. Est autem Cylrarabis gymnasium Argivorum, minus* CCC. *passus ab urbe. Livius libro 34. Pausanias libro 2. à Cylarabo (unico* λ *scribitur* κυλαράβου) *Stheneli F. dictum ostendit.*

Cap. 38. Prius, inquit, paucis.) *Id est:* Oportet priusquam proræ & clavo præficiantur rectores, & classis instruatur, de commeatu & sumptibus constare. *Sic ego divinavi: cùm nihil aliud suppeteret. Tudertinus clausis oculis sententiam in genere extulit, præterito eo quod erat obscurum. Amiotus locum corruptum judicavit. Mihi quidem ænigma est fortasse nauticum, & quod in re navali usurparetur communi sermone dicterium: qualia videmus vulgo singulis prope artificibus sua esse, quæ non omnes alij intelligant. Viderint doctiores.*

Cap. 40. Insidiis præfectus erat.) *Scilicet vel cavendis, vel etiam hosti struendis. Sic enim vocabulum* κρυπτεία *intelligo, cùm* κρυπτεύομαι *sit* τὸ ἐνεδρεύομαι. *& videtur huic loco quadrare. Nam Tudertinus omisit: alter in genere vertit. Sanè in vita Lycurgi etiam heilotum illa occidio per insidias facta* κρυπτία *nominabatur: ut verisimile sit, insidias* κρυπτείαν *Spartanos dixisse.*

Cap. 45. Verum Ptolemæus senior.) *Nimirum Evergetes. cui successit Philopator. vide Polybium lib. 5. & alios.*

Cap. 47. De Achille Homerus.) *Locus est primo Iliadis. Porrò Apin bovem esse, quem regiosè Aegyptij sacerdotum opera educant, notum est.*

PLVTAR-

PLVTARCHI TI. GRACCHVS, GVILIELmo Xylandro Augustano Interprete.

I PAR Romanorum explicata jam duorum Græcorum, quibus *Genus.*
cum ii conferri debeant, historia ad contemplandũ propositituri,
Tiberium videlicet,& Cajum Gracchos,haud leviores hactenus ex-
plicatis casus deprehendemus. Patre hi eodem nati sunt, Tiberio
Graccho: cui cùm censura,duo consulatus,totidemq; acti triumphi
magnam attulerint gloriam, splendidiorẽ tamen virtus dignitatem
conciliavit.Itaq; etiam Scipionis ejus, qui Annibalem superavit, fi-
liam Corneliam non amicus quidem , sed in Republica adversatus,
post mortem ejus qui in matrimonio haberet, dignus est judicatus.
Ferunt eum,cùm aliquando in lecto par anguium reperisset,& ario-
li eo prodigio considerato jussissent neque interficere utrunque,ne-
que dimittere,sed alterum modò: dixissentq; marem cæsum Tibe-
rio: fœminam necatam Corneliæ mortem afferre:amore uxoris ad-
ductum , & quod se oppetere exacta jam ætate æquius esse putaret,
quàm Corneliam adhuc juvenem , marem dimissa fœmina necasse:
neque diu post vita abiisse, Cornelia cum duodecim ex eo susceptis
II liberis relicta. Cornelia domo & liberis receptis, tantum pudici- *Cornelia*
tiæ , amoris in liberos , magnanimitatisque adhibuit , ut non male *laus.*
statuisse maritus ejus judicaretur , qui pro tali uxore mori voluerit.
Quippe & Ptolemæi nuptias, ambientis eam & ad regni societatem
vocantis, repudiavit:& cùm vidua cæteros liberos amisisset , unam
filiam , quæ deinde Scipionis Africani posterioris uxor fuit, ac Ti-
berium & Cajum filios,de quibus hæc scribimus, tanto studio edu-
cavit,ut, cùm in confesso sit neminem Romanorum iis bonitate in-
genii præstitisse, melius tamen instituti quàm nati ad virtutem exi-
stimentur. Sed quoniam veluti Castorum qui pinguntur aut fin-
guntur similitudo quandam in se habet differentiam formæ , ut al-
ter ad pugillationem , ad cursum alter magis videatur aptus:ita illi
adolescentes cùm fortitudinis, temperantiæ , liberalitatis, pruden-
tiæ, magnanimitatisque studio admodum essent similes , maximè
tamen in actionibus eorum & Reip. administratione veluti erupe-
runt apparueruntq; dissimilitudines,quas initio statim exponere o-
III peræ precium videtur. Primùm vultus Tiberii, aspectus,gestusque
placida erant ac sedata omnia: eademque in Cajo vehementia. & il- *Gracchorum*
le quidem ad populum orationem habens eodem se in loco mode- *ingenia.*
stè continebat : hic primus Romanorum in suggesto obambulavit,
interque dicendum vestem ab humero deduxit. quemadmodum
Cleonem traditum est primum Atheniensium oratorum veste cor-
pus nudasse,femurq; percussisse. Deinde oratio Caii terribilis erat,
& ad indignationem concitandam efficax : Tiberii suavior, magisq;
ad miserationem movendam apta.idemque verbis puris exquisitis-
que utebatur , alter persuadendi causa splendorẽ & quasi luxuriem

 adhi-

adhibebat in dicendo. invictus porro ratione, vitæque frugalis erat & simplex Tiberius: Cajum cum aliis collatum, temperantem & austerum, cum fratre autem delicatum atque nimium diceres, quod etiam Drusus ei objecit, emisse eum Delphinas argenteos quinis in singulas libras nummorum millibus. Proinde mores iti- IV
dem, ut oratio, Tiberio mansueti compositiq; erant: Cajo asperi & ad iram propensi. Itaque hic, cùm in dicendo sæpenumerò ira efferretur, ita ut & vocem intenderet, & ad maledicendum prolaberetur, itaque orationem conturbaret, Licinium servum, hominem minimè stupidum ut ei malo mederetur adhibuit: qui cum fistula à tergo adstans concionanti, cùm exasperare vocem, intendere ob iram sentiret, mollem sonitum intonaret, quo ille monitus simul & animi & vocis contentionem remittebat, seque facilè revocari patiebatur. Hæc iis erant dissimilia: alioquin eadem in bello fortitudine, adversus subditos justitia, in magistratu obeundo diligentia, & à voluptatibus abstinentia usus est uterque. Novem annis major natu Tiberius fuit: quod & conatus fratrum temporibus divisit, & actionibus eorum non leve damnum dedit, cùm non eodem tempore florerent, neque in unum suam conferrent potentiam, quæ conjuncta erat maxima & insuperabilis futura. Dicendum ergo de utroque est, & prius quidem de majore. Is ut primùm ex ephebis V
excessit, ita laudatus clarusque fuit, ut ob virtutem magis quàm generis nobilitatem in collegium augurum cooptaretur. Ostendit etiam hoc Appius Claudius vir consularis & censorius, princepsque senatus ob dignitatem lectus, animique altitudine longè æqualibus præstans. Cùm enim unà cœnarent sacerdotes, amicè Tiberium compellavit, & nuptias ei filiæ suæ obtulit. Quas cùm ille animo lubenti accepisset, facta sponsione domum revertens Appius, ab ipsa janua uxorem vocavit, magnaque voce: O Antistia, ait, Claudiam nostram viro despondi, & illa mirata: Quæ, inquit, hujus tantæ festinationis causa est? nisi si eam Tiberio Graccho tradidisti. Neque me fugit, quosdam hoc ad Gracchorum patrem, & Scipionem Africanum referre, sed & plerique ita narrant, ut nos scripsimus: & Polybius autor est, post mortem demum Scipionis necessarios ejus Ti. Sempronio, ex omnibus delecto, Corneliam à patre innuptam relictam nuptum dedisse. Porrò is, de quo agimus, Ti. Grac- VI
chus Scipione posteriore, qui sororem ejus in matrimonio habebat, in Africa militans, in eodemque degens tabernaculo, statim naturam ejus perspexit, multa & magna ad æmulationem virtutis, imitationemq; in actionibus efferentem: statim etiam inter juvenes primam modestiæ & fortitudinis laudem meruit. Fannius eum primum in muros hostium evasisse scribit, seque ei eo in facinore socium affuisse. Magnam & præsens in castris benevolentiam & discedens desiderium sui excitavit. Secundum eam militiam quæstor sorte C. Mancino adversus Numantinos obtigit, viro non malo, sed omnium Romanorũ ducum infortunatissimo, quò magis in adversis

Ti. Gracchi auguratus.

Vxor.

Militia.

Quæstura.

rebus

rebus casibusque insperatis Tiberii eluxit non prudentia modò &
fortitudo, sed quod mirum erat, multa erga ducem verecundia atq;
observantia, qui in tot malis versans ne ducem quidem se esse co-
gnoscebat. Etenim victus magnis pugnis Mancinus, noctu relictis
IV castris discedere conatus fuerat. Quod cùm sensissent Numantini,
& castra statim ceperunt, & fugientes adorti, postremos trucidarunt,
totumque agmen circumvenerunt, inque loca difficilia & fugæ in-
II terclusa compulerunt. Vnde cùm vi se evadere posse Mancinus de-
sperasset, missoque præcone hostem pacem, ac fœdus poposcisset,
nemini se quàm Tiberio fidem habituros Numantini responde-
runt, eumque ad se mitti jusserunt: quod non desiderio modò e-
jus adolescentis faciebant, cujus nobilis erat etiam apud ipsos fa-
ma: sed patris quoque ejus memoriam recolentes, qui bellum ad-
versus Hispanos gerens, multis devictis cum Numantinis fœdus i-
cerat, utque id populus inviolatum servaret, semper effecerat. Ita
missus Tiberius, partim persuadendo iis, partim oblatas conditio-
nes accipiendo fœdus iniit, ac XX. civium millia haud dubiè serva-
vit, absque calonibus & iis qui extra militiæ ordinem sequebantur.
Quidquid in castris fuit, id omne Numantini prædæ habuerunt. *Pacificatio Numantina*
Erant interea etiam tabulæ, quibus quæsturæ suæ rationes Grac-
V chus inscripserat. Is itaque, cùm nihil sibi iis recuperandis anti-
quius putaret, exercitu jam progresso ad urbem Numantiam rediit,
tribus aut quatuor sociis comitatus: proceribusque eorum evocatis,
petiit ut tabulæ sibi redderentur, ne inimicis calumniandi occasio-
nem preberet, cùm administrationis suæ rationes edere nequiret.
III Numantini verò gavisi opportunitate operæ suæ implorandæ ac-
cidisse, hortati sunt, ut in urbem intraret: dubitantique propius ac-
cedentes manus injecerunt, orantes ut iret, neque se jam hostium
loco haberet, sed ut amicis uteretur atque crederet. Statuit hoc
facere Tiberius, tabularum cupidus, metuensque ne fidem non ha-
bendo eos irritaret. Ingresso in urbem statim est appositum pran-
dium, majoremque in modum oratus, assideret, publicèque come-
deret: tabulæ deinde redditæ, & si quid præterea vellet accipere
permissum. Gracchus nulla re, nisi tabulis, & thure, quo ad publica
sacrificia uteretur, accepto, amicè salutatis Numantinis discessit.
VI IX Vt Romam recursus est, tota quidem illa pacificatio ut indigna, &
Romæ dedecus afferens, culpata est: amici verò & necessarii mili-
tum, magna nimirum populi pars, ad ipsum concurrebant, turpitu-
dinem facti omnem Mancino imputâtes, à Graccho autem servatos
tot cives dicentes. Sed qui factum illud iniquius ferebant, ii majo-
rum exemplo utendum dicebant: nam ab iis quoque duces, qui cũ
Samnitibus turpe fœdus ut dimitterentur pepigerant, unà cùm iis,
qui in eo feriendo adfuerant, ut quæstoribus & tribunis militum,
nudi hostibus dediti, perjuriumque in eos & conventorum viola-
tio derivata fuerat. Hic verò maximè benevolentia & studium
populi erga Tiberium effulsit: decrevit enim ut consul nudus vin-
ctusque

ctusque Numantinis dederetur: reliquis autem omnibus Gracchi causa ignovit. Ac videtur quidem etiam Scipio ipsum adjuvisse, cujus tum summa apud cives erat potentia: nihilominus tamen is culpabatur, quod Mancium non servasset, neque effecisset, ut fœdus opera amici necessariique sui Gracchi cum Numantinis factum ratum haberetur. Intercesserunt quidem Scipioni & Graccho simul- X
tates: quibus maximè ambitio, & attollentes prædicantesq; Gracchum amici ac sophistæ causam videntur præbuisse. Neque tamen eas quicquam gravius secutum est: quinimò nunquam mihi eas, in quas incidit, deventurus fuisse calamitates videtur, si in republica versanti Scipio Africanus adfuisset. nunc eo jam ad Numantiam profecto, ibique bellum gerente, legum latione aggressus est. ejus rei quam habuerit, causam, explicabo. Romani agrum, quem finitimis bello eripuerant, partim vendebant, partim publicum faciebant, colendumq; egenis ac pauperibus civibus haud magna mercede locabant. Cùm verò divites inciperent plus pendere, atque ita agris pauperes detruderentur, lata est lex, ne quis plus. D. jugeribus agri possideret. ea aliquandiu avaritiam compescuit, opemque pauperibus tulit, dicto precio agros suos colentibus, fructumque eorum percipientibus. Mox divites vicini submissis certis hominibus locationes agrorum ad se transferre cœperunt, & ad extremum palam ipsi plerosque conduxerunt: quo factum est, ut cùm agris exclusi pauperes, jam neque ad militiam se alacres præberent, & liberos educare negligerent, statim per totam Italiam paucitas liberorum hominũ existeret, barbaricisque ea ergastulis repleretur, mancipiorum opera agros colentibus divitibus, quibus cives suos depulerant. Aggressus est hujus mali correctionem C. Lælius Scipionis XI
socius: sed reluctantibus potentibus, cùm metu tumultus ab incepto destitisset, Sapientis cognomentum reperit. Ti. autem Gracchus, ut primum est tribunus plebis creatus, ad eandem rem se contulit, incitatus (ut maxima scriptorum pars asserit) à Diophane rhetore, & Blossio philosopho: quorum ille exul erat Mitylenæus, hic Cumis Italiæ oriundus. Antipatrum Tarsensem Romæ adiverat, ab eoque inscriptione librorum philosophicorum honoratus fuerat. Quidam matrem quoque Corneliam in causa fuisse tradunt, quæ filiis sæpenumerò exprobraverit, se à Romanis adhuc socerũ Scipionis, nondum matrem Gracchorum appellari. Alii Spurium quendam Postumium æqualem Tiberii, inq; defendendis reis æmulum: quem is è bello revertens cùm gloria magnopere auctum videret in oculis hominum esse, visus est voluisse audaci & magnam hominibus expectationem adferrente actione superare. C. Gracchus, hu- XII
jus frater, quodam in libro scripsit, Ti. fratrem per Etruriam ad Numantiam proficiscentem, cùm videret in agris solitudinem, cultoresque & pastores peregrinos omnes & barbaros, tum primum ad funestam ipsis actionem & mille malorum causam animum appulisse. Præcipuè autem studium ejus cupiditatemque gloriæ ipse populus

Causa Ti. Graccho legũ ferendarum.

Ti. Gracchus tribunus plebis.

populus accendit, provocans eum per literas importicibus,& parietibus,& monumentis ſcriptas, uti agrum publicum populo recuperaret. Neque verò ſolus legem eam compoſuit: verùm uſus eſt conſilio præſtantiſſimorum virtute autoritateque civium,inque his Craſſo pōtifice maximo; Mucio Scævola jurisconſulto, qui tū conſulatum gerebat,& Claudio ſocero ſuo. *Æquitas legis.* Videtur quidem nulla unquam lex adverſus tantam injuſtitiam & avaritiam manſuetior molliorque lata fuiſſe. Qui enim debebant legum violatarum pœnas dare,& agris contra eas uſurpatis mulctati detrudi,hos juſſit accepto precio cedere bonis injuſtè poſſeſſis, & admittere egenos cives. Sed quanquam ita lenis eſſet ea correctio, tamen populus ſatis habuit condonatis prioribus injuriis in poſterum ab iis tutus eſſe: divites verò & opulenti homines, ob avariciam legi,ob iram & contentionis ſtudium autori ejus infenſi, conati ſunt ab ea perferenda deterrere populum diviſionem agrorum confundendæ reipublicæ omniumque rerum mutandarum cauſa inferri à Graccho ferentes. Verùm hoc abs re fuit. *Oratio.* Gracchus enim honeſtam juſtamque rem ea defendens oratione,qua etiam mala cauſa exornari potuiſſet, in expugnabilis erat, quoties plebe ſuggeſto circumfuſa de pauperibus verba faciens. Feræ quidem,inquiebat, per Italiam degentes,foveas habent ſuas, & cubilia in quæ ſe conferant. Iis verò qui pro Italia propugnant, vitamque deponunt, hominibus nullius rei niſi aeris & lucis eſt communitas, domibusque & manſionibus privati cum uxoribus & liberis vagantur. Mentiuntur verò imperatores in prœliis milites adhortantes, ut pro fanis ac ſepulchris adverſus hoſtes pugnent: cùm in tanta multitudine plebis Romanę nulli neque ara ſit paterna, neque monumentum majorum. pro luxu ii alieno,& divitiis pugnant atque moriuntur, & cùm orbis terrarum domini dicantur, ne unam quidem glebam terræ poſſident. Hæc illo magno animo, ſerioque ad populum dictitante, ipſum quoque veluti afflatu quodam numinis excitatum, nemo adverſariorum auſus eſt ſubſiſtere certamen. Itaque omiſſo contradicendi ſtudio,ad M.Octavium ſe conferunt,collegam Tiberii,amicumque ejus & familiarem,juvenem gravibus & modeſtis præditum moribus. *M. Octavius Tiberio reſiſtit.* Is cùm initio verecundia collegæ ductus tergiverſaretur, precibus tandem & hortationibus potentium compulſus, Graccho ſe oppoſuit,legemque impediit.Nam tribunorum plebis vis maximè in prohibendo eſt: fruſtraque cæteri aliquid jubent, uno repugnante. Irritatus eo facto Gracchus, legem ſuam manſuetiorem antiquavit, aliamque vehementiorem & populo gratiorem promulgavit,diſertè jam agris contra leges occupatis injuſtos poſſeſſores cedere jubentem. Erant ergo quotidiana propè certamina ejus cum Octavio in ſuggeſto: quæ etſi ſummo ſtudio animique contentione eſſent ſuſcepta, neutri tamen ullum improbum dictum indecorumve adverſus alterum per iram excidiſſe fertur. Non enim tantum in bacchanalibus, verùm etiam in contentionibus & ira bo-

num, honesteque institutum ingenium sibi constat, decorumque tuetur. Videns autem Gracchus Octavium quoque ea lege teneri, XV
quod multum agri publici possidebat, oravit eum ut à certamine desisteret, promittens se ei agrorum precium de suo persoluturum, quanquam non admodum amplo patrimonio præditus. Octavio autem aversante conditionem, edicto justicium imperavit, dum lex perferetur; privatimque suo sigillo Saturni ædem clausam muniit, ne quid inferre aut efferre quæstores possent: ac reliquis etiam magistratibus, qui contra edictum jus reddidissent, mulctam dixit. quo factum, ut omnes sui muneris administrationem intermitterent. Proinde opulenti mutatis vestibus miserabili habitu in foro obambularunt, Gracchoque occultè insidiati sunt, submissis etiam percussoribus. itaque ipse etiam palam sicam gestavit, quem dolonem Latini vocant. Cùm dies venisset legi perferendæ dictus, populusque ad suffragia ferenda vocaretur, sitellæ à divitibus raptæ sunt, magnaque extitit confusio. Graccho autem multitudine homi- XVI
num suæ factionis volente jamque agmen cogente, Manlius & Fulvius consulares viri eum accesserunt, manibusque apprehensis lacrymantes oraverunt, ut proposito desisteret. quos ille, jam & prævidens animo imminentem sibi calamitatẽ, & verecundia eorum motus, interrogavit: Quidnam se facere juberent: & respondentibus, se ad consilium de tanta re dandum non sufficere, hortantibus & orantibus ut rem senatui permitteret, concessit. Verùm ubi in senatu ob potentiam divitum in eo dominantium nihil peractum est, nullam Octavio tribunatum plebis obtinente legis suæ perferendæ viam inveniens, rem neque legibus neque æquitati consentaneam aggressus est, ut ei tribuniciam potestatem abrogaret.

Tribunatu deijcitur.

Ac primùm quidem apertè oravit, amicè eum compellans, manusque ejus (qui mos est supplicium) attingens uti concederet, populoque gratificaretur justa postulanti, ac pro magnis laboribus atque periculis exiguam mercedem recepturo. Deinde Octavio deprecationem hanc aspernanti dicens, intelligere se, utroque tribuno plebis manente ipsisque magnis de rebus inter se decertantibus, fretis pari potestate, annum citra bellum non exiturum: ei verò malo se unum hoc invenire remedium, ut alter magistratu eo abeat: mittendi in suffragia populi potestatem Octavio prior obtulit, velletne Gracchum tribunatu plebis deponi: promittens, se si ita civibus placuisset, statim magistratu se abdicaturum, privatumque futurum. Cùm id quoque Octavius negaret, relaturum se de eo, nisi consilium mutasset, affirmavit, atque ita tum concionem dimisit. Postridie cùm rursus convenisset populus, conscensis rostris iterum XVII
Octavii animum solicitavit: cùmque eum ab instituto dimovere nequiret, legem tulit, qua ei tribunatus abrogabatur, populumque confestim ad ferenda suffragia vocavit. Cùm de trigintaquinque tribubus septendecim jam suffragium tulissent, & futurum esset, ut si decimaoctava accederet, abdicare se magistratu Octavius cogeretur,

ca in-

ꝺa inhibita Gracchus rursus hominem deprecatus est, amplexus e-
um in conspectu totius populi, blandissimisque verbis oravit, ne se-
se ultrò ignominiæ objiceret, ac tam gravis & austeri facti culpam
collegæ impingeret. Ferunt nō planè immoto animo Octavium eas
preces audivisse, sed & oculos ei lachrymis repletos fuisse, & ali-
quandiu eum tacuisse: ut verò ad opulentorum agmen respexit, vi-
detur pudore metuque infamiæ, quam sibi erat apud eos excitatu-
rus, & quæ imminere videbat mala, generosè quidem Gracchum
XVIII jussisse peragere quod vellet. Lege ergo perlata, Gracchus liberto
cuidam suo (nam libertis suis pro lictoribus utebatur) mandavit, ut
Octavium de rostris detraheret. Fuit eò miserabilius id spectaculū,
quod contumeliosè is, qui modò tribunus plebis fuisset, traheretur:
& cùm populus impetum in eum faceret, divites concurrerunt, ma-
nibusque suis texerunt, dum solus vi populi evitata aufugeret: ser-
vum autem ejus fidelem domino, ac pro eo stantem invito Graccho,
& celeriter ubi hoc agi sensit ad tumultum accurrentem multitudo
excæcavit. Legem deinde agrariam populus jussit: & ad discernen-
dos dividendosque agros triumviri delecti sunt Ti ipse Gracchus,
Ap. Claudius socer ejus, & frater Cajus, qui tum sub Scipione ad
Numantiam militabat. Hæc cùm Gracchus nullo negocio confecis- *Lex agraria*
set, repugnante nemine, tribunumq; pleb. in Octavii locum nullum *perlata.*
ex illustribus viris, sed Mucium quendam clientē suum suffecisset,
omnia iste indignè ferentes optimates, incrementaq; ejus timentes,
in senatu contumeliosè ipsum tractarunt. Nam & tabernaculum ex
publico pro more poscenti, quo in divisione agrorum uteretur, ab-
negarunt, cùm quidē sępe ad leviora ministeria id concessissent: & in
singulos dies novenos tantum obolos sumptuum nomine ei decre-
XIX verunt. Autor hujusmodi decretorum fuit P. Scipio Nasica, qui
inimicum se Graccho accerrimum palam gerebat, iratus amissio-
nem agri publici, quo plurimo hactenus à se possesso tum exturba-
batur. Eò magis animi multitudinis accendebantur. Et cùm qui-
dam Tiberii amicus subitò esset mortuus, signaque in ejus cadave-
re mala apparerent, vulgus eum veneno necatum clamantes ad fu-
nus efferendum, humandumque corpus concurrerunt. Vide-
bantur autem haud abs re suspicari veneficio eum extinctum fuisse.
Cadaver enim rogo impositum dissiluit, tantaque multitudo cor-
rupti humoris erupit, ut flammam extingueret: aliaque allata,
non prius tamen cremari quivit, quàm in alium locum defer-
retur, magnoque labore vix tandem ignis accendi potuit. Grac-
chus autem ut concitatos animos plebis magis adhuc irritaret, lu-
gubrem vestem sumpsit, liberosque in publicum produxit, ac
quasi ipse de suis rebus desperasset, eorum matrisque salutem po-
XX pulo commendavit. Postquàm Attalo Philopatore defuncto Eu-
demus Pergamenus testamentum ejus Romam attulit, in quo P. R.
hæres regis scriptus erat: statim legem tulit Gracchus, ut pecuniæ *Lex de pecu-*
regiæ allatæ inter cives agros sortitos dividerentur, quibus ii *nia Attalica*
ad

ad paranda ea quæ ad agriculturam pertinent uterentur: de urbibus quoque iis quæ Attali fuissent, nihil esse cur senatus decerneret dixit, se de iis ad populum relaturum. Hoc maximè offendit senatum. Et Pompejus surgens, sibi propter vicinitatem Gracchi notum esse dixit, diadema ei regium & purpuram ab Eudemo datam, utpote Romæ regnaturo. Q. autem Metellus exprobravit ei, quod cùm patre ejus quo tempore censuram gerebat, à cœna domum redeunte cives lucernas extinguere consuevissent, ne ab eo diutius quàm cõveniret convivari aut potare viderentur: nunc huic noctu ferocissimi & pauperrimi civium prælucerent. T. vero Annius homo neque probus, neque temperans, sed qui interrogando respondendoque in disputatione invictus videretur, Gracchum ad disceptationem provocavit, ostensurum se promittens, eum sacrosancto legibus collegæ contumeliam intulisse. Tumultuante multitudine prosiliens Gracchus populum ad concionem vocavit, animumque adduci jussit, & accusare instituit. Ibi Annius multum & facundia & autori- XXI
tate inferior, ad suas artes confugit, petiitque à Graccho, ut ante quam causæ dicerentur, de paucis quibusdam sibi responderet. cùm annuisset essetque factum silentium. Si tu, inquit, Annus, me infamem reddere, & ignominia afficere volueris, & ego unũ de collegis tuis appellavero, is verò opitulatum mihi veniat, ac tu irascaris, nũnam eum magistratu dejicies? Gracchum perhibent hac interrogatione ita perculsum fuisse, ut quanquam & lingua promptissimus esset, & in dicendo à verecundia alienissimus atque audacissimus, tamen tum nesciens quid responderet, obmutuerit. Itaque tum concionem solvit. Sentiens autem omnium suarum actionum eam maximè, qua Octavium tribunatu amoverat, non potentium modò, sed & vulgi animis altius insedisse, (videbatur enim eo facto magno illa & pulchra tribunorum potestas, eò usque conservata, tum primũ contumeliose circumscripta atque sublata) orationem ad populum habuit: de qua haud absurdum videtur quædam argumenta proponere, ut inde hominis ad persuadendum facultas & copia æstimari possit. Tribunum plebis dicebat eo sacrosanctum esse & inviola- XXII
bilem, quia consecratus sit populo, eique præsit. Ergo eum, si immutatus populum injuria afficiat, vim ejus imminuat, suffragii ferendi jus adimat, seipsum suo se honore privare, ea non præstantem, ob quæ ei honor ille tributus est. Nisi fortè permittendum sit, ut aliquis Capitolium subruens, aut navale incendens, tribunus plebis habeatur. & quidem hunc malum tribunum posse dici: eum qui populi potestatem dissolvat, tribunum omninò non esse. Indignum porrò fore, cùm abducere in carcerem possit consulem tribunus plebis, populum non posse eripere tribuniciam potestatem ei, qui ea contra hunc utatur, à quo acceperit: cùm & tribunos plebis, & consules populus creet. Iam regnum non modò omne imperium in se continere, sed etiam maximis Deorum cultibus ac sacrificiis esse consecratum: & tamen Tarquinium ob injustitiam urbe ejectũ esse,

esse, atque ob unius libidinem patrium magistratum urbis autorem
fuisse abrogatum. Quid verò ita sanctum Romæ aut venerandum
sit, atque Vestales virgines? & nihilominus si quæ delinquat, vivam
eam defodi: nam immunitatem suam istas non servare, quam à
diis habent, cùm adversus eos peccent. Ergo ne id quidem æquum
esse, ut tribunus pleb. populo injuriam inferens, porro sacrosanctus,
id quod à populo acceperat juris, habeatur: ipsum enim eam poten-
tiam, ob quam inviolabilis erat, dissolvisse. Tum qui rectè tribu-
natum adeptus dicatur, plerisque tribubus eum ipsi decernentibus,
hunc haud dubiè rectius jam amittere eundem, omnibus tribubus
abrogantibus. Nihil ita esse sacrosanctum, ut Deorum donaria: ne-
minem tamen prohibere, quo minus populus iis utatur, ea moveat,
atque pro suo arbitratu transferat. Ergo licere eidem tribunatum
quoque, ut rem Deo consecratam, transferre. Atque eum magistra-
tum non talem esse, ut adimi omninò non possit, vel hinc patere,
XXIII quod eum multi ultrò ejuraverint. Hæc erant capita excusationis,
qua Ti. Gracchus usus est. Porrò cùm amici adversæ factionis minas
sentientes, existimarent opus ei fore alio proximum annum plebis
tribunatu, rursus aliis legibus animos sibi multitudinis devinxit,
tempus militiæ remittens, & provocationem à judicibus ad popu-
lum concedens, & judicibus ipsis, qui erant de senatorio ordine, pa- *Aliæ Gracchi leges.*
rem numerum equitum admiscens, omninoq; modis omnibus po-
tentiam senatus imminuens: idque adeò magis ira & contentionis
studio, quàm justitiæ aut utilitatis alicujus rationibus adductus.
Cùm jam suffragia ferrentur, sentiens adversam partem prævalere,
quod non universus aderat populus, primùm ipse & socii tempus
calumniandis collegis traxerunt: deinde rejecta in crastinũ re, con-
cionem dimiserunt. ac primùm in forũ degressus Gracchus, demis-
sus ploransque homines precabatur: deinde metuere se dicens, ne
noctu sibi inimici fores effringerent, seque necarent, ita animos eo-
rum commovit, ut ingens multitudo apud ædes ejus custodiæ cau-
XXIV sa pernoctaverit. Prima luce adfuit pullarius, & augurii captandi *Ostentum.*
causa avibus escam projecit: sed una tantum exiit, propè admodum
concusso vase: neque ea cibum attigit, sed lævam attollens alam, &
pedem extendens, rursum in vas confugit. Id prius oblati signi Ti-
berium admonuit. In galeam enim ipsius, qua in bello utebatur in-
signi, pulchrèque ornata, angues irrepserant, ovaque intus pepere-
rant, & jam excluserant. quo magis eum aves tum terrebant. Proces-
sit tamen, audito populum apud Capitolium convenisse. Antequàm
exiret domo, ita pedem ad limen offendit, ut maximi digiti unguis
rumperetur, & sanguis infra per calceũ efflueret. Paululùm progres-
so eo, ad lævam supra tectum pugnãtes corvi conspecti sunt: & cùm
multi homines (quod facilè intelligi potest) præter ipsum Grac-
chum ambularent, lapis ab altero corvorum dejectus ad pedem ejus
accidit. Id etiam audacissimos eorum quos secum habebat, repres-
sit ostentum. Sed Blossius Cumanus præsens, magnum esse dede-

cus, graviterque dolendum ajebat, si Tiberii Gracchi filius, filiaque natus Africani Scipionis, ac populi Romani princeps à corvo territus civibus vocantibus non obtemperaret. atque eam quidem turpitudinem inimicos non risui habituros, sed eum jam nunc apud populum magnis clamoribus criminaturos, ut tyrannum, & cives ludibrio ducentem. Simul & accurrebant multi amicorum, qui apud Capitolium convenerant, properare eum jubentes, & res ibi bono esse loco narrantes. Ac primùm quidem præclarè succe- XXV
dere visa res est, cùm & veniens amica exciperetur acclamatione, & alacriter se ei homines circumfunderent, operamq; darent, ne quis ignotus accederet. Cùm rursus tribus citare Mucius inciperet, nihil eorum quæ hactenus fieri consueverant efficere potuit propter tumultum, qui ab extremis ortus erat, adversarios vi se intrudentes expellentibus. Interim Fulvius Flaccus senator in loco conspicuo consistens, cùm exaudiri se non posse sentiret, manu innuit velle se privatim quiddam Graccho dicere: cùmque is jussisset turbam ei locum ad se veniendi dare, vix per eam ad Gracchum aggressus, renunciavit divites, cùm in senatu consuli non persuasissent, ipsos statuisse eum interficere, & ad hæc multos habere servos, amicosque armatos. Hæc cùm Gracchus suis retulisset, qui propius adstabant, illicò togis succinctis hastilia lictorum, quibus turbam arcere solebant, confregerunt, frustaque arripuerunt: ut iis vim propulsarent. Iis verò qui longius aberant, mirantibus & quidnam rei XXVI
ageretur quærentibus, Gracchus, quia vox exaudiri non poterat, gestu periculum in quo versaretur, indicaturus, manu caput suum tetigit. Hoc videntes adversarii, ad senatum accurrerunt, poscere diadema Gracchum, idque eum manu capiti admota significasse nunciantes. Omnibus tumultuantibus, Nasica consulem rogavit, uti reipublicæ succurreret, ac tyrannum tolleret: ac cùm is placidè respondisset: Se vi agendi autorem non fore, neque ullum civem indicta causa necaturum: si tamen populus injustum aliquid Graccho vel persuadente vel cogente sciverit, se id ratum non habiturum, prosiliens Nasica: Quando, inquit, rempublicam prodit consul, qui leges salvas volunt, me sequantur. Hæc fatus fimbria togæ capiti imposita ad Capitolium contendit: sequebantur reliqui, circumvolutis brachio togis, & per obvios ruebant. Dignitas autem virorum efficiebat, ut nemo iis resisteret, sed fugerent omnes, seque mutuo calcarent. Comites senatorum, clavas secum & scuti- XXVII
cas domo attulerant: ipsi senatores fragmenta & pedes subselliorum a fugiente turba fractorum arripientes in Gracchum ibant, obvios & stantes ab eo ferientes. Qui cùm fuga saluti consulerent, ipsius quoque Gracchi fugientis togam quidam apprehendit: qua ille dimissa cùm tunicatus fugeret, inter cadavera eorum qui ante ipsum ceciderant corruit. Qui haud dubiè primus subsellii pede caput assurgentis feriit, is P. fuit Saturejus, unus collegarum: alterum ictum se ei ingessisse L. Rufus affirmavit, tanquam præclaro facinore se

Insidiæ contra Tib.

Nasica senatum contra eum concitat.

Ti. Gracchi interitus.

re se jactans. Reliquorum ultrà trecentos lignis & lapidibus, nullus
ferro, cæsi sunt. Hæc primùm post ejectos reges seditio sanguine &
cæde civium finita est: reliquæ neque parvæ eæ, neq; de rebus levi-
bus ortæ, senatu plebi ob metum vicissimque reverentia dignitatis
populo senatui concedente, pacatæ sunt. Videbatur autem tum
quoque Gracchus oratus uti à proposito disceret, haud difficilem
se fuisse præbiturum: idque multò magis si non vi & cæde petitus
fuisset. nam haud plures tribus millibus homines à sua parte stan-
XX tes habebat. Sed (ut apparet) ira magis divitum, odiumque, quàm
VIII quas prætexebant causæ, hanc adversus Gracchum coitionem effe-
cerunt. cui rei validissimo argumento est crudelitas injuriarum ca- *In mortuum crudelitas.*
daveri ejus illatarum. Fratri enim oranti non concesserunt, ut id
sublatum noctu sepeliret: sed cum reliquis in Tiberim projecerunt.
Neque hic finis fuit. verùm etiam amicos ejus partim indemnatos
solum vertere jusserunt, partim deprehensos occiderunt: inter quos
etiam Diophanes rhetor periit. C. vero Villium quendam in vas
quoddam cum anguibus & viperis inclusum necaverunt. At Blos-
sius Cumanus ad consules adductus, ab iisque examinatus, confes-
sus est, se omnia quæ jussisset Gracchus fecisse. ac quærente Nasica,
quid facturus fuisset, si ab eo mandatum ipsi fuisset, ut Capitolium
incenderet? initiò Gracchum id jussurum fuisse pernegavit: à mul-
tis autem & sæpius de eodem rogatus: Nimirum, inquit, eo juben-
te, paruissem: non enim erat mandaturus, nisi ita è re populi foret.
Atque is quidem Blossius tunc evasit, ac post ad Aristonicum in A-
XXIX siam abiit, rebusque ejus perditis seipsum interfecit. Senatus au-
tem ut animos populi placaret, cùm aliis usus est rationibus, tum
ne agrorum quidem divisionem porrò negavit: concessitque, ut in
Ti. Gracchi locum alius, qui præesset ei negotio, deligeretur. Populi
suffragiis P. Crassus est constitutus, cujus filiam Liciniam C. Grac-
chus in matrimonio habebat. Cornelius quidem Nepos non Crassi,
sed Bruti, ejus qui de Lusitanis triumphavit, filiam C. Gracchi uxo-
rem fuisse scribit: verùm nos plures nostræ sententiæ autores habe- *Nasicæ exitus.*
mus. Cùm autem populus Ti. Gracchi mortem iniquè ferret, neque
dissimularet se ejus ulciscendæ occasionem præstolari, cùmque jam
accusationes Nasicæ pararentur: Senatus ei viro metuens nulla re-
quirente necessitate legationem ei in Asiam decernit. Odium enim
ejus cives haud occultum gerebant, sed ubicunque occurrisset, pol-
lutum tyrannum, & qui sanctissimum, cujusq; Religio maxime ter-
rori esse deberet, templum cæde hominis sacrosancti contaminas-
set, vocabat. Itaque Nasica tametsi maximis obstrictus sacrificiis
(erat enim pontifex maximus) ex Italia abiit, forisq; vagans, & ani-
mo ægro nullius certi propositi causa oberrans, haud multo post a-
XXX pud Pergamum naturæ debitum persolvit. Neq; mirari quisquam *Scipionis de Graccho sententia.*
odia hominum in Nasicam debet: quando Scipio etiam Africanus,
quo neminem neque justiore, neque majore amore prosecutus est
populus, parum abfuit, quin gratia ejus excideret. causa fuit cùm

quod apud Numantiam audito Ti. Gracchi interitu versum Homericum pronunciavit:

Exitus iste alium quoq; idem perdat facientem.

tum quod in concione à C. Graccho & Fulvio interrogatus, quid de morte Tiberii sentiret, ita respondit, ut improbare se ejus actiones ostenderet. Itaque populus (quod nunquam ante fecerat) dicenti obstrepuit, & ipse ut convicium populo faceret, commotus fuit. qua de re est à nobis in vita Scipionis singulatim scriptum.

IN TI. GRACCHUM ANNOTATIONES Interpretis.

CAp. 1. *Ti. notam esse prænominis* Tiberius, *notum jam est. Divisi autem has quoq; horum fratrum vitas, ut eo magis omnia perspicua, & suis distincta locis haberentur. nihil enim hæc divisio parallelorum comparationi detrahit. Hic Ti. Grachus, de quo agimus, ita scribi potest. Ti. Gracchus, Ti. F. P. N. nam Gracchorum avum patrem ejus Ti. Gracchi, qui uxorem habuit Corneliam Africani superioris filiam, Publium prænomen habuisse, Cicero* 1. *de Divinatione ostendit. Nomen gentis fuit Sempronius, Gracchus cognomentum. De ætate Gracchorum non est obscurum: prima enim civilis sanguinis effusio morte Ti. Gracchi facta est. A qua & sua ἐμφύλια Appianus orditur, & L. Florus. Cæsus est anno* V.C. DCXXI. *L. Calpurnio, P. Mucio Coss.*

Ibid. Ferunt eum.) *Hæc historia apud Ciceronem lib. de Divinat. utroq; ex C. Gracchi Ti. F. P. N. ad M. Pomponium scriptis recensetur.*

Cap. 4. Licinnium servum.) λικίννιον. *Vide Ciceronem libro tertio de Oratore extremo: ubi quidem Licinius unico N. scriptum reperies. Nam & hoc animadverti, modo eam literam geminari, modò non geminari. Atq; ipsam syllabam pro communi videtur Horatius habuisse. Nam in eo carmine:*

Rectius vives Licini neque, altum.

Licini *anapæstus est. in hoc,*

Me dulcis domine Musa Liciniæ,

Liciniæ *dyambus est. atq; haud scio an* Licinniæ *scripserit Horatius, ut esset ἀναδίπλωσις: sicut C. Gracchi uxor infra λικιννία dicitur. Verùm id genus permulta possunt annotari.*

Cap. 14. Non enim tantum in bacchanalibus.) *Pervenustè alludit ad illud Tiresiæ apud Euripidem in Bacchis:*

ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί.
τοῦτο σκοπεῖν χρή· καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται

Quod leviter immutatum, Aristippus apud Dionysium tyrannum fertur usurpasse.

Cap. 17. Mucium quendam.) *Appianus lib.* 1, ἐμφυλ. Q. Mummium *appellat. Sed & infra in postrema Ti. Gracchi actione* Mucius *nominatur.*

Cap. 24. Sed Blossius.) *In Græco est* βλᾶσος, *sed epitheton* κυμαῖος, *& quæ antecesserunt ac sequuntur, satis ostendunt scribendum esse* βλόσσιος.

Cap. 25. Interim Fulvius Flaccus.) *In Græco est* φλάβιος, Flavius: *idque interpretes retinuerunt. Ego Flaccum Flaviorum cognomen esse nondum comperi: Fulviorum esse, nemo ferè nescit. Non hoc modò me movit, sed & id, quod hunc puto esse M. Fulvium Flaccum, qui octavo post anno consul cum Plautio fuit, ac quadriennio post unà cum C. Graccho, cui se in perniciosis legibus ferendis socium addiderat, occisus est. cujus etiam Cicero pro domo sua meminit.*

Cap. 29. Alius, qui præesset.) καὶ τίτον ἀντὶ τοῦ προέδρου. *Quis ille Titus? Viderunt interpretes mendum esse, id quod ipse locus prodit. Scribatur ergo,* καὶ τινα ἀντὶ τοῦ. *&c.*

Cap. 30. Versum Homericum.) *Verba Minervæ sunt, de Aegisthi, ab Oresta ob adulterium & cædem Agamemnonis necati, interitu. lib. 1. Vlyss.*

Ibid. A C. Graccho.) *A Carbone tribuno pleb. hoc factum, & similiter fremitum plebis adversus Scipionem, & ejus asperum in eam dictum, quod hic innuitur modò, non explicatur, scribit Velleius Paterculus, & Valerius Maximus lib. 6. cap. 2.*

PLVTARCHI C. GRACCHVS, GVILIELMO *Xylandro Augustano Interprete.*

1 CAIUS vero Gracchus post mortem fratris seu inimicorum metu, seu invidiæ illis conflandæ gratia, à foro se abstinens in ocio vixit, ita ut in præsentia abjectæ conditionis homo, & in posterum negociis omissis victurus videretur: itaque & sermonibus materiam præbuit, improbare eum, & projecisse fratris instituta dicentium. Erat autem adhuc juvenis admodum, fratre annis novem minor, qui nondũ triginta natus annos periit. Vt verò progressu temporis & vitam suam ostendit ab ocio, mollicie, vinolentia, atque pecuniæ studio alienam: & eloquentiam sibi veluti alas quibus in repub. niteretur parans, visus est nequaquam in ocio victurus: & rei cujusdam amici Vectii causa agens, populo præ incredibili lætitia gestiente, ac veluti bacchante, pueris nihil præstare alios oratores demonstravit. rursum potentioribus metus incidit, multisque inter se agebant, quomodo impedirent hominem, ne tribunus plebis crearetur. Forte fortuna evenit, ut quæstor Orestæ consuli in Sardiniam forte mitteretur C. Gracchus: quod & inimicis ejus gratissimum, neque ipsi molestum fuit. Bellicosus enim natura, & non deterius ad militiam, quàm ad agendas causas eruditus, rem-publi-

Facundia. *Quæstura.*

publicamque & rostra formidans, populo tamen & amicis vocantibus eò resistere non valens, lubentissimè eam peregrinationem amplectebatur. Fama tenet, magna quidem, sed falsa, hunc & maximo studio ad populi favorem in repub. captandum incubuisse, & belli gloria longè Tiberio fratre fuisse clariorem. Atqui apparet necessitate magis compulsum, quàm sua voluntate ad rempub. se contulisse. Narrat Cicero, fugienti omnem magistratum, vitamque ociosam degere expetenti, Ti. fratrem in somnis visum itaque compellasse: Quid cunctaris Cai? effugere non datur, eadem nobis vita, eadem mors populi partes in republica tuentibus fato destinata est. In Sardinia porrò omnis virtutis documenta edens, cùm strenuitatis, in certaminibus adversus hostes, tum justiciæ erga subditos ergaque ducem studii atque observantiæ laude longo post se omnes juvenes reliquit intervallo: temperantia autem, frugalitate, laborumque tolerantia etiam majores natu superavit. Cùm vehemens & pestivera hyems in Sardinia esset, consulque vestimenta militibus ab civitatibus postularet, eæ verò Romam missis legatis id deprecatæ essent, ac senatus precibus earum probatis consuli mandasset, ut aliunde vestes militibus procuraret: consule ut eam rem explicaret non inveniente, militibus autem gravi incommodo laborantibus, profectus ad civitates Gracchus effecit, ut ultrò mitterent vestimenta, Romanorumque necessitati subvenirent. Hæc Romam renunciata cum exordium captandæ popularis gratiæ viderentur, senatorum animos perturbarunt. Itaque primùm legatos à Micipsa Rege Romam venientes, & referentes, Regem in C. Gracchi gratiam frumentum consuli in Sardiniam misisse, indignati ejecerunt. Deinde S C. fecerunt, ut militibus in Sardiniam successores mitterentur, Orestes autem ibi maneret, Gracchum quoque ibi ratione officii mansurum putantes. Verùm hic cognitis istis statim iratus ex insula navigavit, Romamque præter opinionem omnium reversus, non inimicorum modò criminationes est expertus, sed vulgò quoque novo exemplo fecisse judicatus, qui quæstor ante suum proconsulem ex provincia decessisset. Accusatus ideo apud censores, impetrata dicendi potestate ita animos auditorum circumegit, ut maximis affectus injuriis creditus discesserit. Militasse annos se duodecim ostendit, cùm necessitate postulante alii decem modò militarent. quæstorem se Orestæ per triennium adfuisse, cùm anno exacto redire legibus sit permissum. solum se eorum, qui in militiam profecti essent, crumenam pecuniæ plenam domo extulisse, vacuam retulisse: cùm reliqui epoto quod advexissent vino, argento & auro repletas domum reportent amphoras. Alia deinde crimina ei objecta, inque judicium vocatus est, quasi ad defectionem socios pertraxisset, & Fregellanæ conjurationis particeps fuisset. Qua ille suspicione penitus diluta cùm se innocentem demonstrasset, statim tribunatum plebis petiit. Omnes nobiles atque illustres viri petitioni

II (margin, beside "Fama tenet")
III (margin, beside "Hæc Romam renunciata")
IV (margin, beside "Alia deinde crimina")

tioni ejus repugnarunt: sed multitudo hominum comitia ejus obeuntium tanta confluxit Romam ex Italia, ut multis domus non suppeditarent, Campoque tantam multitudinem non capiente, à tectis voces resonarent suffragantium. Id modò obtinuerunt contra populum optimates, & spem Gracchi, ut is non primus, quod fore putarat, sed quartus designaretur. Vt primùm iniit magistratum, statim principem locum obtinuit, cùm & eloquentia parem haberet neminem, & calamitas libertatem ei dicendi pararet, fratremque deplorandi. Huc enim quacunque arrepta occasione populum deducebat, memoriam ejus facti renovans, & exempla su-

Tribunatus plebis C. Gracchi.

V periorum temporum cum eo comparans. Majores, ajebat, nostris Faliscis bellum intulerunt, ob factum ab iis Genucio cuidam tribuno plebis convicium: & Cajum Butturium morte damnaverunt, quod solus tribuno plebis per forum ambulanti non assurrexisset. Vobis inspectantibus Tiberius frater meus baculis occisus est, cadaverque ejus à Capitolio per mediam urbem tractum, & in Tiberim conjectum: amici quoque ejus qui capi potuerunt, indicta causa necati. Atqui hunc à majoribus morem accepimus, ut qui capitalis rei postulatus in judicio non compareret, de eo non ante sententiam judices ferrent, quàm mane ad fores ejus tubicen accessisset, eumque tuba evocasset. adeo cauti isti in judicando, accuratique erant. His ille sermonibus (maxima autem voce, optimisque lateribus in dicendo utebatur) concitato populo, duas leges tulit: unam, ut cuicunque magistratum populus abrogasset, ei nullus alius in posterum concederetur: alteram, ut qui magistratum gerens civem indemnatum solum vertere jussisset, de eo judicium populus

Leges.

VI facere posset. Harum legum prior haud dubiè ignominia afficiebat M. Octavium, quem Ti. Gracchus tribunatu dejecerat: posterior Popillium reum faciebat, qui prætor amicos ejus in exilium egerat. Et hic quidem metu judicii ex Italia profugit: alteram legem ipse Gracchus sustulit, in matris gratiam, deprecantis (ut ajebat) pro Octavio. Pergratum hoc fuit populo, & annuit, Corneliam honorans non minus propter liberos, quàm parentis causa: statuam quoque postea temporis ei posuit, cum inscriptione hac, CORNELIA MATER GRACCHORUM. Memorantur etiam quædam oratoriè & forensi modo ab eo pro matre in quendam inimicum dicta. Tu verò, inquit, Corneliæ obloqueris, quæ Ti. Gracchum peperit? qua re fretus? numnam etiam peperisti? (molliciei autem notabatur adversarius) certè omnibus Romanis constat, eam mulierem diutius à viris abstinuisse, quàm te virum. Hujusmodi inerat dictis ejus acrimonia, quæ multa colligi ex scriptis possunt,

Corneliæ honor.

VII Legum autem quas in gratiam populi, & adversus Senatum tulit, una fuit de Coloniis deducendis, simulque agro publico pauperibus distribuendo: alia militaris, vestem militi publicè suppeditari jubens, neque ejus nomine quicquā de stipendio detrahi, ac ne quis minor XVII. annis miles scriberetur. alia de sociis, quæ jus suffragii

Italis cum civibus Romanis æquabat. alia frumentaria, de leviori annonæ precio pauperibus constituendo. alia de judiciis, quæ plurimum de potentia senatorum diminuebat, qui tum soli judicia obibant: ea verò lex CCC. senatoribus (tot enim eo tempore erant judices) totidem equites addebat, judiciaque his sexcentis communia redigebat. In hac lege suadenda cùm alia summo egisse studio dicitur, tum id, quod, cùm ante ipsum quicunque concionabantur, ad senatum & Comitium respicere consuevissent, tunc primùm ipse foras ad forum converso ore verba fecit: eumque in posterum quoque morem tenuit. levi inclinatione mutationeque vultus rem magnam movens, ac rempublicam quodammodo ab optimatibus ad populum transferens, innuensque concionantes non ad senatũ,

Autoritas. sed ad populum se debere accommodare. Cùm populus non pro- VIII
basset modò legem, sed & ipsum deligere judices ex equitibus jussisset, dictatoria jam quadam præditus potestate Gracchus videbatur. ita ut senatus quoque consilia ejus admitteret. Consulebat autem semper aliquid, quod ornamento senatui esset: quale fuit etiam ejus de frumento consilium pulcerrimum atque moderatissimum. Miserat hoc Fabius proprætor ex Hispania: persuasit senatui Gracchus, ut id divenderetur, pecuniaque iis civitatibus, à quibus acceptum fuerat, remitteretur: insuperque Fabius culparetur, qui imperium Romanorum molestum & invisum hominibus faceret. Magnam hoc in provinciis Graccho gloriam benevolentiamque peperit. Leges etiam tulit de coloniis deducendis, viis reficiendis, & horreis parandis: omnibusque iis administrandis & perficiendis ipse præfuit, nulli succumbens tot tantorumque laborum molestiæ, verùm omnia mirabili celeritate atque opera, tanquam unum modò aliquod opus, absolvens. ut etiam qui metu ejus odioque flagrabant, efficacitatem tamen ejus in omnibus rebus indu-

Efficacitas. striamque stuperent. Plerisque autem miraculo fuit spectaculum IX
multitudinis conductorum, artificum, legatorum, magistratuum, militum, philosophorum, ab ipso pendentium: quibuscum ipse comiter colloquens, gravitatemque suam in facilitate conservans, atque unicuique pro dignitate suum tribuens, morosos ostendit esse calumniatores eos, qui terribilem ipsum, aut omninò importunum violentumque dicebant. adeò magis quotidiano colloquio & actionibus, quam concionibus suis populum sibi conciliabat. In

Viarum refectio. viarum autem refectione præcipuam adhibuit solertiam, cùm utilitatis tum pulcritudinis venustatisque rationem habens. Ducebantur eæ rectæ per regiones, & partim lapide ad hoc cæso & dolato, partim congestis arenarum cumulis insternebantur, cavitates implebantur: qua convallibus aut torrentibus interrumperentur, pontibus jungebantur, & ab utraque parte eandem nactæ altitudinem, spectatu admodum pulcræ erant. Porrò singula milliaria dimensa diligenter lapideis columnis distinxit. Alios quoque lapides utrinque ad viam haud procul à se invicem disposuit, quorum in con-

scen-

ſcendendis equis uſus vicem ſervi in equum attollentis præſtaret.
X Cùm ob hæc eum populus prædicaret,& gratificari ſe ei quacunque in re paratum oſtenderet: quadam in concione dixit, petiturum ſe ab eis beneficium: quo impetrato, omnia ſe adeptum eſſet judicaturus: negato, nihil de ipſis queſturus. eo dicto videbatur conſulatum flagitare, omnesque fore putabant,ut tribunatum ſimul plebis & conſulatum peteret. Vt conſulibus creandis comitia facta ſunt, ſuſpenſis expectatione omnium animis, C. Fannium Gracchus in campum deduxit, comitiaque ejus obivit. Id ad petitionem Fannii tantum attulit momenti,ut is conſul deſignaretur. Gracchus verò tribunus plebis iterū creatus eſt, non petens id aut ambiens, ſed ſtudio & favore populi oblatum accipiens. Cernens autem ſenatum apertè ſibi infenſum, Fannii verò erga ſe languere ſtudium, novis legibus animos ſibi devincire aggreſſus eſt, de coloniis Tarentum Capuamque deducendis, & communicando cum Latinis jure civium. Hic ſenatus metuens ne planè inſuperabilis Gracchus fieret, novo & inaudito modo animos multitudinis ab eo abalienare conatus eſt, contraria ratione eam demerens, donisque neglecto
XI reipublicæ commodo demerens. Erat inter collegas Gracchi Livius Druſus, neque ingenio, neque educatione cuiquam Romanorum, facundia autem & divitiis etiam his, qui rebus iis plurimum pollebant,non inferior. Ad hunc principes ſe contulerunt, eique perſuaſerunt, ut ſe in opprimendo Graccho juvaret, non vi, aut offendendo multitudinem,ſed ea largiendo ei & gratificando,propter quæ magiſtratui etiam odia civium erant ſuſtinenda. Livius ad eam rem tribunatum plebis ſuum accommodans leges tulit neque honeſtis, neque utilibus de rebus, unum id veluti in comœdia agens ut delectanda multitudine Gracchum ſuperaret. Qua re teſtatiſſimum fecit ſenatus, non Gracchi ſe actionibus infenſum eſſe, ſed ipſum hominem de medio tollere,aut deprimere cupere. Eum enim auram captare popularem criminabatur, quod duas colonias decerneret, ac civitate viros quantivis precii donaret: at Livio duodecim colonias inſtituenti, & tria pauperum civium millia in ſingulas deduci jubenti, adſtipulabatur. Gracchum, quod agrum pauperibus dividebat, ita quidem ut hi tributū ærario penderent, tanquam plebem adulantem inſectabantur: Livius placebat, qui id quoque tributum tollebat. indignè ferebant illum jus ſuffragii Latinis tribuere. hujus legem, quæ ne militiæ quidem virgis cædi La-
XII tinum permittebat, defendebant. Id unum Druſi actiones utile habuerunt, quod multitudinis animos nonnihil ſenatui reconciliavit, identidem in concionibus dicens,has ſe leges ſenatus plebi cupientis autoritate promulgare: quo & injuriarum memoriam & ſiniſtras ſuſpiciones atque odia plebis adverſus optimates abolebat, jam juſſu eum ſenatus iſta agere, ac ſibi largiri putantis. Maximè autem opinionem ei benevolentiæ & juſtitiæ apud populum paravit, quod nihil ſibi in legibus ſuis arrogabat: nam & alios con-

Livius Druſus Graccho oppoſitus.

Senatus malignitas.

stituit qui colonias deducerent, & pecuniarum administrationem à se removit, cùm Gracchus pleraque & maxima sibi ipse sumeret. Cùm Rubrius eorum collega legem tulisset de colonia Carthaginem (nuper eam Scipio everterat) deducenda. & sorte lectus Gracchus ad eam rem in Africam navigasset, per absentiam ejus Drusus majores vires sumsit, populumque sibi magis obstrinxit, maximè calumniando Fulvio. Is Gracchi amicus, collegaque ad divisionem agrorum delectus, homo erat turbulentus, palamque invisus senatui, suspectus etiam reliquis erat, quasi socios Italos ad defectionem concitaret: & quanquam hæc nullo certo indicio ferebantur, tamen ipse fidem faciebat, parum sana, pacique adversa agitans consilia. Ejus ergo invidia in Gracchum redundavit, multumque de potentia ipsius detraxit. Accessit huc suspicio de cæde Scipionis, quem subitò, nulla præcedente mortis quæ appareret causa defunctum, inque ejus corpore signa visa, quæ vi & verberibus cæsum indicare crederentur, ut in vita ejus demonstravimus. Hujus interitus culpa maximè in Fulvium conferebatur, inimicum, & qui eo die pro rostris hominem conviciis lacerasset. Attigit autem Gracchum quoque suspicio ea: ac de tam atroci facinore, quo præstantissimusque Romanorum sublatus erat, neque inquisitum est, neque judicium institutum plebis opera iis impeditis, quæ Graccho metuebat, ne is re diligentius examinata reus cædis istius comperiretur. Verùm hoc paulo ante evenerat. Tunc verò in Africa Carthaginem condenti Graccho, quam Iunoniam appellabat, multa divinitus impedimenta accidisse ferunt. Nam & primum signum vento id rapiente, & eo qui gestabat fortiter retinente, contritum est: & sacra altari imposita venti procella dissipavit, atque extra fines descriptæ urbis projecit & ipsos terminos lupi revellerunt, longéque detulerunt. Omnibus tamen constitutis atque peractis, Romam rediit septuagesimo quàm discesserat die: cùm & premi à Livio Fulvium, & res suam præsentiam desiderare audivisset. Lucius enim Opimius, homo paucorum in republica dominationis studiosus, potensque in senatu, consulatum superiore anno petens repulsam passus erat, Graccho ipsum oppugnante, & Fannium evehente: tunc autem multorum auxiliis fretus, certò videbatur consul futurus, inque suo consulatu Gracchum oppressurus, nam hujus potentia jam marcescebat quodammodo, satietate popularium legum jam oborta populo, quod & multi erant qui populari gratiæ inserviebant, & senatus ultrò concedebat. Reversus Romam Gracchus primum à palatio in locum qui sub foro est commigravit, ut eo popularior videretur: ibidem enim plurimi pauperum & humilium civium habitabant. Denique reliquas leges promulgavit, ut eas populus juberet. Coëunte autem ad eum magna undiq; hominum turba, senatus Fannio consuli persuasit, ut quicunq; Romani non essent, eos urbe ejiceret. Ergo edicto proposito novo & absurdo, ne quis sociorũ P. R. per eos dies Romæ esset. Gracchus contra

Margin notes: *Fulvij vitia.* (beside "majores vires sumsit"); XIII *Scipionis mors.* (beside "Accessit huc suspicio"); XIV *Ostenta.* (beside "Tunc verò in Africa"); XV (beside "Reversus Romam"); *Socij Vrbe ejecti.* (beside "vit, ut eas populus")

tra edicto consulem accusavit, sociisq; si in urbe manerent auxiliū promisit. Neque verò opem iis tulit: sed cùm quendam hospitem suum & familiarem à Fannii lictore videret trahi, præteriit: eumque neglexit, sive potentiam suam jam collabentem non ausus periclitari: sive quod nollet (id enim ipse dicere solebat) captantibus occasionem inimicis ansam dimicandi præbere. Collegas quoque adversus se concitavit. causa hæc fuit. Cùm esset populus gladiatores in foro spectaturus, pleriq; magistratuum pulpita ad spectandum circa forum extruxerant, eaque mercede locabant. Hæc eos amoliri Gracchus jussit, ut pauperes ex illis locis nulla data mercede spectare possent: ac cùm nihil dicta ejus curarent, nocte ea, quæ diem spectaculis dictum præcedebat, operariis quotquot sub se habebat assumptis eà dejecit, factaque luce vacuum forum civibus ostendit. Vulgus ob hoc factum virum eum esse judicavit: collegas

XVI autem impudens visus & violentus offendit. Atque hæc ei causa videtur fuisse tertii tribunatus non impetrandi: cùm quidem suffragia plurima habens fraude & injustitia collegarum designatus non fuit. Repulsam verò etiam tulit haud mediocriter: & fertur inimicis eum deridentibus, ferocius quàm conveniebat dixisse: Risum eos ridere Sardonium, non intelligentes quantas eis tenebras actionibus suis offuderit. Postquàm illi Opimio creato consule multas Gracchi leges abrogarunt, & Carthaginensem administrationem incesserunt, hominis irritandi causa, ut occasionem eis irascendi suppeditans interficeretur: initiò sese continuit. post, amicis, ac Fulvio in primis instigantibus, factionem rursus adversus consulem contrahere intendit. Matrem quoque tum ei opitulatam perhibēt, ac peregrinos occultè homines mercede conduxisse, qui Romam sub messorum specie intrarent: hæc enim per ambages scripta in epistolis Corneliæ ad filium fuisse, alii invita omninò Cornelia Grac-

Tertii tribunatus petitio.

XVII chum ista egisse tradunt. Qua die leges Gracchianas consul Opimius rescissurus erat, summo mane ab utriusque partis studiosis Capitolium repletum fuit. Ibi cùm rem sacram consul faceret, lictorū unus Q. Antylius exta ab una parte ad alteram perferens, iis qui Fulvio aderant: Date, inquit, locum bonis mali cives. addunt quidam, cum inter hæc verba nudum quoque brachium gestu ad illudendū composito circumtulisse. Illicò ibi Antyllius magnis compunctus stylis, factis (ut ajunt) ad eam rem, periit. Populum cædes ea perturbavit: duces autem factionum diverso modo affecit. Nam Gracchus indignè rem tulit, suosque increpavit, qui causam aliquam adversus se diu quærentibus inimicis, ultrò occasionem præbuissent. Opimius autem hac arrepta ansa proruit, & ad vim ulciscendam populum cohortatus est. Pluvia pugnam diremit. Postridie prima lu-

Opimii contra Gracchum factio.

XVIII ce senatum consul in curiam advocat. Dum verò intus consultatur, quidam nudum Antyllii cadaver in feretro positum dedita opera per forum cum ejulatu pertulerunt. Opimio quid ageretur conscio, sed mirari se quid rei esset simulante, eoque etiam senatores ut pro-

dirent visum movente. Proposito in medium feretro, fuerunt qui
rem indignam clamitarent, ac quiritarentur: majori autem parti po-
puli senatus & optimatum odium incessit, vituperareque eos subiit.
qui cùm Ti. Gracchum tribunum plebis ipsi in Capitolio occidis-
sent, necatique cadaver projecissent, nunc Antylium lictorem, im-
meritò fortassis cœsum, sed sua tamen potissimum culpa hoc pas-
sum, in foro positum circumstent, ac lugeant. hominisque mercena-
rii funus ducant, ut interficere eum possit, qui unus adhuc populi
patronos restaret. Senatores in curiam regressi, senatus consultum
faciunt, ut Opimius videat, ne quid respublica detrimenti capiat,
utque tyrannos exscindat. Cùm is senatores arma capere jussisset,
& equitibus mandasset, uti singuli duos servos armatos prima lu-
Fulvius turbam armat. ce adducerent, Fulvius quoque contra se paravit, turbamque homi-
num conduxit. Gracchus autem foro abiens, ad patris statuam adsti-
tit, tacitusque in eam aliquandiu intuens, gemitu edito lachrymis-
que effusis discessit. Multis qui id viderunt miserari eum subiit: se- XIX
que ipsos culpantes, qui talem virum destituerent, atq; proderent,
ad domum ejus accesserunt, & ante fores pernoctarunt. Longè ali-
ter à Fulvianis actum. ii enim noctem potando, plaudendo & exul-
tando duxerunt, ipse primo omnium Fulvio se inebriante, multa-
que præter ætatem insolenter dicente atque faciente. Gracchiani
tanquam in communi patriæ clade, quieti de eventu rei cogitabant,
alternisque dormiebant & excubias peragebant. Facta die, Fulvius
crapulam edormiens, vix tandem à suis excitatus, eos spoliis, quæ
cosul victoria adversus Gallos parta ceperat, armavit: inde multo
cum clamore ac minis ad Aventinum occupandum contenderunt.
Liciniæ luctus. Gracchus neque armari voluit, & rogatus tanquam ad concionem
prodiit, parvo accinctus pugione. Foribus egredientem uxor ap-
» prehendit, manuque altera maritum, altera parvum puerum tenens:
» Non ad tribunal, inquit, euntem te marite, tribunumque, ut ante XX
» plebis, & legum latorem prosequor: neque ad bellum gloriosum,
» ut si tibi quid humanitus obtigisset, luctum saltem honestum mihi
» relinqueres. Sed Tiberii fratris tui interfectoribus objicis te iner-
» mem: hoc quidem rectè, ut patiaris potius, quàm ages. Sed tuum
» exitium nulla cum utilitate publica conjunctum est. Vicerunt jam
» deteriora: vi & ferro de jure disceptatur. Si apud Numantium frater
» tuus oppetiisset, corpus saltem ex pacto nobis redditũ fuisset. Nũc,
» ut apparet, supplex fluvium aliquem aut mare precabor, ut mihi ca-
» daver tuum quo loco teneatur ostendant. Quid enim post fratris
» tui cædem vel legibus porrò credendum est, vel Diis? Hæc ita la-
mentante Licinnia, sensim se amplexibus ejus extricans Gracchus,
tacitus cum amicis ire perrexit. Illa verò togam ejus apprehende-
re cupiens, in terram corruit, diuque suppressa voce jacuit, donec
desertam ab animo famuli sustulerunt, & ad fratrem Crassum per-
tulerunt. Fulvius autem omnibus in unum congregatis, suasu Grac- XXI
chi filiorum natu minorem in forum cum caduceo mittit, pulcerri-

mum

mum forma adolescentulum. is in publico decorè consistens, modestèque lacrymans de pace consulem & senatum appellavit. Cùm plerisque animus ad pacificationem inclinaret, Opimius consul nō per nuncios debere pacem à senatu impetrari respondit, sed ipsos venire ac judicio se populi sistere, itaque iram ejus deprecari: edixitque adolescenti ne nisi id facturi essent, rediret. Voluisse ad senatum descendere pacis petendæ causa Gracchum ferunt: sed à suis prohibitum fuisse. Fulvius ergo filium ejusdem petendæ rei gratia

XII iterum mittit. At verò Opimius committendæ pugnæ avidus adolescentem statim duci in carcerem jussit, & adversus Fulvium magna cum armatorum & Cretensium sagittariorum manu contendit, Cretensium maximè telis consauciatum agmen Fulvianum, conturbatum fugatumque est. Fulvius in obsoletum quoddam balneum profugit, paulòque post inventus, una cum majore filio jugulatus est, Gracchum nemo vidit pugnantem: sed ea quæ agebantur iniquissimè ferens, in fanum Dianæ discessit: ibi mortem sibi afferre cupientem Pomponius & Licinius fidissimi amicorum impediverunt, gladium eripientes, & ad fugam cohortantes. Cùm quidem fertur flexis genibus, manibusque in signum Deæ intentis precatus esse, ut populo Romano ejus ingratitudinis proditionisque ergò perpetua obtingeret servitus. Palam enim plerique ab eo desciscebant impunitate per præconem promissa.

III Fugiente Graccho, hostibusque instantibus, & apud pontem sublicium assequentibus, duo ejus amici pergere ipsum jusserunt, atque sese ipsi ingruentibus hostibus objecerunt, pugnantesque neminem dum viverent transire passi sunt. Cum Graccho unicus servus, Philocrates nomine profugit: cæteris quidem omnibus certatim hortantibus, auxilium tamen ferente, aut equum poscenti tradere volente nemine. Cum jam instarent hostes, in lucum quendam parvum Furiarum confugit, ibique eum Philocrates, & se insuper interfecit. Quidam vivos in hostium manus pervenisse affirmant: servumque domino se circumplicasse, neque nisi multis vulneribus cęso Philocrate Gracchum feriri potuisse. Caput ejus ab alio amputatum arripuisse traditur amicus Opimii Septimulejus: erat enim initio pugnæ edictum, qui Fulvii Gracchive caput attulisset, ei equa-

IV li pondere aurum redditum iri. Attulit infixum hastæ sublime Septimulejus ad Opimium, allatæque libræ impositum, libras septendecim cum besse appendit. nam in ea quoque re sceleste improbèq; egerat Septimulejus, & cerebro extracto plumbum liquatum infuderat. Iis qui Fulvii caput attulerunt (erant autem obscurioris fortis homines) nihil est datum. Cadavera & horum & reliquorum (interfecti sunt tria millia) in Tiberim projecta sunt, bona publicata, mulieribus luctu interdictum. Liciniam dote etiam privaverunt. Crudelissimum omnium facinus fuit, quod minorem natu filium Fulvii insuper necaverunt, qui neque manum adversus quenquam sustulerat, neque inter pugnantes, sed missus pacis petendæ causa captus fuerat. Verùm Concordiæ templum ab Opimio ex-

Crudelitas in mortuos.

tructum majorem quam hæc omnia molestiam populo exhibuit. Videbatur enim jactare se, & exultare, ac triumphare quodãmodo de tot civibus cæsis. itaque noctu infra inscriptionem templi quidã hunc versum inscripserunt:

Vecors facinus Concordiæ fanum facit.

Opimius damnatus. Is Opimius cùm primus omnium dictatoria potestate in consulatu xxv usus, indemnatos M. Fulvium consularem triumphalemque virum,& C.Gracchum inter æquales virtute & gloria principem unà cum tribus civium millibus necasset, missus ad Iugurtham Numidiæ Regem legatus, ab eo corrumpi se pecunia est passus: turpissimoque de acceptis muneribus & corruptela indicio damnatus,in ignominia consenuit,odio contumeliisque populi agitatus. Etenim plebs Gracchanæ factionis exitio oppressa cùm in præsentia animos demisisset,non multò post demonstravit,quanto Gracchorum teneretur desiderio nam & statuas eorum in propatulo posuit: locisque iis, ubi occisi fuerant, consecratis, primitias ibi omnium frugum quovis anni tempore obtulerunt, frequentesque sacrificarunt quotidie,veluti Deorum delubra colentes. Sanè & Cornelia,ut memoriæ proditum est,cùm aliàs magno generosoq; animo calamitatem tulit,tum de fanis,in quibus filii cæsi fuerant dixit: Digna eis sepulchra obtigisse. *Cornelia virtus.* Apud Misenum ipsa reliquum ætatis exegit,nihil im- xxvi
mutata vivendi usitata ratione. Abundabat amicis, & propter hospitalitatem splendidius instruebatur ejus mensa: habebat enim semper circùm se Græcos & literarum bonarum studiosos: omnes autem reges dona ab ea accipiebant, vicissimque mittebant. Suavissima erat oratio ejus patris Africani vitam commemorantis: maximam vero sui admirationem movebat, absque lachrymis & luctu filiorum suorum actiones casusque veluti priscorum hominum,referens. Itaque & nonnulli eam propter senium vel magnitudinem calamitatum à mente desertam,sensuque malorum privatam putaverunt: stupidi profectò ipsi, qui non sentirent,quantum bona indoles,rectaque educatio hominibus ad vacuitatem dolorum conferat momenti:& quod in retinendis quidem bonis sæpenumerò fortuna virtutem superat, amissis verò iis prudentes casus nostros moderatèque ferendi facultatem ei non adimit.

TI. ET C. GRACCHORVM cum Agide & Cleomene comparatio.

Restat, ut vitas hactenus expositas inter se comparemus, Grac- xx
chos quidem nemo ne eorum quidem qui acerrimè eis obtrectarũt, ausus fuit negare, omnium Romanorum optimè ad virtutem & natos & educatos fuisse: Agidis & Cleomenis ingenium tantò videtur fuisse validius,quod neque educati rectè, & in iis moribus vitæque rationibus enutriti, quibus majores jampridem corrupti fuerant, *Ingenia.*

ipſi ſeſe duces frugalitatis temperantiæque præbuerunt. Præterea illi, quo tempore Roma & in maxima dignitate fuit, & ſtudium in ea virtutis viguit, id veluti hæreditatem paternæ avitæque gloriæ deſerere turpe judicaverunt: hi parentibus diverſum ab ipſis ſentientibus orti, patriamque male affectam & ſtatu rerum parum proſpero utentem nacti, nihil tamen paſſi ſunt ob iſta de ſuę honeſtatis ſtudio diminui. In contemptu pecuniæ Gracchorum & abſtinentia à cupiditate opum id maximum eſt, quod à quæſtu injuſto puros ſeſe in Repub. & magiſtratibus geſſerunt. Agis verò ſtomachatus fuiſſet utique, ſi quis ipſum hoc nomine laudaſſet, quod nihil alienum ſibi vindicaſſet: qui facultates ſuas civibus largitus eſt, præter cætera bona nomiſmatis DC. talenta continentes. ut facilè intelligi poſſit quantopere injuſtum lucrum deteſtatus ſit, qui etiam juſto titulo plus aliis poſſidere avaritiæ duceret. Iam conatus in rebus novis machinandis, magnitudine multum differunt. C. enim Gracchus itinerum refectiones & urbium inſtaurationes moliebatur: omniumque actionum audaciſſimum, quod Gracchorum major publicos agros dividere populo, minor CCC ex equitibus judices patriciis admiſcere aggreſſus eſt. Agidis verò & Cleomenis inſtitutum novandarum rerum tale fuit, ut exiguis ſingulisque mederi morbis, eoſq; exſcindere, nihil aliud eſſe quam Hydram ſecare (ut eſt apud Platonem) putantes, eam mutationem macchinati ſint, quæ ſimul omnia tolleret mala: aut verius quæ reducta in priſtinam formam Republ. mutationem, quæ omnium malorum cauſa fuerat, civitate ejiceret. Quin & hoc dici poteſt, Gracchorum inſtituto principes Romanorum repugnaſſe: quæ verò Agis inſtituit, Cleomenes perficere conatus eſt imitatione pulcerrimæ & magnificentiſſimæ rei, patriarum ſcilicet legum de temperantia & æqualitate facta ſunt, quarum autor Lycurgus, Apollo Pythius confirmator fuit. Quod verò plurimum habet virium, Roma Gracchorum actionibus nihil aucta eſt: Cleomenis actiones hoc conſecutum eſt, ut brevi temporis ſpacio exacto imperantem Peloponeſo Spartam, & de principatu cum potentiſſimis ea tempeſtate dimicantem cerneret Græcia: idq; in eum finem, ut Græcia Illyricis aliquando Gallicisque exonerata armis rurſum ab Heraclidis gubernaretur. Arbitror & exitus horum virorum virtutis diſcrimen oſtendere. Gracchi enim pugnantes adverſus cives ſuos, in fuga perierunt: Agis ne quem civium interficeret, voluntaria prope morte deceſſit: Cleomenes injuriis contumeliisque affectus, cùm ulciſci aggreſſus occaſione perficiendi quod intenderat deſtitueretur, animoſe mortem ſibi conſcivit. Viciſſim Agis priuſquàm bello rem gereret mortuus eſt. Cleomenis autem multis atque præclaris victoriis conferri poteſt egregium Tiberii Gracchi facinus, quod muros Carthaginis occupavit: tum Numantinum fœdus, quo XX. Romanorum militum millia, nullam aliam ſalutis ſpem habentium, ſervavit. C. quoque Gracchus multa

Exitus.

Facinora.

& ibi

& ibi in Sardinio fortitudinis documenta edidit : ut videantur cum summis Romanorum ducibus pares futuri fuisse, si diutius vixissent. Rempub. mollius Agis, quam par erat, administravit, ab Agesilao se *Peccata.* decipi sinens, agrorumque divisione cives lactans: omninòque manca ejus consilia & imperfectæ actiones fuerunt, dimittentis propter ætatem quod instituerat. Contra Cleomenes in mutando reip. statu nimiam audaciam violentiamque adhibuit, injustè occidendis ephoris: quos vel ad suam partem adjungere armis superior, vel, ut multos alios, in exilium mittere poterat. Ferrum enim neque rempub. gerens, neque medicus adhibere, nisi extrema postulante necessitate, debet. utrumque enim imperitię est, & in rep. injusticia ad eam & crudelitas accedunt. Gracchorum neuter cædium intestinarum autor fuit. & quidem Cajus fertur ne cum telis quidem peteretur, ad defendendum se contulisse : sed cùm in bello strenuissimus fuisset, in seditione segnissimum se præbuisse, quippe & progressit inermis, & ex pugna se subduxit, & omninò majorem ne quid faceret, quam ne quid pateretur curam adhibuit. Itaque fugam quoque ejus nō timidatis, sed cautionis signum debemus interpretari : cedendum enim erat ingruentibus hostibus : aut si eos substitisset, vis
pugnando defendenda. Quæ objiciuntur Tiberio crimina, eorum XXXI
maximum est, quod collegam tribunatu dejecit, & alterum sibi continuari voluit. Cajo injustè ac falsò Antylli cedes imputatur, cùm is invito ipso indigneque ferente sit interfectus. Cleomenes, ut necem ephororum taceam, servos liberavit, regnavitque, si rem spectes, solus, verbo collegam ex eadem familia Euclidam fratrem habens: Archidamum verò, quem ex altera familia regnare justum erat, Messena evocavit. interfectique cædem non ulciscens, confirmavit suspicionem, se ut occideretur causam præbuisse. Et verò Lycurgus, quem se imitari simulabat, ultrò regnum fratris filio Charilao reddiderat: ac metuens, ne si quid humanitus ei accidisset, ipse necis ejus insimularetur, diu extra patriam vagatus, non ante domum rediit, quàm hæredem regni natum Charilao cognovit. Sed Lycurgo ne alius quidem Græcorum ullus comparari meretur : in *Mores.* Cleomenis actionibus civilibus majores mutationes & plus injusti-
ciæ inesse, demonstratum est. Præterea qui mores eorum culpant, XXXII
hunc ab initio statim tyrannidis appetentem, bellorumque conturbatorem fuisse dicunt: in Gracchis invidi nihil præter nimium gloriæ studium reprehendere potuerunt : fassique sunt eos irritatos præter suam naturam ab adversariis vehementia animi & contentionis tanquam ventis incitatos in extremum discrimen remp. adduxisse. Nam quid potuit primo ipsorum proposito pulcrius justiusve excogitari? nisi divites vi & potentia sua conati legem eam abrogare, in certamen eos pertraxissent, alterum saluti suæ metuentem, alterum cædem fratris ulciscentem, indicta causa & ne extante quidem ullo ejus rei decreto interfecti. Ergo quæ sint inter istos differentiæ, ipse ex his, quæ dixi, conspicis. Quod si etiam de singulis

lis ferenda ſit ſententia, primam ex omnibus virtutis laudem Tiberio tribuerim, minimè omnium peccaſſe Agidem cenſuerim, efficacitate & audacia Cajum Cleomene haud paulò inferiorem fuiſſe judicaverim.

INTERPRETIS ANNOTATIONES in C. Gracchum.

CAp. 1. Quæſtor Oreſtæ.) *L. Aurelio Oreſtæ, anno DCXXVIII. Vide de hac Gracchi quæſtura, quæ ex ipſius oratione refert Gellius 15, 12.*

Cap. 2. Narrat Cicero.) *Locus eſt primo de Divinatione.*

Cap. 3. Per triennium.) τριετίαν *apud Gellium legitur* biennium: *quod adeò malim, ut prope credam* διετίαν *à Plutarcho fuiſſe ſcriptum. Nam ne totum quidem biennium in Sardinia fuiſſe videtur. ſiquidem ex Appiano apparet, Fulvio Flacco conſule & adjutore primum tribunatum petiiſſe, aut certè proximo poſt anno.*

Cap. 4. Fregellanæ conjurationis.) *Livium libro ſexageſimo vide, aut Faſtos potius Sigonij, anno DCXXVIII.*

Cap. 5. C. Butturium.) *Sic eſt in Græco. Interpretes* Veturium *habent. an conjecturam ſecuti an hiſtoriam?*

Cap. 14. L. enim Opimius.) *In Græco* ὁςίλιος, Hoſtilius *verùm ego per hæc tempora nullum Hoſtilium à quoquam nominari video. Aretinus & Sigonius* Opimium *legerunt, qui proximo poſt anno conſul C. Gracchum interfecit. id & mihi ſemper placuit.*

Cap. 17. Q. Antyllius.) *Appianus vocat: ſed rem haud paulò aliter narrat.*

IN COMPARATIONEM.

Cap. 28. Apud Platonem.) *Libro quarto de Republica.*

Cap. 30. Dimittendis.) *Græca mendoſa & mutila puto. Aretinus omiſit totam comparationem, quod* Gracchos *tantùm verterat: itemq; Tudertinus qui* alteros.

PLUTARCHI ARTOXERXES, GUILIELMO XYLANDRO Auguſtano, interprete.

1 ARTOXERXES prior, inter Reges Perſarum, manſuetudine & magnanimitate præſtantiſſimus, cognomento Longimanus, quod dextra ei quàm ſiniſtra eſſet major, Xerxis fuit filius. Poſterior Mnemon, id eſt Memor appellatus, filia prioris natus eſt. Dario enim ex Paryſatide quatuor fuerunt filii, maximus natu Artoxerxes, poſt hunc Cyrus, inde Oſtanes & Oxathres. Cyrus nomen à priſco illo Cyro habuit: is à ſole, quem Perſarum lingua cyrum appellari dicunt. Artoxerxes ante Arſicas nominatus fuit, Dinon Oarſis *Genus.*

nomẽ ei fuisse scribit. Verùm probabile non est Ctesiam regis apud
quem agebat, & quem uxoremque ejus & matrem & liberos curá-
bat, nomen ignoraſſe: quantumvis alioquin fabularum incredibi-
lium atque stolidarum colluviem infarciat. Cyri ingenium jam in-
Indoles. de à pueritia vehemens fuit: Arsicas mansuetior omnibus in rebus,
placidioribusq; animi motibus præditus videbatur. Idem uxorem,
quam jussu parentum pulcram præclaramque duxerat, invitis iis re-
tinuit. Cùm enim Rex fratrem mulieris necasset, & ipsam quoque
vellet interficere, matri supplex factus, multis tande lacrymis ægrè
impetravit, ut vivere ei, & secum esse permitteretur. Mater Cyro
magis favebat, eumque patri succedere volebat. Ideò etiam patre II
decumbente evocatus ex maritimâ provincia, statim in Persidẽ ad-
scendit, spe plenus matrem confecisse ut ipse defuncto patre regna-
ret. Et quidem Parysatis usa est ratione non absurda (qua etiam Xer-
xes ille antiquus Demarati monitu usus fuerat) Arsicam se privato,
Cyrum jam regnãte Dario peperisse. non obtinuit tamen, sed major
natu Rex creatus est, & Artoxerxes appellatus. Cyro Lydia, & satra-
Pasargadica mysteria. piæ maritimæ obtigerunt. Non multo post Darii mortem tempore
Artoxerxes Pasargadas profectus est, ut à Persicis sacerdotibus Re-
giis mysteriis initiaretur. Templum ibi est Deæ cujusdam bellicæ,
quam Minervam esse conjicere liceat. Eò intrare oportet eum qui
initiatur, suoque amictu deposito, eam stolam induere, quam Cy-
rus ille magnus antequàm occiperet regnum gestaverat: ficorum
quoque pallatham, & terminthum comedere, & lac aceto tempera-
tum bibere jubetur: fortassis & alia quædam ignota aliis facere. Ea
Cyri in fratrem insidiæ. tunc peracturum regem Tisaphernes convenit, sacerdotem addu-
cens secum, qui pueri Cyri disciplinæ moribus Persarum instituti
præfuerat, eumq; magicas artes docuerat, neq; majorem quisquam
Persarum dolorem, quod Cyrus Regnum non erat adeptus, perce-
perat. Quo facilius ei fides habebatur Cyrum accusanti, quod is in-
sidiari Regi in templo decrevisset, exeuntemque se veste adoriri &
interficere. Quidam ob hanc criminationem captum fuisse tra- III
dunt: alii venisse eum in templum, & proditum esse, occultatum à
sacerdote. Iam necandum mater ulnis complexa, suisq; implicans
crinibus, collumque ejus collo suo applicans, multa lamentatione
atque deprecatione impetravit, ut peccati ejus gratia ipsi fieret: rur-
susque inde ad maritimas provincias remisit. At verò Cyrus nequa-
quam isto imperio contentus, neque tam servatum se maternis pre-
cibus quàm captum à fratre fuisse memor, animo irritato magis et-
iam quàm ante regni potiundi cupiditate flagrabat. Inepti sunt,
qui eum ideò à rege defecisse tradunt, quòd non satis sumptuum ad
quotidianas cœnas suppeditaret. quippe absque reliqua fuissent,
mater certè sufficiebat, omnia quæ vellet utenda ei & accipienda
præbens. Opibus quidem Cyri milites stipendiarii argumento sunt,
quos multis in locis occultè amicorum & hospitum opera alebat,
ut ait Xenophon: tegens etiamnum institutum suum, ideoque non
condu-

conducens eo conferto agmine, sed varios hinc inde aliis atque
IV aliis sub prætextibus conquisitores habens. Interim mater regis
præsens suspiciones diluebat: & ipse Cyrus, submissè scribens, & quà
petens à fratre aliquid, quà Tisaphernem recriminans, quasi cum
eo sibi contentio esset. Inerat etiam in regis ingenio naturalis quæ-
dam lentitudo, quæ vulgò lenitudo putaretur: atque initio imitari
omninò Artoxerxis illius cognominis sui mansuetudinem videba-
tur, comem se in congressibus præbendo, inque honoribus & bene-
ficiis tribuendis pro dignitate cujusvis nimium etiam studium ad-
hibendo. à pœnis, si quas irrogaret, omnis aberat contumelia: cùm-
que ineunda gratia non minus accipiendo quàm dando gauderet,
humanum se & facilem in donando exhibebat. nihil fuit enim tam
vile eorum quæ offerrentur, quod non alacriter acciperet. & cùm
Omisus quidam malum punicum mirabili magnitudine ad eum at-
tulisset, per Mithram, inquit, hic vir ubi parvæ præfectus, videtur
eam brevi tempore magnam redacturus. Cùm aliquando aliis alia
offerentibus in via, operarius homo qui nihil aliud illo temporis ar-
ticulo inveniret, ad fluvium accurrens aquam inde haustam mani-
bus ipsi attulisset: delectatus eo, pateram auream & mille Daricos
V dono homini misit. Euclide Laconi multa licentius & insolentius
in ipsum dicenti tribunum militum dicere jussit: Tibi quidem de
rege loqui quæ velis; regi autem dicere & facere quę vult, licet. Cùm
ei in venatione Tiribazus candyn ruptum laceratumque esse osten-
disset, interrogatusque quid agendum putaret, debere regem alio
se induere, lacerum sibi donare diceret: Dono tibi, ait, eum ô Tiri-
baze do, gestare autem prohibeo. cùmque id dictum non observaret
Tiribazus, (erat verò non malus homo, verùm levis nonnihil & non
satis compos rationis) sed statim candy amictus, aurea etiam orna-
menta, qualia mulieres gestare solent, sibi appenderet: universis
indignantibus (nam contra mores hoc Persarum fiebat) ridens
Artoxerxes: Concedo, inquit, tibi Tiribaze, & aureum mundum ut
mulieri, & candyn, ut insano. Cùm ad mensam regis Persarum ne-
mo soleret adhiberi pręter matrem ejus & uxorem, quarũ hæc infra
regem, illa supra assideret: Artoxerxes etiam duos minores natu
fratres Ostacem, & Oxabem mensæ suæ adjunxit. Gratissimus o-
mniũ conspectus Persis fuit vehiculi Statiræ reginæ, nullo unquam
velo involuti: sic enim populares mulieres reginam accedendi &
salutandi semper habebant facultatem, eaq; vulgo erat charissima.
VI Verùm homines inquieti, & novarum rerum avidi Cyrum, utpote
virum magnanimum, bellicosumque apprimè & amicorum studio-
sum, desiderari ab ipso rerum statu & mole imperii ferebant, regem
elato animo gloriæq; cupiditate præditum requirentis. Itaque Cy- *Cyri advers. sus fratrem bellum.*
rus tam in superiorum regionum quàm suarum hominum amicis
fiduciam collocans bellum suscepit: & ad Spartanos scripsit auxi-
lia ab iis virosque petens, iisq; pollicitus est se, si pedites venissent,
equos; si equites, bigas; si agros possiderent, pagos; si pagos, urbes

 largi-

largiturum: ac stipendium militibus non numero, sed mensura distributurum. Multa etiam alia de se magnificè prædicans, prudentiorem quoq; se quàm fratrem esse ferebat philosophicisq; & magicis studiis ei anteire: plus etiam vini bibere se & ferre posse: eum præ timiditate & mollicie neque in venationibus, equo, neque periculosis rebus in solio sedere posse. Spartani Clearchū scytala missa jussere Cyro omnibus in rebus inservire. Expeditionem Cyrus ad- VII
versus fratrem fecit, ingentibus cum barbarorum copiis, & Græcis militibus stipendiariis, quorum in exercitu ejus prope XIII. erant millia. expeditioni autem modò hanc, modò aliam prætendebat causam: sed latere diutius propositū ejus nequivit, & ipse Tisaphernes nuncius eorum quæ agebantur ad regem venit. Magnus proinde in regia tumultus extitit, cùm omnis fere belli culpa in Parysatidem conferretur, & amici ejus suspicionibus essent calumniisque expositi. Præcipuè eam Statira vexabat, gravissimè id bellum ferens ac vociferans: Vbi nunc fides data? ubi preces, quibus insidiantem fratri Cyrum eripuisti supplicio, belloque nos & calamitatibus implicasti? Exinde Parysatis ingenio mulier iracundo, barbaricæque in exatianda ira & vindicandis offensis pertinaciæ, vitæ Statiræ insidias struxit. Et Dinon quidem ipso in bello rem ab ea confectam scribit: Ctesias peracto jam bello. quem quidem, cùm rebus ipsis interfuerit, ignorasse tempus credibile non est: neque causa fuit, cur ultrò in aliud tempus eam rem, quam ità uti gesta est retulit, rejiceret. nam alioquin sæpe oratio ejus à veritate ad fabulas & scenica figmenta deflectit. Igitur eam rem eo loco, quem Ctesias assignavit, narrabo. Adventanti Cyro rumores allati sunt, statuisse regem VIII
non statim pugnare, neque manum cum ipso conferre, sed in Persia manere, dum eo omnes copiæ convenirent. Et quidem passus erat Cyrum ultrà fossam, quam decem ulnas latam, totidemque altam per planiciem ad CCCC. stadia egerat, transire, & prope Babylonem usque progredi. Tiribazo ferunt primo omnium auso dicere, non esse subterfugiendam pugnam, neq; Media & Babylone cedendum, sed à Susa & in Perside occurrendum hosti: habere enim regem longè majores hostilibus copias, plurimosq; satrapas & duces, qui prudentia & pugnandi peritia Cyro anteirent. ita demum regem statuisse quàm primùm prœlio decernere. Vt primùm in conspectum hostibus venit cum DCCCC millium exercitu pulcherrimè exornato & instructo, eos confuso & inermi agmine præ confidentia & contemptione regis incedentes perterruit ac conturbavit: ita quidem, ut magna cum trepidatione & clamore ægrè suos in ordinem composuerit Cyrus. Deinde tacitè & lento gradu suos in hostem ducentem admirati sunt Græci, quod in eo exercitu tam elegans servaretur ordo: cùm illi tantam multitudinem incomposito clamore, saltibusque & magno cum tumultu ac dissipatione accessurum putassent. Id quoque ab eo bene institutum, quod ante suam phalangem Græcæ aciei opposuit falcatorum curruum robu-

Artoxerxis copiæ.

stissimum

stissimum quemque, ut nimirum priusquam manus consererentur,
IX vi impetus eorum Græcos ordines dissiparet. Cum eam pugnam & retulerint multi, & Xenophon tantum non ob oculos posuerit, auditoremq; non ut gestis olim adhibeat, sed quasi in re præsenti constituat, ac narrationis perspicuitate ita afficiat ac si ipse prœlii fortunam subiret: non est cordati hominis recensere, nisi quæ illi memoratu digna præteriit. Locus pugnæ Cunaxa dicitur, abest Babylone stadia D. Cyrum, cùm ante pugnam Clearchus hortaretur, ut se post Macedonicam aciem contineret, neque in discrimem pugnæ daret, respondisse ferunt: Quid ais Clearche? tu me regni appetentem regno me indignum gerere jubes? Sanè in eo peccatum est à Cyro, quod temerè in medium se periculum conjecit, neque sibi ab eo cavit. Sed si non gravius, non levius profectò est Clearchi peccatum, qui adversos regi constituere Græcos noluit, sed dextrum cornu ad amnem applicuit, ne circumveniretur. Ei enim, qui quod tutum sit ubique consectatur, neq; magis quicquam curat, quàm ne quid incommodi patiatur, nihil erat consultius, quàm domi residere: qui verò in armis à mari in superiores regiones per X. stadiorum M. profectus esset nulla actus necessitate, sed tantum in solio regio collocandi Cyri causa: atque is deinde circumspiceret locum & stationem, non unde salutem duci suo & stipendium præbenti ferret, sed unde ipse quàm minimo periculo & quasi per ocium pugnaret: videtur ille quidem mihi metu præsentis periculi consiliis de summa *In minis cautus.*
X rerum initis excussus, ducis officium projecisse. Eventus enim prœlii ejus docuit, neminem eorum, qui cum rege erant, impressionem Græcorum substiturum: porrò autem illis pulsis, & rege vel cæso vel in fugam conjecto: victoriam & regnum penes Cyrum futurum fuisse. Non ergo tam Cyri audacia, quàm Clearchi timiditas culpanda est, quæ rem totam Cyrumque perdidit. Nam si ipse Artoxerxes deliberare debuisset, quonam loco Græcos vellet constitui, ut ab iis quàm minimè sibi noceri posset: non profectò commodiorem sibi locum invenisset, quàm qui longissimè à se & exercitu suo distaret. itaq; neque sensit ille se à Græcis victum, & Cyrus prius occisus est, quàm ullum Clearchianæ victoriæ fructum sentiret. Et quidem Cyrum quid ex usu esset, non fefellit, ac jussit Clearchũ in mediam aciem suos collocare: is autem respondens curaturum se, ut optimè cuncta fierent exitio rebus fuit. Græci enim quantum voluerunt, barbaros vicerunt, iisque persequendis longè progressi sunt.
XI Cyro autem, qui generoso equo, cæterùm fræni impatiente & feroce vehebatur (nomen equi Pasacam Ctesias perhibet) Cadusiorũ præfectus Artagerses obvium se tulit, magna voce clamans: O injustissime hominum, atque imprudentissime, qui honestissimum apud Persas nomen Cyri dedecoras, bonos Græcos malo itinere ad Persarum bona occupanda adducis, cædem domini & fratris tui molitus, qui innumeros habet te præstantiores servos, quod mox senties: prius enim hîc caput tuum amittes, quàm regis faciem contuearis. *Artagerses.*

Ita vociferatus, simul jaculum in Cyrum contorsit: thorax ictum sustinuit: neq; vulneratus est tum, sed ictus vehementia concussus intremuit: & avertente equum Artagersa, conjiciens jaculum, juxta claviculam hastæ cuspidem per collum transadegit. Omnium ferè ore occisus à Cyro Artagerses traditur. de Cyri interitu, quoniam Xenophon, ut qui non interfuerit, tenuiter, & concisè narrat, haud abs re esse puto, si quæ Dinon, & quæ Ctesias, de eo tradunt, perstringam. Dinon ita refert. Artagersa dejecto Cyrus magno impetu XII

De Cyri morte.

in eos qui ante regem erant collocati invectus regis equum vulneravit: regem delapsum Tiribazus celeriter in alium equũ imposuit, dicens: Memento, ô rex, hujus diei: non enim dignus est cujus obliviscaris. Rursum Cyrus impetu in equum facto, Artoxerxem dejicit. Ad tertium insultum non perferens indignationem rex, & ad suos dicens: Satius esse mori, obviam se Cyro proripuit, temerè se & incircumspectè adversis telis inferenti, cumque cùm ipse jaculo, tum reliqui petunt. Cadit ibi Cyrus, ictus à rege ipso, ut quidã perhibent: ut alii, à Care quodã, cui præmii loco rex dederit, ut in bello semper aureum gallum hastæ impositũ ante aciem gestaret. nam Cares ipsi etiam galli à Persis appellabantur, propter cristas, quibus galeas exornabant. Ctesiæ narratio, ut in pauca verba conferam, XIII
talis est. Interfecto Artagersa Cyrus equum adversus regem incitat, isq; ei occurrit, tacitus uterque. Prior Ariæus Cyri amicus in regem jaculum conjicit, neque tamen sauciat. Rex conjecta hasta, à Cyro quidem aberrat: Tisaphernem tamen generosum virum, & Cyro fidum percutit, & exanimat. Cyrus in ipsum regem jaculo emisso, per thoracem pectus ejus vulnerat, ita, ut ad duorum digitorum altitudinem telum adigeretur, & rex eo ictu equo dejiceretur: isque fuga & trepidatione circa ipsum orta surgens, cum paucis, in quibus ipse etiam Ctesias fuit, tumulum quendam occupat, & in eo quiescit. Cyrum autem hostibus implicatum, & iræ indulgentem equus procul provexit, jam tenebris ingruentibus, ignotum hostibus, & ab amicis quæsitum. Elatus autem victoria, plenusque ferociæ per medios ferebatur, vociferans: Cedite viles homines. Hoc sæpius Persica voce inclamanti jam multi via decedebant, & adorabant: tiara autem capite ejus delapsa, juvenis quidem Persa, Mithridates nomine, cùm eum non agnosceret, jaculo tempus ipsius juxta oculum verberat. Eo ex vulnere cùm multum sanguinis proflueret, XIV
vertigine & sopore occupatus Cyrus ex equo devolvitur: equus profugus oberravit. equestre pileum delapsum, ac sanguine oppletum ejus qui vulneraverat Cyrum comes accepit. Ægrè autem ab ictu ad se redeuntem Cyrum eunuchi qui aderant pauci in alium equum imponere & servare intenderunt: cùmque ad id virium satis non haberet, pedibusque incedere conaretur, manibus suis sublevatum duxerunt, titubantem corpore, caputque demittentem, victoria tamen potitũ se arbitrantem, quod fugientes Cyrum nomine vocare, & sibi ut parceret orare audiebat. Interim Caunii quidam extremæ

fortis homines, & egeni, ac qui abjectorum ministeriorum causa castra regis secuti erant, veluti socii inter Cyri comitatum se admiscuerant. Hi, cùm vix tandem conspexissent saga, quæ thoracibus superinduuntur, punicea, (nam regii omnes albis utebantur) cum hostibus se versari senserunt: & unus eorum ausus est à tergo Cyrum, ignotum sibi, jaculo petere. Is ictus Cyri venam in poplite rupit: atque inter cadendum Cyrus saxo tempus sauciatum allidens, moritur. Hæc Ctesiæ narratio Cyrum quasi hebeti mucrone vix
XV tandem interficit. Iam mortuo Cyro, Artasyras, regis speculator, equo ibi fortè prætervectus, cùm eunuchorum lamentationem sentiret, eum cujus præcipua fides erat, sic percontatur: Quisnam est iste, ô Parisca, quem assidens defles? Tum ille: Non cernis, ô Artasyra, defunctum vita Cyrum. Miratus id Artasyras, eunuchum bono esse animo, & cadaver custodire jussit: ipse qua potuit maxima celeritate ad Artoxerxem contendit. Quem ut jam de rebus suis desperantem, corpore etiam male ob vulnus & sitim affecto offendit, lætus ei annunciat, visum à se Cyri cadaver. Rex eo audito, primùm ipse ire statuit, & Artasyrā jussit, ut se ad locum eum, ubi Cyrus mortuus jaceret, duceret cùm autem multus esset sermo de Græcis, iiq; ut victores, & omnia jam tenentes, passimq; victos persequentes metuerentur: placuit plures mitti, qui rem certò explorarent, missiq; cum fa-
XVI cibus sunt triginta viri. Interim rege penè siti pereunte, Satibarzanes eunuchus circumcursitabat, potum quærens: nam neq; aqua erat eo in loco, & aberant procul à castris. tandē unum de miseris istis (quos diximus) Cauniis adipiscitur, qui in utriculo sordido aquæ corruptæ circiter octo cotylas habebat eam aquam eunuchus ad regem affert: cùmq; is ebibisset, quæsivit ex eo, ecquid non plurimū hoc potu molestiæ sensisset? Respondit rex, deos testatus: Nunquam se ita suaviter vel vinum bibisse, vel aquam levissimam atq; purissimam: ac nisi eum hominē, à quo aqua ista eunucho præbita esset, inventum remunerari posset, deos se precari, ut beatum eum divitem-
XVII que faciant. Iam & triginta isti reversi erant gaudio exultantes, & insperatam felicitatem renunciantes: & multis ad se jam confluentibus, agmenque denuò facientibus, animo recepto degressus est de tumulo, multis facibus circumlucentibus. Vt adstitit cadaveri, ejusque instituto quodā Persico manus dextra & caput præcisa sunt, caput ad se afferri jussit, comaque id, quæ prolixa erat & densa, apprehensum dubitantibus adhuc & fugientibus ostentavit. Mirati sunt homines, adoratoq; rege ad eum se receperunt: ita quidem, ut mox cum LXX. hominum millibus in castra redierit Cum CCCC. hominum millibus ad pugnam eum profectū Ctesias scribit; Xenophon & Dino multò majorem eorum, qui pugnaverint, numerum assignant. Eorum qui prœlio cæsi sunt numerum inquit Ctesias ad Artoxerxem esse relatum, novem millia: ipsi cadavera visa haud pauciora XX. millibus esse ait. Verùm hæc aliquid habent contro-
XVIII versiæ. Illud verò, splendidum jam est Ctesiæ mendacium, quod se

Potus aquæ vitiatæ regi suavissimus.

unà cum Phayllo Zacynthio, & quibusdam aliis ad Græcos legatum scribit. Xenophon enim Ctesiam cum rege versatum fatetur, facitque ejus mentionem: neq; est obscurum, lectos ab eo Ctesiæ libros. ut nullo modo silentio præteriturus fuerit, siquidē is ad Græcos venisset, tantisque de rebus sententiam regis interpretatus esset: præsertim cùm Phayllum Zacynthium nominaverit. Sed mirificè nimirum ambitiosus Ctesias, juxtaque Laconum & Clearchi studiosus, subinde in narratione sua locum sibi aliquem parat in laudes Clearchi & Spartæ digrediendi, easque prædicandi. Secundùm pugnam rex maxima & pulcerrima dona misit filio Artagersæ ejus, quem à Cyro occisum esse demonstravimus: præclaris etiam honoribus Ctesiam ac reliquos affecit. & repertum Caunium istum, qui utriculum cùm aqua præbuerat, ex ignobili & paupere honoratum divitemque redegit. In suppliciis quoque eorum qui deliquerant accurationem adhibuit. Namque Arbacem quendam Medum, qui in prælio ad Cyrum transfugerat, rursusque eo interfecto ad regios se receperat, non proditionis aut malevolentiæ, sed timiditatis atque molliciei damnans, scortum nudum jussit cervici suæ impositum in foro per integrum diem circumferre. Alteri, qui non contentus transitione, mentitus insuper fuerat duos ex hostibus à se dejectos, linguam tribus acubus transfigi jussit. Cæterùm putans, cupiensque omnes homines ita sentire atque loqui, Cyrum ab ipso interfectum fuisse, missis ad Mithridatem muneribus dicere ei jussit: Iis eum donis à rege affici, quod equestrem Cyri pileum inventum retulerit. Cari autem, qui poplitem Cyri vulnerarat, præmium postulanti, eos qui id dabant indicare præcepit, hæc ei regem largiri, quod secundus in annuncianda Cyri morte fuisset, de qua primus omnium Artasyras nuncium ad regem attulisset. Et Mithridates quidem tacitum injuriæ dolorem ferens abiit. At infelix ille Car id passus est, quod ferè stolidis hominibus evenire solet. Præsentibus enim bonis luxurians, ad ea quæ conditione ipsius erant superiora provectus est appetendum, neque contentus ea quæ acceperat, sibi præmii loco ob faustum allatum nuncium obtigisse, quiritatus est, obtestans deos, atque vociferans, à nemine alio, quàm à se Cyrum necatum esse, atque injustè eam sibi gloriam adimi. Hæc cùm audiret rex, tanta exarsit ira, ut amputari caput homini mandaret. Aderat tum Parysatis: ea à filio impetravit, ne hoc modo sceleratum istum hominem puniret, sed sibi merito eorum quæ jactaret supplicio afficiendum traderet. atque ea carnificibus Carem traditum, per decem dies cruciatibus torquere, inde oculos effodere, inque aures æs liquefactum infundere, atque ita necare jussit. Neque multò post Mithridati eadem væcordia exitio fuit. Vocatus enim ad cœnam, cui & regis & Parysatidis eunuchi intererant, veste & auro, quibus eum rex donaverat, ornatus venit. Ibi cùm Sparamixes eunuchorum Parysatidis potentissimus in cœna eum compellasset, ac pulcritudinem vestis, quam is à rege dono accepisset,

Ctesiæ vanitas. XIX *Pœnæ moderatio.* XX *Mithridatis calamitas.* XXI

tum

tum torques & armillas, acinacemque collaudasset, quibus eum rex beatum, omnibusque suspiciendum effecisset: ebrius jam Mithridates: Quid, inquit, hæc tu æstimas? majoribus ego me & pulcrioribus dignum muneribus rege ea die præbui. Ad hæc subridens leniter Sparamixes: Non equidem, ait, tibi ô Mithridate invideo quicquam. sed (quando Græci ferunt in vino esse veritatem) quid tandem adeò magnum est aut præclarum, pileum equo delapsum invenisse, & retulisse? dicebat autem hæc, non ignarus veritatis, sed ut rem apud eos qui intererant detegeret, occasionem levitati hominis præbebat, jam ob temulentiam linguæ suæ impo-
XXII tis. Ergo non continuit se Mithridates, quin diceret: Vos quidem pileos, & alias nugas quantumlibet commemorate: ego vobis disertè dico, hac manu Cyrum esse occisum. Non enim, ut Artagerses, telum sine ictu conjeci: sed cùm paululùm ab oculo aberrassem, tempus Cyri attigi atque trajeci, eumque stravi, & est ex eo vulnere mortuus. Hæc illo fato, cæteri infelicitatem hominis & exitium animo prævidentes, oculos in terram dejecerunt. qui autem convivium præbebat: Heus, inquit, Mithridate, edamus in præsentia atque bibamus, & regis genium veneremur, à sermonibus nostra sorte superioribus abstinentes. Eunuchus porrò Mithridatis sermonem ad Parysatidem, ea ad regem defert. Indignatus graviter est rex se redargui, pulcerrimamq; & suavissimam victoriæ partem sibi eripi. volebat enim ab omnibus barbaris Græcisque pro certo credi, se in concursu cum fratre illato acceptoq; vulnere eum inter-
XXIII fecisse. Mithridatem itaque inter scaphas necari jubet. Supplicii genus quale sit exponam. Duas scaphas quæ mutuò quadrent accipiunt: in alterâ harum is qui plectendus est supinus collocatur: alteram imponunt, itaque aptant, ut caput, manus, pedesque promineant, totum alioquin corpus occultetur. Ita incluso cibus præbetur: ac si edere nolit, oculos compungendo eum cogunt: cùm edit, mel lacti mixtū ei potus loco infundunt: ita verò semper eum collocant, ut adversus solem oculos habeat. Porrò autem muscarum identidem assidentiū multitudine facies ejus tota obtegitur. & cùm in scaphis interius ea faciat, quæ necesse est hominem cibo potuq; fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorū tarmes atque vermes pullulant, qui in intestina subrepentes, corpus consumunt. cùm enim jam constat mortuum esse, remota superiori scapha intuentur carnes quidem devoratas, intestinis autem inhærentia hujusmodi animalculorum exanima. Hoc modo Mithridates se-
XXIV ptendecim dies cruciatus, lenta morte absumptus est. Reliquus adhuc unus erat Parysatidi scopus, in quem intenderet: Masabates nimirum regis eunuchus, qui caput & manū Cyri amputaverat. Hunc, quia nullam ansam præbebat, hujusmo insidiis ea petiit. Ingeniosa erat mulier Parysatis, ludiq; tesserarum perita: itaq; & ante bellum sæpe cum rege colluserat, & reconciliata post bellū gratia, non subterfugiebat eam consuetudinē: sed & lusitabat unà, & ejus amores

Scapharum supplicium.

opera sua adjuvabat atque præsentia, & omninò minimum ei tem-
poris relinquebat, quod Statiræ impenderet: quam & omnium ma-
ximè oderat, & summam ipsa potentiam affectabat. Itaque cùm
aliquando regem ociosum deprehendisset, animique relaxationem
quærentem, ut secum tesseris luderet, depositis mille Daricis num-
mis, provocavit: atque passa est eum vincere, & aurum numeravit.
Tum dolere se simulans, ulteriusque certandi cupidam, rursum uti XXV
secum luderet, deposito utrinque eunucho, rogavit. Annuit rex, ita-
que conventũ est, uti uterq; quinque quos maximè fidos haberet,
eximeret; de reliquis victor quem elegisset, eum victus exhiberet.
Ludo instituto Parysatis summo studio intenta, cùm etiam tesseræ
commodè cecidissent, vicit, & Masabaten sibi dedi jussit: (non enim
is inter eos erat, qui exempti fuerant) ac priusquàm regem suspicio
rei attingeret carnificibus eum tradidit, mandavitque ut vivo pellis
detraheretur, corpus obliquum tribus crucibus, & seorsim cutis
suffigeretur. Quod factum cùm iniquius rex ferret, eiq; irasceretur,
cavillans cum risu: Suavis, inquit, homo es & beatus, qui ob malum
senem eunuchum stomacheris: cùm ego me Daricos mille ludendo
amisisse tacita atque bono animo feram. Pœnituit regem, quod se
ita in fraudem induci passus esset: sed tamen quievit. At Statira cùm
aliis in rebus palam Parysatidi est adversata, tum id graviter mole-
Clearchi exitus. steque tulit quod eunuchos ea & homines fideles regi propter Cy- XXVI
rum ita crudeliter & injustè interimeret. Cùm verò Tisaphernes ju-
ramento interposito Clearchum & alios Græcorum duces decepis-
set, comprehensosque in compedibus ad regem misisset: narrat Cte-
sias, se à Clearcho oratũ, ut ei pectinis copiam faceret: quo cùm es-
set potitus, caputq; compsisset, delectatum officio annulum sibi de-
disse, amicitiæ ad cognatos & necessarios, quos Lacedæmone habe-
bat, tesseram, insculptas autem fuisse annulo caryatides saltantes.
Porrò missa Clearcho alimenta ab iis qui unà captivi detinebantur
militibus ei erepta atque consumpta, pauca Clearcho relinquenti-
bus: se autem ei malo remedium tulisse, & effecisse, ut plura Clear-
cho mitterentur & seorsim militibus. atque ea se in gratiam & con-
silio Parysatidis egisse. Et cùm inter cibos quotidie perna Clearcho
mitteretur, petiisse eum, ut cultellũ intra carnes abditum sibi mit-
teret, ne sibi finis vitæ is, quem crudelitas regis statuisset, expectan-
dus foret: verùm se metus causa ea in re ei non obsecutum. Præter-
ea regem matri necem Clearchi deprecanti juramento addito id
confirmasse: rursus tamen ei à Statira persuasum fuisse, ut omnes,
excepto Menone, interficeret, hanc causam insidiarum & veneficii
in Statiram Parysatidi fuisse. Quæ quidem planè est absurda narra- XXVII
tio: neque ullo modo probabile fuerit, tam atrox atque periculo-
Ctesias refutatur. sum facinus eam ob Clearchi mortem aggressam, ut regis legiti-
mam uxorem, & communes liberos spe regni educantem necaret.
Sed obscurum non est, hæc tragica figmenta propter Clearchi me-
moriam ab eo addita. Nam & reliquorum ducum interfectorum
cada-

cadavera refert à canibus & volucribus dilacerata: Clearchi corpori
procellam venti magnum terræ aggerem ingessisse, eoque obruisse:
& cùm palmæ glandes quædam ibi essent dispersæ, brevi tempore
mirabilem lucum inde enatum, locum eum obumbrasse. ita ut rex
quoq; gravi fuerit correptus pœnitentia, quod Clearchum diis charum hominem occidisset. Cæterùm Parysatis jam inde ab initio
Statiræ infensa, ejusq; æmula, cùm suam potentiam à regis erga ipsam observantia pendere, Statiræ autem gratiā amore & fidelitate
munitam esse videret, maxima de re (ut arbitrabatur) in periculum
XXVIII se misit, vitæque ejus insidias struxit. Famulam habebat fidelem,
& plurimæ apud se autoritatis, nomine Gigin: hanc Dino veneficiū
administrasse, Ctesias consciam tantum, idque invitam, fuisse tradit, idemque eum qui venenum porrexerit Belitaram, ille Melantam nominat. Cùm verò post priores offensas & simultates Parysatis & Statyra rursus convenire atq; unà cœnare cœpissent, magna
tamen cum cautione iisdem cibis, iisdemque ciborum administris
utebantur. Nascitur apud Persas avicula, in qua nihil est superflui
aut excrementi, sed omnia intus adipe sunt repleta: itaq; etiam vento ac rore ali creditur. nomē ei Rhyntaces. Hanc Ctesias ait à Parysatide cultello in duas divisam partes, cujus altera superficies veneno fuerit illita, idq; ita aviculæ pars altera deterserit: atq; eam parte pura & non vitiata sumpta, edisse; Statiræ eam, quæ veneno infecta erat, tradidisse. Dino id non Parysatidi, sed Melantæ adscribit.
Mortua est Statira inter maximos cruciatus corporis atque convulsiones: & cùm ipsa insidias deprehendit, tum in animo regis suspiciones sceleris materni excitavit, non ignorantis ferum ejus & im-
XIX placabile ingenium. Itaque statim quæstionibus institutis famulos
matris & mensæ ejus ministros tormentis excruciavit. Gigim diu
domi suæ Parysatis detinuit, neque postulanti regi dedidit: tandem cùm ipsa orasset, ut domum noctu dimitteretur, rex certior factus submissis per insidias hominibus eam deprehendit, & capitis
damnavit. Lex apud Persas est, ut sons veneficii ad latum lapidem *Veneficij pœna.*
deducatur, ei caput sontis imponitur, idque alio saxo tunditur atque premitur, dum facies & caput comminuantur. Eo supplicio
Gigis periit. Parysatidem autem rex neque verbo ullo præterea, neque facto læsit: cupientemque ire Babylonem, emisit, addens, se ipsa
vivente Babylonē non visurum. Hic status Artoxerxi rerum dome-
XXX sticarum fuit. Enimverò Græcos qui in expeditione Cyro affuerant,
in suam potestatem redigere Artoxerxes haud minus operæ precium, quàm Cyrum vincere, & regno potiri duxerat. Frustra tamē
id conatus est. nam ii amisso Cyro imperatore, suisque ducibus, ex ipsa tamen propemodum regia evaserunt: demonstraveruntque eo
facinore Persicas res nihil aliud esse, quàm auri copiā, luxum, mulieres, fastum, inanemque jactantiam. Itaq; & universa Græcia animos erexit, barbarosq; contemptui habere cœpit: & Lacedæmonii
indignam rem existimavêre, si ne nunc quidem Græcos Asiam incolentes

lentes servituti eriperent, barbarorúmve ab iis injurias defenderent. Gesserant ante bellum Thimbrone ac deinde Dercyllida ducibus: sed nihil memorabile ab iis erat gestum. Agesilao regi bellum post eos commissum est: isque classe in Asiam transvectus, statim suam efficacitatem ostendit, magnamque gloriam sibi paravit, Tisapherne acie victo, & urbibus ad defectionem à barbaro pertractis. Quæ cùm fierent, Artoxerxes animadvertens quomodo sibi XXXI
bellum esset gerendum, cum magna vi auri Hermocratem Rhodiũ in Græciam mittit, qui largitione potentissimum quenque in sua civitate corrumperet, & bellum Græcorum adversus Lacedæmonios concitaret. Ea cùm egisset Hermocrates, ac maximæ civitates conspirassent, & conturbata esset Peloponnesus, à magistratu revocatus est ex Asia Agesilaus. Feruntque eum discedentem ad amicos dixisse, triginta millibus sagittariorum se à Rege Asia pelli. nam nomismatis Persici insigne erat sagittarius. Mari quoque Lacedæmonios rex ejecit, Conone Atheniensi post Pharnabazum classis duce usus. Is Conon post navalem apud Ægos potamos pugnam in Cypro commorabatur, non quod otio contentus esset suo, sed veluti maris æstum, rerum mutationem expectans. Itaque intelligens & suis consiliis potentia & Regis opibus viro prudente opus esse, Epistolam de suis cogitationibus ad Regem misit: mandavitque tabellario ut eam potissimum opera Zezonis Cretensis saltatoris, aut Polycriti Mendæi Medici, aut si illi abessent, Ctesiæ Medici ad Regem perferri curaret. Ferunt Ctesiam Epistolæ Cononis, cùm eam accepisset, adscripsisse, uti Rex Ctesiam ad se mitteret, rebus maritimis tractandis utilem futurum. Ctesias ibi à Rege ultrò ad negotium mandatum affirmat. Enimverò Artoxerxes cùm navali apud XXXIV
Cnidum prœlio Pharnabazi & Cononis opera maritimum Lacedæmoniis eripuisset imperium, universæ Græciæ oculos in se convertit: adeò ut nobilem etiam illam pacem, quæ ab Antalcida nomen habet, inter Græcos composuerit. Antalcidas Spartanus fuit, Leontis filius, is in gratiam regis effecit, ut Lacedæmonii omnes Græcas in Asia urbes, omnesque Asiæ finitimas insulas regem stipendiarios sibi possidere permitterent, pace inter Græcos constituta, siquidem ignominiam Græciæ & proditionem par est pacem appellari: cujus finis ita turpis est, ut turpior nullus unquam bello victus sit consecutus. Propterea quidem Artoxerxes, cùm semper omnes Spartanos abominaretur, eosque (ut ait Dinon) omnium hominum impudentissimos judicaret, Antalcidam in Persiam profectum summo est amore complexus: & quodam tempore sertum quoddam florum in preciosissimum intingens unguentum, ei à cœna misit, admirantibus omnibus tantam Regis in eum benevolentiam. Erat nimi- XXXIII
rum Antalcidas is, qui ludibrio Persis esse non recusaret, ideoque coronam eam mereretur, saltans apud eos Leonidam & Callicratidam. Agesilaus quidem fertur ei qui diceret: Proh res Græciæ quo recidistis, cùm jam Lacedæmonii Medizent! respondisse: Imò autem

Pax Antalcidica.

Medi magis Lacedæmonizant. Verùm hujus dicti subtilitas rei turpitudinem non sustulit: nam & sinistra pugna facta principatum Græciæ apud Leuctra amiserunt Spartani, & gloria Spartæ insuper ista pacificatione perdita est. Etenim quamdiu primum locum Spartani tenuerunt, hospitem amicumque suum Artoxerxem nominaverunt. Postquàm vero apud Leuctra victi sunt, fractis rebus, pecuniæque indigi Agesilaum in Ægyptum miserunt, & Antalcidas ad Artoxerxem profectus est oratum, ut is Lacedæmoniis opitularetur. Rex ita eum sprevit, ita neglexit, ita projecit, ut domum revertens, ludibrio ab inimicis habitus, ephorosque metuens vita se abdicârit. Ismenias quoque Thebanus, & Pelopidas, qui victoriam ad Leuctra recens paraverat, ad regem profecti sunt. quorum hic quidem nihil in se inhonestum admisit: Ismenias adorare jussus, annulum ante se in terram projecit, inclinansque se eum sustulit, itaque speciem adorantis præbuit. Cùm Timagoras Atheniensis arcanas literas per Beluridem scribam ad regem misisset, delectatus rex decem Daricorum millibus donavit eum, indigentique lacte vaccarum propter valetudinem, octoginta vaccas præbuit, quę mulgendi causa sequerentur. Culcitram etiam vestem stragulam, & stratores (quasi Græci sternendi essent imperiti) misit, & alios, qui eum morbo languentem ad mare usque gestarent. Præsenti etiam cœna lautissima est missa: ita ut regis quoque frater Ostanes dixerit: O Timagora, memor esto hujus mensæ: non enim levis rei gratia ita splendidè adornata tibi apponitur. erat hoc magis exprobratio proditionis, quàm beneficii commemoratio. De Timagora quidem donorum acceptorum reo Athenienses capitale sumpserunt supplicium. Cæterùm Artoxerxes cum multis rebus Græcos læsisset, eo uno lætitiam eis obtulit, quod Thisaphernem acerrimum eorum hostem necavit: necavit autem Parysatide etiam calumnias adversus eum delatas augente. Etenim non diu in ira sua adversus matrem perseveravit rex: sed redintegrata gratia eam ad se vocavit, quod & animo regio præditam sentiret, & nihil causæ videbatur restare, quod eorum consuetudinem offensurum esset. Proinde Parysatis omnes suas actiones ad voluntatem regis accommodando, nulla in re ejus arbitrio refragando id consecuta, ut quidquid vellet, ab eo impetraret: deprehendit eum alteram filiarum, Atossam nomine, deperire, eumque affectum propter matrem præcipuè occultare & premere, ut quidam dicunt, quanquam jam cum ea clam esset congressus. Itaque Parysatis ut semel suspectam habere cœpit puellã familiarius quàm ante eam amplexa est: formaque ejus apud regem & moribus, ut regiis collaudatis, ei persuasit, ut filiam Atossam in matrimonium duceret, locoque legitimæ conjugis haberet, legibus & institutis Græcorum valere jussis: quippe regem Persis divinitus legis loco, censoremque honestorum & turpium esse constitutum. Quidam, & inter hos Heraclides Cumæus, non hanc modò filiam, sed alteram quoque Amestrin (de qua paulò post referam)

Græci ad Regem legati.

Tissaphernis interitus.

feram) patri nupsisse affirmant. Atossam quidem conjugem ita dilexerit pater, ut cùm vitiligo ejus corpus depasceretur, nihil ipse ejus morbi causa eam fastidierit, & cùm pro ipsa Iunoni votum faceret, solam eam deam genibus flexis adorarit: tantumque donorum jussu ejus amici & satrapæ ei deę miserint, ut sedecim stadia, quę inter fanum sunt & regiam, auro, argento, purpura equisque replerentur. Bellum Ægyptiis Pharnabazo & Iphicrate ducibus intulit: sed ducum dissensio conatum ejus irritum fecit. In Cadusios ipse exercitum ducit, CCC. millibus peditum, & decem equitum millibus constantem. XXXVII Imprudens autem in maximas sese angustias & pericula conjecit, in regionem profectus asperam, & nebulosam, & quæ nullam sementem ferret: piris modò, malis, aliisque id genus arborum fructibus homines feroces bellicososque enutriret. nihil enim ciborum neque ibi inveniebat, neque aliunde advehere poterat: jumenta modò mactabantur, ita ut asini caput LX. drachmis emi vix posset, cœna regia intermitteretur, paucique adhuc equi restarent, reliquis consumptis in cibos. Ibi Tiribazus, qui vir sæpe ob levitatem abjectus fuerat, ac tum quoque spretus neglectusque erat, regem exercitumque servavit. Duo erant Cadusiis reges, iique seorsim castra habebant. XXXVIII Re cum Artoxerxe communicata, Tiribazus ad alterum regem profectus est, misso occultè ad alterum filio suo. Vtrunque autem decipiebat, indicans alterum ad Artoxerxem missis legatis sibi tantum, collega omisso, pacem societatemq; cum eo quærere: itaque si saperet, operam daret, ut ipse prior Artoxerxem conveniret: se ei in conficiendo negocio adfuturum. Hoc modo persuasum utrique regum est, ut alter alterum sibi invidere pacificationem putantes, legatos alter cum Tiribazo, alter cum filio ejus ad Artoxerxem mitterent. Cùm in eo negocio aliquid moræ interveniret, calumniæ de Tiribazo sunt ad regem allatæ, suspicionesque insinuaverunt sinistræ: & angebatur animo rex, pœnitebatque eum, quod Tiribazo fidem habuisset, æmulorumque ejus calumniis aures præbebat. Verùm ubi is & filius unà cum regum legatis advenerunt, paxque est cum utroque & fœdus initum: ibi tum magni nominis splendidusq; Tiribazus cum rege castra movit. Demonstravit eo tempore Artoxerxes molliciē & timiditatem non (quod plerique putant) à luxu & magnifico apparatu proficisci; sed ab ingenio pravo abjectoque & malis opinionibus addicto nasci. XXXIX Nam neque aurum, neque candys, neq; ornatus corporis, quem rex duodecim millibus talentorum æstimatum assiduè gestat, prohibuit, quin laboraret, omnesque ut quisquam de vulgo molestias subiret. Sed & pharetra accinctus, & peltam gestans, relicto equo primus omniũ itinera montana atq; acclivia faciebat: ita ut reliqui etiam alacritatem ejus & robur spectantes, eò leviores expeditioresque fierent. Quotidie ducenta stadia, eoque etiam amplius conficiebat. Cùm ad XL diversorium regium pervenisset, cinctum hortis elegantissimis, mirabi-

Bellum Cadusiis infert.

Tiribazi stratagema.

rabiliterque ornatis, circumjacente spacio arboribus vacuo, frigus autem esset: liberum militibus fecit, ut paradisi ejus arboribus succisis lignarentur, ac neque cupressibus neque laricibus parcerent: cùmque non auderent ob arborum pulcritudinem & magnitudinē, ipse arrepta securi arborum maximam atque pulcerrimam succidit. ita lignati milites, multis editis ignibus noctem eam commodè exegerunt. Multis ac bonis amissis viris, & equis propè omnibus domum rediit: seque propter infelicem expeditionis successum à suis contemni putans, suspectos habuit primores, & multos iratus occidit: plures quod ab iis sibi metuebat. Nam timiditas tyrannorum, maxima est causa cædium: fiducia sui placidos eos & mansuetos & à suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque eæ, quæ à cicurratione sunt alienissimæ, timidæ sunt, & omni strepitu terrentur: generosæ autem non aspernantur hujusmodi blandam tractationem, quia propter fiduciam sui facilius aliis se committunt.

XLI Iam provectus ætate Artoxerxes, animadvertit filios suos de regno apud amicos & proceres disceptare. Nam qui ingenio erant moderato, iis cōsultum videbatur, ut quemadmodum Artoxerxes regnum accepisset, ita etiam successorem haberet Darium, filiorum natu maximū. Ochus autem, minimus natu inter filios Regis, ingenio acri atque vehementi præditus, tametsi in aula Regis haud paucos sui studiosos habebat, maximè tamen se patrem in suam sententiam pertractum iri sperebat opera Atossæ; eam enim colebat ac demerebatur, veluti uxorem sibi futuram & regnaturam secum post patris mortem. ferebatur etiam vivente adhuc Artoxerxe rem cum ea habere: sed id patrem latuit. Artoxerxes autem, ut de spe sua Ochum deduceret, ne idem quod Cyrus aliquando conaretur, regnumque novis bellis & contentionibus implicaret, Darium annos natum quinquaginta Regem pronuntiavit, utq; citharin erectam gestaret, concessit. *Ochus regni inhiat.* *Darius Rex creatur.*

XLII Mos fuit Persis ut rex creatus ab eo qui eum regē constituit munus aliquod petat & id si omninò fieri potest accipiat. Itaq; Darius Aspasiam postulavit, quæ olim unicè à Cyro dilecta, tum pellex regis erat; Phocæa Ioniæ urbe orundia liberis nata parētibus, & liberaliter educata. Ea cùm aliquando unà cum aliis mulieribus ad Cyrum cœnantē esset adducta, reliquis assidentibus, lususq; ejus & jocos & blādicias haud illibenter accipientibus, sola ad lectum tacita adstitit, Cyroque vocante, non obtemperavit: cùmque eam cubicularii adducere conarentur: Ejulabit, inquit, quisquis horum manus mihi injiciet. Ob id plerisque eam inurbanam & rusticam judicantibus Cyrus delectatus gestibus ejus risit, & ei qui mulieres adduxerat: Vide? inquit, te hanc solam liberam & incorruptam mihi adduxisse? atque exinde eam præ omnibus charam habuit, sapientemque appellavit. *Aspasia.*

XLIII Capta est Cyro occiso, cùm diriperentur castra. Eam tum Darius poscens, offendit graviter patrem. Barbari enim acerrimi sunt in suspicionibus amatoriis: ut non modò qui attigerit pellice regis, sed etiā qui in itinere currum quo vehuntur obvius impulerit, morte ple-

te plectatur. Et quidem Atossam rex amore ejus motus contra leges uxorem duxerat: pellices autem eximia pulchritudine alebat CCCLX. Aspasiam ergo liberam esse dixit: & si ipsa annueret, accipere filium jussit, invitam cogi non debere. Accita Aspasia præter spem Regis Darium elegit, eique data est, lege ita cogente paulò pòst rursum adempta: nam eam Rex Dianæ, quę Ecbatanis colitur, & Anitis dicitur, sacerdotem constituit, ut reliquum vitæ tempus casta exigeret. Existimabat autem non graviter se, verùm moderatè & quasi per jocum ultum esse filium. Darius autem nequaquam mediocriter id tulit, sive amore Aspasiæ incensus, sive derisum se & ludibrio habitum à patre existimans. Ita eum affectum sentiens XLIV
Tiribazus, stimulos addit, suum sub alieno agens negotium. Etenim Rex cùm haberet filias multas, promiserat se Pharnabazo Apamam, Rhodogunam Oronti, Tiribazo Amistrin nuptum daturum: & cùm cæteris fidem servasset, Amistrin ipse ducens, Tiribazo Atossam natu omnium minimam desponderat: sed & hanc amore (uti demonstravimus) captus ipse duxerat, eoque facto Tiribazum planè infensum sibi reddiderat. Erat is homo ingenii aliàs etiam parum constantis, animique varii & præcipitis, & modò propter res prosperè administratas inter primos habitus, modò offendens atque abjectus, nullam mutationem rectè ferebat: sed & in honore cùm haberetur, molestus omnibus erat sua futilitate, & cùm deprimeretur, nequaquam cedebat aut quiescebat, sed asperè se & quadam cum ferocia efferebat. Is ergo Tiribazus ignis quasi igni additus, identidem Darium urgebat. Nihil prodesse erectam in capite cidarin inculcans ei, qui non rebus ipsis erigere sese conaretur, sed cùm videret patris tam inconstans esse & stupidum ingenium, tamen certam sibi regni successionem esse crederet. nam qui Græcæ mulierculæ causa sanctissimæ Persarum legi fraudem fecerit, nequaquam ei fidem habendam esse, quod de maximis rebus pacta sit rata servaturus. neq; verò eandem conditionem Ocho, si regno excidat, & Dario, si id amittat, propositam esse. quippe nihil impedire, quin ille privatus vivat: Dario, quia rex sit designatus, aut regnandum aut ne vivendum quidem esse. Verùm quidem omninò & ubique XLV
est illud Sophocleum,

Insidiæ in Artoxerxem

Monitis malis præstò est obedientia.

Etenim lævis & proclivis est via ad id quod volumus: plerique autem ob ignorationem & imperitiam rerum bonarum, pessima volunt. Sed tamen magnitudo regni, & metus ab Ocho Darii, materiam agendi Tiribazo præbuerunt: neque extra omnem culpam est Aspasiæ ereptæ injuria. Ergo Darius Tiribazo se & rem totam committit. Cùm jam multi se conspirationi socios adjunxissent, eunuchus quidam insidias regi detegit, cui compertum erat, quod statuissent, noctu in cubiculum ejus intrare, & jacentem trucidare. Re- XLVI
gi & delationem istam negligere, ac tantum malum non præcavere periculosum videbatur: & fidem adhibere non explorata re, gravius.

Itaque

Itaque sic agit. Eunuchum, qui indicium detulerat, adesse illis jubet, & comitem se præbere: ipse parietem post lectum suum perfodit, ostiumque in eo fabricatur, idque aulæo occultat. Cùm hora insidiarum appetiisset, essetque ab eunucho indicata, in lecto mansit: neq; prius inde surrexit, quàm ad cædem perpetrandam venientium facies singulorum contuitus est, & planè unumquemque eorum agnovit, ut jam stringere gladios, & adversum se tendere conspexit, celeriter aulæo arrepto per ostium in conclave interius se proripuit, ostioque obdito clamorem sustulit. Ita percussores à rege visi, nulla re gesta fuga se per fores proripuerunt, Tiribazumque & qui cum eo erant, ut jam compertos insidiarum, ad fugam hortati sunt. Reliquis fuga dispersis Tiribazus comprehensus multos de regiis stipatoribus occidit, ac vix tandem jaculo eminus ictus ce-
XL cidit. Darium cum liberis adductum rex judicandum consiliariis
VII regiis dedit, absens ipse: mandavit autem, ut singulorum sententias perscriptas ad se minister deferret. Omnium suffragiis damnatus, capitalique supplicio addictus, à lictoribus in propinquum carcerem est abductus. Carnifex accitus, manu tenens novaculam, qua damnatorum capita abscindi solent, ut vidit Darium, perterritus recessit, ad fores respiciens, ut qui regi afferre manus non auderet, foris autem judicibus minaciter ut mandata exequeretur jubentibus, reversus intrò, altera manu comam apprehendit, cervicemque depressam novacula abscidit. Quidam judicium in præsentia regis factum affirmant, & Darium criminis convictum in faciem procidisse, suppliciterque deprecatum: regem autem iræ impotentem surrexisse, strictoque acinace eum multis vulneribus confecisse: deinde in aulam progressum, solem adorasse, ac dixisse: Ite Persæ, ite læti, aliisq; indicate, magnum Oromazem ab iis qui impium & nefarium conati sunt facinus, pœnas cepisse. Hunc exitum paratæ Ar-
XL toxerxi insidiæ habuerunt. Cæterùm Ochum Atossa ad spem am-
VIII plissimam erexerat. metuebat tamen adhuc fratres, genuinum Ariaspem, qui unus supererat, & de nothis Arsamen. horum ille, non eo quod ætate Ochum anteibat, sed propter benignitatem, simplicitatem, & humanitatem, regnum videbatur in Persas obtenturus: Arsames & prudens videbatur, & eum maximè à patre diligi non fallebat Ochum. Igitur homo dolosus juxta & sanguinarius, utriusque vitæ insidians, crudelitate sua adversus Arsamen, versutia contra Ariaspen usus est. Nam ad hunc eunuchos & amicos regios submisit, qui semper ad eum minas & terribiles sermones afferrent: decrevisse scilicet regem ei crudelem & turpem mortē inferre. Ii cùm quotidie hæc velut arcana se ei referre simularent, & alia jamjam agere, alia mox acturum regem dicerent, eo pavoris hominem adduxere, atque anxietatis, ut lethali veneno apparato & hausto mor-
XL tem sibi consciverit. Rex genere mortis cognito, filium quidem lu-
IX xit: quis autem causam morti præbuisset, etsi suspicabatur, inquirere tamen & certò comperire per senectutem non valens, eo arctius

Arsamen est amplexus, neque obscurè tulit, omnia se ei credere & liberè communicare. Itaque Ochus nequaquam cunctandum sibi ratus, Harpate Tiribazi filio submisso Arsamen de medio sustulit. Adeò tum decrepitus erat Artoxerxes, ut minimo ad mortem videretur indigere momento. itaque allato ei de Arsamis interitu nuncio, sustinere non potuit, sed statim mœrore extinctus est. Vixit annos xcv. regnavit LXII. judicatus est clemens esse, & subditorum amans, quam opinionem maximè confirmavit Ochus, crudelitate & parricidiis omnibus superior.

INTERPRETIS ANNOTATIONES in Artoxerxem.

Artoxerxis ætas bello Peloponnesiaco respondet. Ferè enim eodem tempore regnum occœpit, quo Athenæ sunt à Lysandro dirutæ. Olympiade nimirum XCV. *quo maximè tempore Veij sunt obsessi primùm, & decimo post anno à Camillo expugnati.*

Cap. 1. Artoxerxes ante Arsicas.) *Apud Diodorum Siculum libro decimoquarto, & apud Xenophontem περὶ ἀναβάσεως κύρου, Artaxerxes legitur constanter, ut hîc per o, post t, Artoxerxes. sed id non multum refert, & per o, etiam in Ctesiæ epitomis legitur, nuper à doctissimo homine Henrico Stephano editis. Quod autem hic nomen regis* Arsicas *legitur, mutare ausus non sum: quanquam in Ctesianæ epitoma libri deciminoni ἀρσάκης,* Arsaces *legatur. hoc autem nomen est, quàm alterum, notius, & regibus Parthorum omnibus fuit commune, ut Ptolemæi Ægyptiorum.*

Cap. 4. Omisus.) *Amiotus* Romises: *Lapus* pauperem *vertit. forte aliud uterque legit. quàm ego.* Mithras *Persarum deus, Sol est Latinis: malui tamen vocem propriam relinquere. Sicut &* candyn, *vestis regiæ apud Persas genus, & similia.*

Cap. 5. Ostacem & Oxabem) *Aut hîc, aut initio libri hujus mendosè sunt nomina posita. Superiora tamen magis probo: quod & alibi habentur ista in Persis nomina.*

Cap. 7. Ad fabulas.) *πρὸς τὸ θυμώδες legitur, nimirum literis transpositis: cum nemo non videat sensum loci requirere μυθῶδες.*

Cap. 15. Regis speculator.) *ad verbum est:* regis oculus. *Qui vult, potest legere Scholiasten Aristophanis in Acharnenses comœdiam non ita longè ab initio. Diligenter enim, etiam ex Aristotelis libro de republica tertio, rem explicat.*

Cap. 17. Ipsi cadavera.) *αὐτῷ. Locus est ambiguus & obscurus. Nam neque satis liquet, de Cyrine an regis exercitu perierint, qui hic numerantur: & quo illud αὐτῷ pertineat, non constat. ego ad Ctesiam potius retulerim. Minimè quidem Lapo assentior, qui alterum numerum ad Cyrianos, alterum ad regios retulit. Diodorus Siculus, de regis exercitu plures* XV. *millibus, de Cyri autem circiter tria millia cecidisse refert.*

Cap.

Cap. 24. Masabates.) *Paulo post legitur μισαβάτης. In reliquiis Ctesiæ (ex eo suspicor Plutarchum hæc transcripsisse) βαγαβάτης legitur*, Bagabates.

Cap. 26. Pectinis copiam faceret.) *Hæc ridiculè a Lapo ad deprecationem famis sunt detorta: cùm & perspicua sint verba, & eo commemoret Plutarchus, ut Ctesiæ futilitatem demonstret. Sed talia multa hic & alibi Lapus admisit: ut supra de Care τῶν ὑπὲρ αὐτὸν ἀντιποιεῖσθαι verterat*, in superiores se efferre, *& multa alia.*

Ibid. Caryatides.) *καρυατίζειν genus est saltandi a Castore & Polluce Lacedæmoniis traditum Caris Laconicæ oppido. Vide Lucianum περὶ ὀρχήσεως.*

Nomine Gigin.) *In Ctesianis eclogis est γίγγη*, Ginge, *& alibi ῥυνδάκη*, Rhyndace.

Cap. 31. Gesserant ante bellum Thimbron.) *Vide Xenophontem libro tertio rerum Græcarum, & Diodorum Siculum lib. 14. & Plutarchum in Agesilao, Probum, & alios.*

Cap. 33. Saltans apud eos Leonidam & Callicratidam.) *Ita est in Græco, ut verti. Si verba rectè habent, quod non puto, meo arbitratu sensus est, meruisse eum coronam istam adulandis Persis, & se eorum arbitrio accommodando. & videtur illud ὀρχησάμενος alio sensu καθ' ὑπόνοιαν dictum. q. d. ridiculos eum ostendisse priores Spartanos, graves illos & tetricos: quales fuerunt Leonidas, & alij prisci, qui quidvis potius fecissent, quam ut regem barbarum adulati essent. Leonidam aliquem in Persia egisse, non nemini. De Callicratidæ magnanimitate, ac quàm is iniquè fastum barbaricum tulerit, est apud Xenophontem lib. 1. ἑλληνικῶν, & apud nostrum in Lysandro. Mox in Græco ἀνταλκίδαν vitiosè legi pro ἀρτοξέρξην judicabam. nam Antalcidæ tribui ξένου & φίλου nomen, quippe civi, à Spartanis non potuit.*

Cap. 34. Stratores.) *Vide quæ de his in Pelopida annotavi, ubi eadem historia adducitur.*

Cap. 37. Bellum Ægyptiis.) *Describitur tota res eleganter à Diodoro Siculo lib. 25.*

Cap. 44. Rhodogunam Oronti.) *In Græco male est ὀρόίτῃ, quod Lapo imposuit. Patet cùm aliunde, tum ex Diodori 16. & notum est dictum hujus Orontis de aulicis, cum gratia regis & soceri excidisset.*

Cap. 47. Oromazem.) *ὀρομάζης, seu ὠρόμαζος (ut ἀρταβάζης & ἀρτάβαζος, & id genus alia) deus est Persarum: is quem nos Solem vocamus. Evidens est hoc cùm aliis ex autoribus, tum ex libro Plutarch. de Iside & Osiride. & quidem ὦρος à sole annus dicebatur: quod non solum Grammatici testantur, sed & versus extat* ὧρος.
Euphorionis de Laodice & Acamante Thesei filio.

ἣ οἱ μουνίτον ἦκα τέκε πλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ

Id propter Lapum annoto, qui cùm hoc non animadverteret, perperam ad Regem transtulit.

PLUTARCHI ARATUS, GUILIELMO XYLANdro Augustano, interprete.

ANTIQUUM quoddam, Polycrates, proverbium videtur mihi Chrysippus philosophus, ne ejus invisa plerisque sententia aures offenderentur, non ita ut erat, sed ut commodius ipsi videbatur protulisse: 1

Anne suum laudet patrem, nisi prospera proles?

Parœmia explicatio. Quem redarguens Dionysodorus Trœzenius, verum adagium ipse exponit, cujus hic est sensus:

Anne suum laudet patrem, nisi non bona proles?

aitq; eorum ora hoc dicterio obthurari, qui cùm ipsi per se nullius sint precii, majorum suorum in laudes subrepant, in iisq; prædicandis sint nimii. Enimverò cui generosa indoles à majoribus (ut ait Pindarus) innata est, ut tibi: ei, si ad pulcerrimum exemplum domesticorum vitam suam componere instituerit, in felicitatis parte ponendum est, si majorum suorum, qui virtute aliis antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuò aliquid de iis vel audiat, vel loquatur. non enim propriorum bonorum penuria suam existimationem ab aliorum gloria ille suspendit: sed majorum suorum virtutibus suas actiones annectens, ut generis, ita etiam vitæ factorumq; suorum autores & duces eos prædicat. Itaq; & ego Arati, civis tui, & progenitoris, quem neq; gloria tua, neque potentia dedecoras, vitam à me conscriptam ad te mitto. non quod nesciam, jampridem omnes tibi ejus viri actiones accuratissimè cognitas: sed ut filii tui Polycrates & Pythocles domesticis exemplis innutriantur, ea cùm legentes tum audientes, quæ ipsos imitari convenit. Sui ipsius enim nimium admiratorem, non honestatis studiosum judico eum, qui seipsum ubiq; optimum ac præstantissimum judicet. Sicyoniorum II
civitas, cùm primum mera illa & Dorica optimorum in Repu. dominatio tanquam concinnitate suorum dissipata, in seditiones & contentiones popularium oratorum incidit, perpetuis tumultibus agitata laboravit, aliumque post alium subinde tyrannum pertulit: donec Cleone occiso, ad Timoclidam & Cliniam, viros præcipuè nobiles, & inter cives potentia primos ab ipsa civitate summa rerum est delata. Cùm jam constituta nonnihil videretur resp. Timoclitas moritur: Abantidas autem Pasei filius tyrannidem affectans, Cliniam occidit, ejusq; amicos & necessarios partim necat, partim urbe pellit. Filium quoq; Cliniæ Aratum septennem puerum ad cædem quærebat: sed is in domestico tumultu unà cum reliquis profugerat, inq; urbe oberrans metus plenus & auxilio destitutus forte fortuna insciis omnibus in domum Sosûs pervenerat, quæ soror Abantidæ, Prophanto Cliniæ fratri uxor erat. ea ut erat generosæ indolis mulier, divinitus ad se delatum puerum existimans, domi occultatum, noctu Argos emisit. Ita furtim neci periculoque sub-

Resp. Sicyoniorum.

tractus

tractus Aratus, jam tum grave illud & fervens in tyrannos odium,
III quod paulatim accrevit deinde, concepit. Liberaliter educatus Argis apud hospites amicosque paternos, cùm bonam corporis sui affectionem vigere, & ad magnitudinem adolescere sentiret, exercitationi palæstricæ se tradidit: & quidem certavit etiam quinquertio, ac coronam meruit. Sanè etiam in statuis ejus athleticum quiddam apparet: vultusque regius & prudentiam præ se ferens non omninò tamen voracitatis athleticæ & ligonis videtur usum negare. Eo factum est, ut parcius fortassis quàm viro repub. versaturo conveniat, artes dicendi coluerit. quanquam cultior quidem fuerit, quam quidam putaverunt, ex commentariis ejus judicium facientes: quos ille obiter & raptim inter agendum quibuscumque obviis
IV vocabulis conscripsit. Aliquando post tempore Dinias & Aristoteles dialecticus Abantidam, qui eorum disputationibus atque commentationibus in foro interesse, unàque disputare solebat, in eam consuetudinem pertractum, compositis insidiis necaverunt. Paseam quoque Abantidæ patrem, cùm is tyrannidem excepisset, Nicocles per dolum interfecit, & se tyrannum Sicyoniorum constituit. Hunc Nicoclem forma simillimum fuisse Periandro Cypseli filio perhibent, ut Orontem quoque Persam Alcmæoni Amphiarai filio & Hectori Lacedæmonium quendam adolescentem: quem Myrsilus narrat cùm id vulgus rescivisset: à spectatum venientium turba conculcatum periisse. Quartum jam mensem tyrannidem Nicocles gerebat, quo tempore multa urbi maleficia intulit, parumque abfuit, quin eam Ætolorum fraude amitteret, cùm Aratus jam adolescens ob nobilitatem generis animique magnitudinem, quæ nequaquam ociosa aut vilis, sed gravis, prudentiaque etiam præter ætatem munita apparebat, cœpit in magna esse autoritate. Itaque & exules Sicyonii maxime ei animum advertebant: & Nicocles nequaquam ea quæ gerebantur negligebat, sed conatus ejus occultè spectabat atque observabat: nihil quidem tale ausurum, aut tam periculosum facinus aggressurum, sed colloquia eum cum regibus, quos amicos
V habebat hospitesque paternos, agitare suspicans. Et verò ea via aggredi rem Aratus instituerat. Sed cùm & Antigonus multa pollicitus occasionem temporis, remque totam negligeret, & Ptolemæus Ægyptusque, unde spei aliquid erat, longius abessent: statuit per sese tyrannum evertere. Primis Aristomacho & Ecdelo animi sui sententiam exposuit. Aristomachus Sicyonius exul erat: Ecdelus Arcas Megalopoli oriundus, philosophus, rebusque agendis aptus homo, qui in urbe Archesilaum Academicum audierat. Cùm alacriter institutum probassent, rem cum reliquis etiam exulibus communicat. Pauci horum, pudore deferendi tanti conatus moti, socios se facinori præbuerunt: plerique etiam conati sunt inhibere Aratum, quasi imperitia rerum ferocientem. Cùm deliberaret de loco aliquo Sicyoniæ occupando, quo belli adversus tyrannum gerendi receptaculo uteretur, commodum Argos venit Sicyonius qui-

dam è carcere elapsus, Xenoclis frater, unius de exulibus. Is à fratre ad Aratum adductus retulit, muri partem, qua ipse evasisset, intus propemodum planam esse locis saxosis & sublimibus contiguã: foris eam esse altitudinem, ad quam scalis evadere liceat. Id cùm VI audivisset Aratus, cum Xenocle duos suorum famulorum mittit Seutham & Thenonem, qui murum contemplarentur. statuerat enim, si qua ratione id fieri posset occultè & semel potius totam rem in discrimen mittere, quàm privatus ipse contra tyrannum longo bello, & apertis certaminibus contendere. Reversus cum famulis Arati Xenocles, mensuram muri attulit, indicavitque loci naturam eam esse, ut conscendi haud summa cum difficultate possit: magni autem esse laboris eò accedere propter hortulani cujusdam canes, parvos quidem, sed oppidò acres & implacabiles. Proinde statim negocium aggressus est Aratus. Arma ut facilè pararet, consuetudo efficiebat: cùm ferè omnes tum homines furtis & incursionibus mutuò infestarentur. Scalas Euphranor faber machinarum ipse quoque Sicyonius exul, palam construxit, suspicionem artis professione ambiente. Viros amici Argivi singuli de paucis denos præbuerunt: ipse de suis famulis triginta armavit: mercede etiam opera Xenophili prædatorum ducis milites non ita multos conduxit, apud quos rumorem sparserat, in Sicyoniam se ducturum equarum regiarum abducendarum gratia. Plerique alii post alios VII ad Polygnoti turrim præmissi sunt, ibique jussi expectare. Præmissus etiam est Caphesias expeditus cum quatuor aliis, qui se viatores simularent, & sub noctem ad hortulanum intrarent, ibique pernoctantes, ipsum & canes occluderent. nam alioqui aditus non dabatur. Scalas autem, ut erant dissolubiles, in modios frumentarios imposuerunt, itaque occultatos carris provexerunt. Interim conspectis quibusdam Nicoclis exploratoribus Argis, qui clam circuміre & observare Aratum ferebantur: interdiu in publicum progressus Aratus se ostentavit, inque foro cum amicis commoratus est. unctus deinde in gymnasio, ex palæstra secum abduxit domum adolescentes quosdam, secum bibere & genio indulgere solitos, paulò post in foro visi sunt famuli ejus, alius coronas ferens, alius faces emens, alius cum mulierculis quæ psallere & fistula canere in convivio solent, colloquens. Hæc omnia exploratores cùm cernerent, decepti sunt, atque unus alteri non sine multo risu: Nimirum, ajebant, nihil timidius est tyranno, quando Nicocles etiam tantam urbẽ possidens, tantasq; copias, sibi ab adolescente metuit, viatica sui exilii in voluptates & convivia diurna insumente, atque ita decepti, discesserunt. Statim à prandio Aratus Argis profe- VIII ctus, ad milites juxta turrim Polygnoti venit: indeque Nemeam duxit. ibi consilium suum universis aperuit: eosque adhortationibus & pollicitationibus cùm confirmasset, tesseram dedit Apollinẽ propicium, ac versus Sicyonẽ duxit. ad motus autem lunaris rationem sui itineris accelerationem accommodavit: ita ut lumine Lunæ

Stratagema Arati.

ad iter

ad inter faciendum uteretur, luna jam occidente ad hortum haud procul muro esset. Ibi ei occurrit Caphesias, occlusum quidem à se hortulanum indicans, canes autem prosiluisse, neque comprehendi potuisse. Cùm animis plerique caderent, & retro abducere juberent, bono eos animo esse Aratus jussit, abducturumque, si nimis importuni forent canes, promisit. Simul eos qui scalas gestabant, præmisit, Ecdelo ac Mnasitheo ducibus: ipse lento gradu subsecutus est, canibus acriter latrantibus, & juxta Ecdelum una cursitantibus. Is tamen cum suis & pervenit ad murū, & scalæ tutò admotæ sunt. Primis murum conscendentibus matutinarum excubiarum magister, signum abeundi tintinnabulo edidit. ibi cùm multæ faces gestarentur, custodesq; murum pervadentes tumultum darent: isti ibi in scalis subsidentes facilè eos latuerunt. cùm verò alii excubitores prioribus obvii venirent, summo in periculo fuerunt. Eo etiam evitato, primi in murum Mnasitheus & Ecdelus evaserunt: & occupato utrinque muri aditu, Technonem ad Aratum miserunt, propeIX rare jubentes. Ab horto ad murum & turrim non magnum erat spacium, qua in turri magnus canis venaticus excubabat. Is muros occupantium strepitum non senserat, sive natura hebes, sive interdiu defatigatus: ab hortulani autem canibus infernè latrantibus excitatus, initiò obscuro latratu responderat: mox appropinquantibus illis, latratum intendebat, jamque totus ille locus latratu canum resonabat, adeo ut ab altera parte vigil magna voce venatorē percontatus sit: Cur nam ita vehementer canis latraret, & an aliquid insolens accidisset. respondit venator: Nihil esse periculi: canem lumine vigilum, & tintinnabuli sonitu esse irritatum. Id maximè Arati milites confirmavit, existimantes venatorem socium facinoris dedita opera rem occultare, & multos quoque alios in urbe negotii conscios atque auxiliarios esse. Cùm ad murum omnes pervenissent, longus erat & periculosus labor, quod scalæ, nisi unus post alium adscenderet, concutiebantur: tempus autem moram non ferebat, jam gallis canentibus, & appropinquantibus iis, qui in forum ex agris res venales portabant. Itaque festinans Aratus, cùm ante ipsum XL. tantum adscendissent, ipse quoque in murum evasit: paucisque adhuc assumptis, ad domum tyranni, & prætorium contendit, ubi noctem mercenarii milites agebant. Hos subitò superveniens omnes comprehendit, occidit neminem: statimque ad amicos dimi- *Sicyone potitur Aratus.*
X sit, qui singulos ad se vocarent. Facto undique concursu, dies illuxit: eratque turbæ plenum theatrum, animis omnium ob incertum adhuc rumorem suspensis, & eorum quæ agebantur ignaris. donec præco in medium progressus edixit, Aratum Cliniæ filium cives ad libertatem vocare. Tum demum credentes ea adesse, quæ jampridē expectarant, confertim ad tyranni ædes accurrerunt, ignem injicientes. edita autem est ingens flamma, & Corinthi usque luxit domus incendium: ita ut qui Corinthi erant mirati quidnam hoc rei esset, parum abfuerit quin ad auxilium ferendum accurrerent. Nicocles

per quosdam cuniculos ex urbe effugit: milites autem & cives ex-
tincto incendio domum diripuerunt: non hoc modò Arato conce-
dente, sed & reliquam tyrannorum pecuniam civibus in medium
proponente. Nemo omnium vel occisus est, vel vulneratus, neq; A-
ratianorum, neque hostiũ. sed id facinus fortuna ab omni civili san-
guine purum servavit. Reduxit exules, qui à Necocle pulsi fuerant, XI
LXXX. qui a prioribus tyrannis, haud pauciores quingentis. quin diu
multumque, nonnulli etiam per L. annos vagati fuerant. Pleriq; au-
tem cùm rediissent pauperes, bona ea, quæ olim possederant, inva-
debant, inq; summas Aratum difficultates conjiciebant. Videbat e-
nim urbi extrinsecus ab Antigono periculum impendere, libertati
ejus invidente atq; insidiante: intus autem turbis eam & seditioni-
bus agitari. Itaque quod in præsentia factu optimum videbatur A-
chæorũ eam civitati adjunxit: & Sicyonii, cùm essent Dorienses, ul-
trò in nomen & remp. Achæorum se insinuarunt. Sanè neque auto-
ritas magna, neq; potentia eo tempore Achæorum erat. nam & ple-
ræque eorum urbes paucis civibus frequentabantur, neq; bonum a-
grum possidebant ad mare habitantes importuosum, & quod ple-
runq; apud scopulos præruptos terram attingeret. Verùm hi maxi-
mè tum demonstrarunt Græcorum vires inexpugnabiles esse, quo-
ties unanimi ordine ii componantur atq; tegantur, & cordatum ha-
beant ducem. Quippe cùm ne minima quidem esset portio ejus
quod olim in Græcia viguit roboris. & nunc viribus suis omnibus
in unam collatis unius alicujus præcipuæ urbis potentiam non æ-
quarent: consilio tamen, & concordia, & quia norant virtute præ-
stantissimo absque invidia obtemperare, non modò suam liberta-
tem in medio tot urbium, tam potentium civitatum atque tyranno-
rum tutati sunt: sed & reliquorum Græcorum plurimos in liberta-
tem asseruerunt. Erat Aratus natura civilis, magnanimus, & ad XII
rem publicam quàm privatam attentior, tyrannorum acerrimus o-
sor, & qui semper amicitiæ inimicitiæque finem commodo publi-
co metiretur. itaq; non tam constans amicus, quàm hostis mansue-
tus videtur fuisse, reip. causa per occasionem in utranque partem se
convertens, neque quicquam magis amabat, quam concordiam po-
pulorum, communionem civitatum conciliumque & theatrũ unam
edens vocem. bello & apertis certaminibus uti non facilè audebat,
eoque in genere animi erat parum fidentis: ad res furtim gerendas,
componendasque adversum urbes & tyrannos insidias aptissimus.
Itaq; cùm multa conatus spe superiora, ea confecisset, videtur haud
pauciora, quæ effici haud dubiè poterant, ob timiditatem omisisse.
Scilicet non animalium modò quorundam oculi per tenebras vi-
dere possunt, interdiu cæcutiunt, quod siccitas & tenuitas humoris
qui est in oculis cum luce non potest temperari. sed & quorundam
hominum calliditas atque prudentia ita est comparata, ut in aper-
tis rebus indictisque certaminibus facilè ii perturbentur: in occul-
tis autem & abditis rebus gerendis audaces sint. Hujus inæqualita-
tis

tis causa est in bonis naturis ignoratio philosophiæ: cùm bona ingenia virtutem absque scientia, veluti fructum sponte sua & absque
XIII cultu enatum proferunt. Hæc in exemplis deprehendi possunt. Porrò Aratus cùm Sicyonem Achæis adjunxisset, inter equites militans charus ducibus propter obedientiam fuit. nam tametsi plurimum ad rempub. contulisset, sua patriæque gloria ad eam accumulata, tamen morigerum se haud minus quàm de vulgo aliquis ducibus Achæorum singulis præbuit, sive ducem Dyme, sive Tritæa, sive aliud humilius oppidum præbuisset. Dono etiam ei xxv. talenta Ptolemæus misit, quæ ille accepta, civibus suis largitus est cùm aliàs, tum ad redimendos captivos pecunia indigentibus. cæterùm iis qui ab exilio erant reversi importunè tumultuantibus & eos qui bona possidebant vexantibus, adeò ut periculum esset de exitio civitatis, in sola Ptolemæi humanitate spem reliquam habens Aratus, statuit ad eum navigare, & orare, ut sibi pecuniam ad lites istas pacandas suppeditaret. Itaque à Methona provectus, super Maleam navigavit, ut brevissimo cursu fretum trajiceret. sed rectore à magno vehementique vento, qui ab alto incubuerat, victo cursum non tenens, ægrè ad Adriam ejectus est, qui locus hostilis erat, ab Antigonoque præsidio tenebatur. Maturè sibi fuga consuluit, militesque hostis evitavit Aratus, ac navi relicta procul à mari se cum uno amicorum Timanthe in sylvestrem quendam locum subduxit, *Liberalitas.*
XIV noctemque ibi difficilem exegit. Paulò post ad navem præsidii præfectus venit, Aratum quærens: quem famuli ejus deceperunt, respondentes, uti docti fuerant, statim eum aufugisse, & in Eubœam navigasse. navim quidem, & quæ in ea vehebantur, ac famulos Arati detinuit, hostis bona esse dicens. Post dies non multas constituto magnis in difficultatibus Arato, bona quadam ejus fortuna Romana navis ad eum locum appulit, ubi partim speculans, partim latens commorabatur. Ea navis in Syriam ibat: itaque à nauclero impetravit, ut se usque ad Cariam veheret. Eò non minoribus tempestatum periculis pervectus, inde in Ægyptum multo tempore pervenit, regemque bene erga se affectum adiit. Iam ante quoque eum missis è Græcia tabulis atque picturis demeruerat Aratus. Cùm enim Regem iis delectari sciret, atque ipse ejus artis haud ineptus esset judex, subinde aliquid artificiosi accuratique operis ad eum miserat, Pamphili maximè & Melanthi picturas eum in finem comparans. Florebat enim adhuc gloria Sicyoniæ in pingendo elegantiæ, quæ sola pulchritudinem incorruptam habere judicabatur. itaque Appelles etiam, cùm jam admirationi esset, eò se contulit, & talentum pictoribus discendæ artis causa pependit, gloriæ
XV magis, quàm artis eorum societatem captans. Et Aratus quo tempore Sicyonem liberavit, omnes tyrannorum imagines statim sustulit: de Aristrati autem, qui Philippi tempore floruit, imagine diu deliberavit. Pictus enim erat currui victori insistens Aristratus à Melantho, omnibusque ejus sociis, & Apelles quoque operam

suam eo contulerat: ut quidem Polemo Periegetes narrat: Opus erat spectatu dignissimum, ita ut artificium animum Arati inflecteret, rursusque tamen odium tyrannorum incitaret, ut deleri mandaret. Nealcem tum ferunt pictorem, Arati amicum, cum lacrymis deprecatum: & cùm non obtineret, dixisse, tyrannis, non eorum bonis bellum esse indictum; itaque victoriam & currum relinquendum, se Aristratum de tabula sublaturum. id cùm concessisset Aratus, delevit Aristratum Nealces, & palmam, nihil aliud ausus ei operi affingere, in locum ejus appinxit, ferunt tamen deleto Aristrato pedes ejus infra currum demissos superfuisse.

Pecunia Ptolemæi Sicyone concordia facta.

Ob hæc charus XVI
Ptolemæo Aratus, congressus cum eo, suiq; edito documento, magis adhuc in animum ejus insinuavit: impetravitque ut is civitatem Sicyonicam CL. talentis donaret, de quib XL. statim numerata secum in Peloponnesum retulit: cætera in portiones divisa deinceps rex misit. Magnum fuit profectò, tantam civibus parare pecuniam, cujus exigua portione accepta à regibus alii duces & oratores patrias suas injuriis affecerunt, & servitute premendas illis propinaverunt. Sed majus est, quod illa pecunia pacificationem & concordiam inter pauperes & divites constituit, totique populo securitatem & salutem. Admiranda etiam animi moderatio in tanta potentia. Etenim cùm ad eum plena potestas esset delata res exulum dijudicandi, non recepit in se solùm id muneris, sed quindecim collegas adscivit: magnoque labore & multis negotiis pertractatis confecit tandem, ut amicitia & concordia inter cives constaret. Ea propter XVII
non civitas modò honoribus eum meritis decoravit: sed & exules privatim æream columnam posuerunt, his elegiis inscriptam:

Gloria ad Herculeas innotuit usque columnas
Inclyta virtutis, maxime Arate, tuæ,
Et tibi pro patriæ certamina gesta salute,
Factaque prudenti maxima consilio.
At nos in patriam te servatore reducti,
Cernentes opera fana, laresque tua:
Hanc statuam grata memores tibi mente dicamus
Virtutis signum, justitiaque tuæ:
Atque salutiferos inter te dive fatemur
Insignem superos emeruisse locum.
Nam libertatem genius, legesque salubres,
Ociaque alma tuus restituit patriæ.

Antigonus Aratum captat.

His rebus gestis Aratus, invidiam quidem civium gratia suarum actionum avertit. Antigonus autem Rex successum ejus iniquè fe- XVIII
rens, statuit eum omninò aut amicitia devincire, & suum facere, aut apud Ptolemæum Regem in calumnias adducere. Itaque cùm aliis officiis eum, quanquam nonnihil recusantē, affecit, tum Corinthi rem sacram Diis faciens, Arato partes Sicyonem misit, inq; convivio, multis una cœnantibus, coram omnibus. Existimabā, inquit, Sicyonium hunc adolescentem liberali ingenio præditum, ac civiū aman-

amantem, nihil præterea: ac verò jam mihi idoneus judex vitæ rerumque regiarum videtur. Prius enim nos despiciebat, spes suas alibi habens repositas, Ægyptiacasque admirabatur divitias, elephantos, & classes, & aulas jactari audiens. nunc, cùm intus viderit ista omnia theatricum esse apparatum scenæ inservientem, totum se ad nos convertit, amplector itaq; eum, & statui eo in omnibus rebus uti, & ut eum vos pro amico habeatis volo. Hi sermones ansam invidis malignisque hominibus calumniandi præbuerunt, certatimque epistolas ad Ptolemæum miserunt, gravia Arato & multa crimina objicientes: quo factum est, ut rex etiam per literas cum Arato expostularet. Tantum invidiæ atque maliciæ regum tyrannorumq; amicitias comitatur: quas tamen pleriq; appetunt, magnoq; amoris fervore contrahunt.

XIX Cæterùm Aratus primùm Achæorum dux creatus, oppositam Locridem & Calydoniam populatus est. *Aratus Achæorum dux* Bœotis autem cum decem millibus militum opem ferens, tempus pugnæ neglexit, qua victi ab Ætoli Bœoti apud Chæroneam Abœcritum gentis ducē & mille viros amiserunt. Anno insequenti rursum prætor creatus, de recipiendo Acrocorintho consilium agitavit, non tam Sicyoniorum aut Achæorum ea re commodo consulēs, quàm Macedonicum præsidium, communem totius Græcię tyrannidem, inde expellere cupiens. Chares quidem Atheniensis ducibus regis quodam prœlio superatis, ad populum Atheniensem scripsit victoriam se peperisse Marathoniæ sororem. At hanc Arati actionem haud injuria quispiam Pelopidæ Thebani, & Thrasybuli Atheniensis, qui tyrannos necarunt, facinoribus germanam dixerit: nisi quod hoc discrimen est, quod ille non adversus Græcum, sed alienigenam & adscititium dominum rem gessit.

XX Isthmus duo maria dirimens, Peloponnesum cæterę Græciæ annectit. Acrocorinthus *Acrocorinthus.* autem mons sublimis est, ex media enatus Græcia: cui si imponatur præsidium, omnem contractum, transitum, expeditionem, & negociationes terrestres atq; maritimas eorum, qui intra Isthmum sunt, cum aliis Græcis impedire ac prohibere potest, dominusq; totius Græcię fit, qui Acrocorinthum præsidio tenet, ut non pro joco, sed seriò potius habendum sit Philippi posterioris dictum, Corinthum compedes Græciæ appellantis. Itaque ejus potiundi omnibus studium fuit regibus atque principibus. Antigonus autem adeò nihil sibi reliquum fecit, dum dolo (vi enim & palam frustra videbatur conaturus) eum domino suo eriperet, ut ea cupiditas nihil ab insanissimo amore abfuerit. Etenim cùm Alexandrum, qui Acrocorinthum possidebat, veneno (ut ajunt) necasset, Nicæa autem uxor hujus res administraret, arcemque custodiret: statim filium suum Demetrium, adolescentem haud ineptum ad congrediendum cum provectæ aliquantum ætatis muliere, submisit, dulcemque ei spem nuptiarum cum eo injecit: filioque tanquam esca usus, mulierem ita cepit.

XXI Quæ cum Acrocorinthum ne sic quidem dimitteret, sed accuratè etiamnum custodiret, simulans id sibi curæ

non

non esse, Corinthi nuptias Niceæ cum Demetrio celebrat, specta-
cula, & quotidianas cõpotationes exhibet, tanquam si totum se vo-
lupatibus dedisset, animumque ad jocos & ocium remisisset. Cùm
in theatro carmẽ amœbæum cantaretur, tempusq; præsentiã Niceæ
postularet eam ipse ad spectaculum vehentem lectica regio more
ornata comitatus est, gaudentem honore, nihilque minus, quàm
quod agebatur, suspicantem. Cùm autem in via ad diverticulum
venissent quâ semita sursum ducit, Antigonus eam in theatrum
provehi jubet; ipse valere jussu cantore & nuptiis, ad Acrocorinthũ
adscendit, præter ætatem corpore contento. ibi cùm portam clau-
sam offendisset, scipione pulsat, sibique aperiri jubet: & qui intus e-
rant, obstupefacti aperuerunt. Ita potitus arce, non continuit se,
quin gaudio gestiens biberet in angiportis, & per forum commes-
sabundus incederet, mulierculas secum fistula canentes trahens,
sertaque gerens, obviisque dextram porrigeret & eos compellaret:
„ senex homo, & tantas rerum expertus mutationes. Nimirum enim
„ gaudium absque ratione & consilio animo accidens magis eum per-
„ turbat, æstuque afficit, & sui impotem facit, quàm vel dolor vel me-
„ tus. Antigonus ergo Acrocorintho ita ut dixi potitus, iis quibus XXII
maximè fidebat custodiendum tradidit, præsidioque Persæum phi-
losophum præfecit. Aratus autem, cùm vivente etiamnum Ale-
xandro potiundi Acrocorinthi consilia agitasset, Achæis cum eo fœ-
dus paciscentibus à proposito destiterat. tunc aliam tentandæ rei
Occasio eius capiendi Arato oblata.
occasionem talem nactus est. Erant Corinthi quatuor fratres, Syri
natione, quorum unus, nomine Diocles, in arce miles mercenarius
erat: tres autem reliqui aurum regis suffurati, Sicyonem ad Ægiam
argentarium detulerunt, quo propter institutum vitæ utebatur A-
ratus. apud eum partem auri statim vendiderunt, reliquum unus
ipsorum Erginus paulatim accedens pecunia commutabat. Atque
is ita familiaris Ægiæ factus, ab ipsoque deductus ad mentionem
præsidii in arce collocati, retulit, se, cùm ad fratrem in arcem per
præcipitia adscendisset, animadvertisse rupturam quandam montis
obliquam eò perducere, quâ humillima muri qui arcem cingit,
pars ædificata esset. Per jocum tum Ægiæ dicenti: Siccine ergo, ine-
pte homo, parvuli auri causa regis res præfertis atque prædicatis?
cùm liceat vobis unius horæ maximum reportare præmium. an
nescitis tam furibus quàm proditoribus, ubi semel deprehensi fue-
rint, moriendum esse? Ridens ad hæc Erginus, promisit se ea de re XXIII
animum Dioclis (nam cæteris se fidem non admodum habere) ten-
taturum. Paucis post diebus reversus, pollicetur Arato, se eum eò
ad murum perducturum, ubi xv. pedibus non sit altior: & in tota re
conficienda se unà cum Diocle ei auxilio futurum. vicissim Aratus,
si negocium successisset, sexaginta iis talẽta daturum stipulatus est:
sin secus caderet, unà tamen cum eis incolumis evaderet, utrique
domum & talentum. Cùm autem ista LX. talenta Ergino deberent
apud Ægiam deponi, & Aratus tantum pecuniæ non haberet, neque
mu-

mutuum sumendo cuiquam suspicionem sui instituti præbere vellet, pleraque pocula, & aureum uxoris mundum Ægiæ ejus pecuniæ causa attulit, & oppignoravit. Tanta erat hominis magnanimitas, tantaque honestarum actionum cupiditas, ut sciens Phocionem & Epaminondam Græcorum justissimos & optimos propterea creditos, quo magna dona rejecissent, neque pecuniam in rebus bonis judicassent: ipse sibi in eam rem impendenda occultè sua duxerit, in qua pro universis, & quidē id ignorantibus, se in periculū mitteret.
XXIV Quis enim non admiretur, & quasi adjuvare cupiat magnanimitatem hominis? qui tantum periculum tanta vi pecuniæ sibi paraverit, & quæ preciosissima in re domestica judicantur pignori opposuerit, ut noctu in medios hostes clam deductus, pro vita sua dimicaret, nulla nisi præclari facinoris spe proposita. Periculosam per se rem, periculosiorem error fecit ab initio per ignorationem admissus. Famulum suum Aratus, nomine Technonem misit ut unà cum Diocle murum specularetur. Is autem Technon de facie Dioclem non noverat, formam tamen ejus videbatur percepisse, Ergino referente, crispo esse eum capillo, nigrum & imberbem. Ergo cùm ante urbem in loco, qui Ornis (hoc est avis) dicitur, uti compositum erat, Erginum cum Diocle se conventuros expectaret: forte tum Dionysius maximus natu inter fratres Dioclis, eique forma similis, sed neque socius, neque conscius omninò proditionis, eò venit. Motus formæ similitudine Technon, percontatur hominem, ecquid ei rei cum Ergino esset: cùmque is fratrem ejus se esse responderet, omninò pro certo habens se cum Diocle colloqui, neque nomine ejus quæsito, neque ullo alio indicio expectato, statim dextram ei injicit, ea quæ sibi cum Ergino erant composita refert, vicissimque
XXV sententiam ejus exquirit. At Dionysius errorem ejus dissimulans astute, omnibus annuens, nihil mali suspicantem inter colloquendum retrò ad urbem abducit. Cùm jam prope eò deventum esset, ut comprehenderetur Technon, Erginus iterum bona quadam fortuna ei occurrit, errorem que & periculum sentiens, Technoni ut fuga se eriperet nutu indicat. atque ita uterque cursu se proripuit, & ad Aratum evasit. Neque verò Aratus animum propterea despondit: sed statim Erginum misit, qui aurum Dionysio afferret & oraret uti taceret. idque & fecit Erginus, & Dionysium secum adduxit: quē illi nequaquam dimiserunt, sed vinctum in conclavi quodam asservarunt: ipsi ad rem gerendam se paraverunt. Omnibus jam instructis, ceteros in armis noctem exigere Aratus jussit: ipse cum CCCC. delectis militibus, quorum pauci quid rei gereretur noverant, juxta fanum Iunonis ad urbem duxit. Erat tum maximè adulta æstas, & plenilunium: nox autem perspicua & à nebulis pura: ita ut metuerent sibi, ne armorum ad lunam resplendentium fulgor custodibus
XXVI ipsos proderet. Cùm primi jam appropinquassent urbi, nubes à mari elatæ urbem texerunt & loca extra eam propinqua obumbrarūt. Ibi tum reliqui humi desidentes, calceos exuerunt: quod nudi pedes

Periculum.

des neque strepitum edunt, neque facilè labuntur scalis applicati.
Erginus cum septem adolescentibus viatorum more vestitis ad
portam occultè pervenit, portæque custodem unà cùm reliquis ex-
cubitoribus obtruncat. Simul & scalæ admotæ sunt, & celeriter A-
ratus centum viros per eas in urbem extulit, ac reliquis ita uti pos-
sent sequi jussis celeriter sublatis scalis per urbem cum centum i-
stis ad arcem contendit, gaudens se latere, & rem prosperè succede-
Acrocorinthum Aratus capit. re existimans. Paululum progressis, quatuor occurrunt vigiles
cum facibus: ab iis non conspecti (nam in parte ea erant, quàm
umbra tegebat) sibi obviam venire eos cernentes, abdunt se post
muros quosdam, & rudera in insidias, atque ità tres de iis necant.
quartus gladio caput ictus, profugit vociferans hostes in urbe esse.
Paulò post & tubis signum est datum, & urbs tota excitata, omnes-
que angiportus discurrentibus repleti hominibus: multaque lu-
mina partim per urbem, partim ex arce eluxerunt, ac clamor undiq;
promiscuus incertusque exauditus. Interim Aratus per præcipitia XXVII
ad arcem contendens, initiò lentè & magno cum labore, cùm cal-
lem non teneret, quod is undique inter salebras clivorum latebat,
iisque obumbrabatur, atque multis flexibus ambagibusque ad mu-
rum pertinebat. Mirùm verò dictu, ut luna tum fertur, discussis nu-
bibus lumine suo viæ difficultatem expedivisse, cùmque ad eam
muri partem, quam petierat, pervenisset Aratus, iterum coactas nu-
bes subivisse, umbraque eum occultasse. Milites autem, quos ad
portam & fanum Iunonis relictos ab Arato dixi, CCC. numero, cùm
& ipsi in urbem irrupissent tumultu, promiscuo repletam, facibus-
que collucentem, atque eundem callem invenire, suorumque ve-
stigia assequi nequirent, confertim in umbrosum quendam rupis
anfractum se abdiderunt, ibique magna cum animi ægritudine sese
continuerunt. quippe fremitus & clamor, qualis exaudiri in certa-
minibus talibus solet, ad ipsos usque ab arce pervadebat, cùm Ara-
tus & ejus manus jam desuper ab arce telis impeterentur atque
pugnarent: & vox circumsonabat eos à montibus refracta, confusa-
que, & de qua unde ederetur non constabat. Dubitantibus, & quo- XX
nam se verterent incertis, Archelaus regiorum dux, cum magna mi- VIII
litum caterva, tubisque & vociferatione eodem adscendit, contra
Aratum tendens, ipsosque præterit. In eum illi veluti ex insidiis co-
orti impetum faciunt: primisque stratis, cæteros & Archelaum per-
terrefactos in fugam cōjiciunt, ac tantisper instant, dum ii apud ur-
bem dissipati dilaberentur. Recenti huic victoriæ Erginus super-
venit, annuncians Aratum cum hostibus acriter repugnantibus ma-
num conseruisse, magnumque ad muros certamen esse, & celeriter
subvenire oportere. Statim duci se jusserunt, interque eundum
clamore socios confirmarunt, auxilio se eis venire indicantes: arma
etiam ad plenam lunam refulgentia, plura hostibus ob agminis lon-
gitudinem videbantur, & vociferatio per noctem resonans à pluri-
ribus quàm erat edi putabatur. Tandem junctis viribus facto im-
petu

petu hostes loco pellunt, arceque superiores evadunt, eamque jam albente cœlo occupant. Sol statim confecto negocio illuxit, simulque Sicyone profecta reliqua pars copiarum aderat, portis eos accipientibus prompte Corinthiis, & regios comprehendentibus.

XXIX Cùm tuta jam viderentur omnia, ab arce in theatrum descendit, immensa confluente multitudine hominum, partim conspectum ejus, partim orationem, qua compellaturus erat Corinthios, desiderantium. Ab utraque parte transitus constitutis Achæis, è scena in medium progressus est, thoracem indutus, vultuque ita ob laborem & vigilias mutato, ut læticiam ejus exultationemque corporis defatigati gravitas occultaret. Cùm officii causa homines effusè prodeunte ipso accurrerent hasta in dextram manum sumpta, corporeque nonnihil ea suffulto, diu tacitus stetit, applausus eorum & acclamationes excipiens, virtutem laudantium ejus, & fortunam prædicantium. Vt finem fecerunt, silentiumque tumultu composito extitit, atque ipse sese collegit, orationem de Achæis rei gestæ consentaneam habuit, Corinthiisque persuasit, uti se Achæis adjungerent clavesque eis portarum reddidit: tunc primum à Philippi ætate in eorum potestatem, reversas. De Antigoni ducibus Archelaum cùm cepisset, dimisit: Theophrastum autem discedere nolentem necavit. Persæus arce capta Cenchreas perfugerat. is postea temporis fertur in ocio degens cuidam dicenti, sibi solum sapientem videri ducem esse, respondisse: Per Deos mihi quoque aliquãdo ex omnibus Zenonis decretis id maximè probatum fuit: nunc à Sicyonio adolescente correctus, sententiam mutavi. Hoc de Persæo complures narrant. *Corinthus Achæis addita.*

XXX Porrò Aratus statim Heræum (*fanum Iunonis* Latinè dixerit) & Lechæum in suam potestatem redegit, XXV. navibus regiis potitus est, equos quingentos, & Syros CCCC. vendidit. Acrocorinthum Achæi CCCC. militibus gravis armaturæ, canibus quinquaginta, totidemque eorum custodibus tenuerunt. Romani quidem Philopœmenem admirantes, postremum Græcorum appellaverunt: judicantes post eum nullam præclaram rem apud Græcos gestam. Ego autem hoc Arati facinus in Græcia ultimum novissimumque fuisse haud dubitem dicere: & cùm ob audaciam ejus qui perpetravit, tum ob successum præclarissimis posse comparari. quod manifestum est ex iis, quæ statim sunt consecuta. Nam & Megarenses facta ab Antigono defectione Arato se conjunxerunt, & Trœzenii unà cum Epidauriis se ad Achæorum remp. aggregaverunt: primamque suam expeditionem in Atticam fecit Aratus: & trajectis in Salaminam militibus, prædam ex insula egit, Achæorum viribus, tanquã ex carcere liberatis, ad omnia quæ instituisset utens. Eos qui liberi capti erant, Atheniensibus nullo redemptionis accepto prǣmio dimisit, occasiones eis deficiendi suppeditans. Ptolemæum socium Achæorum. adscivit ea conditione, ut is terra marique dux belli esset. *Vrbes aliæ Achæis adiecta.*

XXXI Tanta autem fuit Arati apud Achæos potentia, ut si non liceret quotannis, alternis saltem

annis

annis prætorem eum crearint: interim tamen semper omnia ipsius arbitrio acta sint. videbant enim eum non divitias, non gloriam, non amicitiam regis, non suæ patriæ commodum, non quicquam aliud Achæorum incrementis antiquius habere. Existimabat autem urbes singulatim imbecilles mutuò servari, tanquam illigatas com-

Concordia. modo publico. ac quemadmodum membra corporis viventia & conspirantia propterea, quod invicem annata sibi hærent, si quod eorum avellatur & à cæteris saperetur, non alitur amplius, sed tabescit: ita urbes censebat ab iis, quæ rempub. divellerent, perdi; augeri autem unam ab alia & omnes mutuò, cùm veluti magni alicujus corporis partes communem haberent procurationem. Proinde videns præcipuos quosque vicinorum sua uti libertate & legibus, idcoque indignè ferens Argos in servitute agere, tyrannum eorum Aristomachum interficere per insidias instituit: cùm ut libertatem ei urbi, tanquam educationis suæ præmium, redderet, tum ut eam

Argorum liberandorum conatus. Achæorum reip. adjungeret. Inventi sunt qui id facinus auderent: XXXII quorũ principes erant Æschylus & Charimenes vates, gladiis tamẽ destituebantur, quod eos parare prohibitum erat, & si quis gladium haberet, ei tyrannus gravem mulctam indixerat. Itaque Aratus Corinthi parvos pugiones confici jussit, inque clitellas insuit, easque jumentis quædam vilia vehentibus impedimenta imposuit, atque ita Argos misit. Cùm autem Charimenes quendam facinoris socium adscivisset, Æschylus indignatus, spreto eo facinus ipse aggressus cum suis est. quod sentiens ille, & irritatus, jam ad necandum tyrannum contendentes prodidit: atque plerique horum ex foro profugerunt, Corinthumque pervenerunt. Veruntamen paulo post Aristomachus à servis necatur. tyrannidem Aristippus flagitiosior priore tyrannus occupat. Aratus cum Achæis, quotquot militari ætate præstò erant celeriter Argos profectus est, sperans se Argivos ad opem sibi tyranno opprimendo ferendam promptos inventurum: cùm verò plerique eorum à servitute, quam consuetudo familiarem ipsis effecerat, non abhorrerent, neque ad eum quisquam deficeret, recessit nulla re confecta, nisi quod Achæos crimini ei obnoxios reddiderat, quod in pace bellum movissent. Accusavit eos eo nomine Aristippus apud Mantinenses, & reos Arato absente peregit, estque illis lis triginta minis æstimata. Aratum verò Ari- XXXIII stippus & odio habens & metuens, per insidias necare intendit, adjuvante eum conatum Antigono rege: & ubique propemodum erant qui id agerent, occasionemque captarent. Enimverò nulla melior neque tutior principi esse potest custodia, quàm vera & constans subditorum benevolentia. cùm enim adsueverint plerique & potentes non principem, sed principi suo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præsentitque ea quæ aguntur. Itaque hoc loco parumper ab instituto sermone digrediar, Aristippi-

Tyranni miseria. que rationem vivendi exponam, quam ei tam multis rivalibus expetita illa tyrannis, & beati famosiq; regni majestas paravit. quippe

is,

is, qui Antigonum sibi societate junctum haberet, multosque custodiendi corporis sui causa aleret, nullum inimicorum viventem in urbe reliquisset: stipatores quidem suos & custodes foris in vestibulo stationem habere jubebat, famulos simul atque cœnasset universos exigens, & interiorem domum concludens: ipse cum sua amasia in cœnaculum editius ostio pensili clausum subibat, supra quod lecto collocato somnum capiebat, qualem ab ita perturbato ac meticuloso capi par erat. scalam mater amasiæ removebat, inque alio conclavi includebat: luce facta iterum apponebat, & admirabilem illum tyrannum devocabat, serpentis instar ex specu
xxx prorepentem. Et verò Aratus qui non vi & armis, sed legitimum
iv virtute & perpetuum sibi paraverat imperium, in toga aut qualibet chlamide obambulans, cùm quidem omnium tyrannorum manifestum se hostem profiteretur, nobilissimum inter Græcos genus in hunc usq; diem propagavit. Eorum autem qui arces occupaverunt, stipatores aluerunt, defendendiq; sui corporis causa, portas, arma, & cataractas objecerunt, pauci leporum instar violentam mortem effugerunt: domus autem, genus, aut sepulcrum honore affectum aliquo, nullius illorum extat. Sæpenumerò Aratus & occultè & palam aggressus Argos occupare, & Aristippum excidere, successu frustratus est. Semel etiam scalis applicatis, audacter in murum paucis comitatus evasit, custodesque occurrentes obtruncavit. die autem facta, cùm undique à tyranno peteretur, Argivis, quasi non pro ipsorum libertate pugnaretur, sed in Nemeo certamine judices ac pręmiorum distributores sederent, justos se & æquos spectatores eorum quæ gerebantur alto in ocio præbentibus, fortiter pugnans, lancea comminus femur transadigitur: locum tamen, in quo constiterat, obtinuit, neque ante noctem ullo insultu hostium pelli potuit Quod si noctem quoque eum laborem sustinuisset, potitus eo quod petebat fuisset: jam enim fugam tyrannus parabat, ac multa suorum bonorum ad mare præmittebat. nunc Aratus nemine id renunciante, aqua deficiente, & cùm ipsum vulnus inutilem
xxxv rebus gerendis fecisset, retro suos abduxit. Desperata ergo hac ratione, apertè cum exercitu in Agricolam irrupit, eamque vastavit. Ad Charetem autem fluvium acri cum Aristippo commissa pugna, vitio ei datum est, quod prœlium deseruisset, victoriamque prodidisset. Cùm enim Achæorum exercitus altera pars haud dubiè hostibus superior esset, eosque persequendo procul processisset: ipse non tam pulsus à sua parte, quàm victorię diffidens & metuens, perturbatus in castra rediit. Cæteris autem ab insequendo hoste reversis, & iniquè ferentibus quod cùm ipsi hostem pulissent, multoque plures de iis stravissent, quàm suorum amisissent, passi tamen essent ut victi de victoribus trophæum statuerent: motus verecundia statuit denuò de trophæo pugna decernere: unaque die intermissa, rursum in aciem suos eduxit. sed cùm hostes numero auctos sensisset, & audacius resistere, congredi non ausus, discessit, cadaveribus ex pa-

Arati peccatum.

ex pacto receptis. Hunc suum errorem Aratus cùm peritia civili, & gratia in alloquendo populo correxisset, Cleonas Achæis adjunxit, Nemeumque certamen Cleonis celebravit, magis patrium his, magisque deberi quàm alteris sentiens. Celebraverunt idem certamen etiam Argivi: ac tum primùm securitas & libertas certatoribus antiquitus concessa, violata est, Achæis omnes, quoscunque Argis certasse comperissent, per suam ditionem proficiscentes vendentibus tanquam hostes. tam acre & implacabile erat tyrannorum odium in animo Arati. Paulò post cùm inaudivisset Aristippum XXXVI
Cleoni insidiari, se tamen Corinthi agentem metuere: edicto proposito milites contraxit, jussosque multorum dierum cibaria secum ferre, Cenchreas deduxit: in fraudem inducendi Aristippi causa, ut is tanquam eo absente Cleonas adoriretur. Neque Aratum spes fefellit. Statim enim cum exercitu Argis profectus Aristippus Cleonas petiit. Aratus autem jam tenebris obortis Corinthum reversus, itineribus per intervalla custodiis munitis Achæos tanto ordine, celeritate, atque alacritate duxit, ut non modò inter proficiscendum, sed & noctu intrantes Cleonas, & ad prœlium instructi, Aristippum fallerent. Summo mane portis apertis classicum cecinit, atque cum cursu & vociferatione impetu facto hostes fudit, fugientibusque institit, ea maximè qua fugere tyrannum suspicabatur, locis istis multa diverticula habentibus. Persecutus autem est hostem Mycenas usque. ibi Aristippus à Crete quodam ut Dinias refert nomine Tragisco, deprehensus necatur, amissis suorum plus quàm M D. viris. Tam splendida potitus victoria Aratus, Argos tamen neque cepit, neque liberavit: Ægias enim & Aristomachus minor cum exercitu regio irruperant eo, & rerum potestatem occupaverant. Magnam quidem partem cavillorum dicteriorumque & XXXVII
scurrilium insectationum, quibus eum adulatores tyrannorum traducebant, refutavit: qui in gratiam dominorum dictitare solebant, duci Achæorum tempore prœlii alvum conturbari, vertiginem ei & gravem soporem oboriri simul atque tubæ sonitum exaudivisset: itaque ut primum aciem instruxisset, & tesseram dedisset, percontari solitum centuriones: ecquid sua præsentia opus foret, jacta jam alea: atque ita digredientem quàm longissimè eventum pugnæ expectare. Hæc quidem ita obtinuit opinio, ut philosophi etiam in scholis disputantes, tremorne cordis & mutatio coloris præsente periculo timidorum sit, aut cujusdem intemperiei in corpore, & frigiditatis: semper Aratum adduxerint exempli loco, quod ei quanquam præclaro duci, tamen ea semper in obeundis certaminibus accidissent. Aristippo cæso Aratus statim Lysiadæ insidias XXXVIII
struxit, Megalopolis patriæ suæ tyranno. Erat is Lysiades homo minimè pravo ingenio, aut à studio laudis alieno: neque, ut plerique alii tyranni, intemperantia eum & avaricia ad patriæ inferendam eam injuriam impulerat: sed juvenis adhuc gloriæ amore excitatus, imprudenter admissis in animum suum altis spiritibus plenum inani-

Stratagema.

Lysiades tyrannide se abdicat.

inanibus & falsis de tyrannide sermonibus, occupata tyrannide statim ex ejus incommodis maximas ceperat molestias. Itaque tum & Arati felicitatem atque gloriam suspiciens, & eum sibi insidiantem metuens, pulcerrimam mutationem aggressus est, qua cùm se ipsum ab odio, metu, præsidio, stipatoribusque liberaret, tum de patria bene mereretur. Accito namque Arato, imperio se abdicavit, urbemque Achæorum reipublicæ adjunxit. Propterea magni eum facientes Achæi, prætorem delegerunt. Atque is statim conatus gloriam Arati superare, cùm alia multa non necessaria suscepit negocia, tum expeditionem contra Lacedæmonios indixit. Aratus autem cùm ei repugnaret, invidia adductus id facere videbatur. & bis Lysiades prætor Achæorum creatus est, palam refragante Arato, eumque magistratum transferre ad alium satagente. imperabat autem alternis (ut dictum est) annis. Usque ad tertiam præturam Lysiades in gratia fuit, alternis cum Arato imperans. cæterùm ut apertas contra eum suscepit inimicitias, ac sæpius apud Achæos accusavit, abjectus ab iis est, quod videbatur fictis moribus adversus veram & sinceram virtutem contendere, & quemadmodum cuculo, Æsopus ait, interroganti ex parvis aviculis, cur se fugerent, responsum ab iis esse: Quod olim eum accipitrem futurum putarent: ita Lysiadem videtur suspicio quædam à tyrannide consecuta fidē mu-
XXX tationi ejus derogasse. Ab Ætolico etiam bello gloriam Aratus *Bellum Ætolicum.*
IX reportavit. Etenim cùm Achæi pugna decertare ante Megaricam cum Ætolis vellent, rexque Spartanorum Agis cum exercitu superveniens ad pugnam provocaret: ipse repugnans ei sententiæ, multa convicia, multas timiditatis & mollitiei exprobrationes, multas sannas perferens, ob speciem turpitudinis dimoveri se de sano & utili suo consilio non est passus: concessitque hostibus ut citra prœlium Gerania monte superato in Peloponnesum intrarent. Sed cùm iidem subitò Pellenem occupassent, nequaquam easdem rationes secutus, neque mora ulla interposita dum omnes contraheret copias, statim cum iis qui ad manum erant adversus hostem contendit, in ipsa victoria propter ordinis neglectionem & libidinem imbecillissimum. Nam & milites per domos dispersi, de præda digladiabantur, seque mutuò pellebant: & duces ac centuriones circumibant, filias Pellenæorum atque uxores rapientes, suasque galeas iis imponebant, ut nemo alius eas raperet, sed galeæ singularum dominos indicarent. Hæc illis agentibus, subitò annunciatur Aratum adesse: & terrore, qualem par erat sequi tantam confusionem, exorto priusquam ad omnes nuncius periculi perveniret, jam ii, qui apud portas & suburbia Achæis se objecerant, victi fugatique retrò cursim tendebant, cæterosque jam agmen facientes & subveni-
XL re parantes perturbabant. Eo in tumultu una de captivis filia Epigethis viri illustris, forma & statua corporis eximia, fortè tum in fano Dianæ sedebat, quo eam delectorum militum præfectus collocaverat, sibi prædæ ductam, suaque galea insignem. Eà subitò ad

tumultum ex fano procurrens, cùm ante fores adstitisset templi, & in pugnantes inspexisset, capiti impositam gestans galeam tribus cristis ornatam: cùm ipsis civibus spectaculum divinum visa fuit, tum hostes divinitus objectum spectrum cernere putantes terrore & consternatione implevit, animumque repugnandi omnem excussit. Pellenæi quidem affirmant deæ simulacrum reliquo tempore intactum stare: cùm verò ab antistita efferatur, neminem contra intueri, sed omnes se avertere. non enim modò hominibus spectatu difficile esse ac terribile: sed arboribus frugibusque, qua gestetur, sterilitatem inferre, & abortus. id simulacrum tum antistitam protulisse, ejusq; faciem identidem obvertisse Ætolis, itaque eos ad vecordiam & stuporem redegisse. Nihil tale in suis commentariis Aratus commemorat: sed ait se Ætolos in fugam conjectos in urbem ipsam Pellenem insecutum, cæsis DCC. ex ea profligasse Inter maximas res gestas id factum celebratum fuit: & Timanthes pictor artificiosè expressum ob oculos posuit. Cæterum multis populis atque XLI

Diana Pellenæa.

principibus adversus Achæos conspirantibus statim in eo fuit Aratus, ut cum Ætolis amicitiam jungeret: ususque in ea re Pantaleontis, qui largiter apud eos poterat, opera, non pacem modò, sed & societatem Achæis cum Ætolis composuit. Athenienses autem liberare cupiens, male audivit apud suos, quod, cùm ipsi inducias cum Macedonibus pacti essent, Piræcum occupare conatus esset. Id crimen ipse in commentariis suis à se amolitur: & in Erginum, quo usus erat in Acrocorintho occupando, confert, eum suo injussu perhibet Piræeum tentasse, scalisque attritis cùm fugeret & ab hostibus urgeretur, continenter Aratum nominatim inclamasse, tanquam præsentem, atque ita deceptis hostibus effugisse. Verùm hæc excusatio probabilis non videtur. Neque enim verisimilitudinem habet hoc, Erginum hominem Syrum atque privatum tantam rem conaturum fuisse, nisi Aratum ducem habuisset, ab eoque auxilium & occasionem rei tentatæ accepisset. Et ostendit hoc ipse Aratus, non bis aut ter, sed sæpius, perindè atque ii quibus res in amore minus secundæ sunt, Piræeum aggressus, neque ob infelicem successum defatigatus, sed eo ipso, quod parum à potiundo eò abfuisset, animum confirmans. aliquandò etiam per campum Thriasium fugiens crus ita afflixit, ut multis sectionibus curatus, lectica aliquandiu vectus expeditiones obiverit. Antigono mortuo cùm ad Deme- XLII
trium regnum rediisset, majore adhuc studio Athenas occupare conatus est, omninò spretis Macedonibus. Itaque cùm à Bithone Demetrii duce apud Phylaciam pugna esset victus: rumorq; increbuisset partim captum, partim cæsum esse: Diogenes Piræi præsidio præfectus, missis Corinthum literis, ea urbe Achæos cedere, quoniam mortuus esset Aratus, jussit. Forte tum aderat Corinthi Aratus, cùm literæ illæ allatæ sunt: & legati à Diogene, risu jocisque exagitati discesserunt. Ipse etiam Rex navim ex Macedonia misit, qua ad se vinctus Aratus adveheretur. Et Athenienses nihil levissi-

mæ adulationis reliquum ſibi facientes, ut primum de obitu Arati renunciatum eſt, coronas geſtarunt. Itaque is irritatus, ſtatim in Atticam facta impreſſione, uſque ad Academiam proceſſit: perſuaderi tamen ſibi paſſus eſt, ut à maleficio abſtineret. Ergo Athenienſes virtute ejus perſpecta, cùm Demetrio mortuo libertatem appeterent, eum acciverunt. Aratus verò, tametſi & alius tum prætor Achæorum erat, & ipſe diuturno morbo conflictaretur ac decumberet: tamen lectica eo advectus eſt. Diogenique præfecto præſidii perſuaſit, ut acceptis C L. talentis (horum viginti Aratus ipſe urbi largitus eſt) Piræeum, Munychiam, Salamiam, & Sunium Athenienſibus redderet. Statim ex eo Æginetæ, atque Hermionenſes, & magna pars Arcadiæ ſe Achæis adjunxerunt: & cùm Macedones bella quædam finitima occupatos detinerent, Ætoli autem Achæo-

Athenas liberat.

XL rum ſocii eſſent, magnopere tum aucta eſt horum potentia. Por-
III rò Aratus cùm in priſtino ſuo propoſito perficiendo perſeveraret, tyrannidem Argis in vicinia ſuperſtitem iniquè ferens, miſſis internunciis Ariſtomachum hortatus eſt, libertatem Argis reſtitueret, Achæiſque urbem adjungeret, exemploque Lyſiadis mallet tantæ gentis cum laude & honore dux, quàm unius urbis inviſus & periculis expoſitus tyrannus eſſe. Obtemperante Ariſtomacho, & petente ut L. talenta Aratus ſibi mitteret, quibus militibus ſuis ſatisfaceret, eoſque dimitteret: pecunia jam comparata, Lyſiades adhuc præturam gerens, ſuumque id apud Achæos videri factum cupiens, Aratum, ut implicabili in tyrannos odio flagrantem, apud Ariſtomachum calumniatus eſt, perſuaſitque ut ſibi rem totam committeret, atque ita hominem ad Achæos adduxit. Quo quidem tempore præcipuè Achæorum conſiliarii ſuam erga Aratum benevolentiam fidemque declararunt. Cùm enim iratus is contradiceret, Ariſtomachum repudiarunt: rurſus eo in alteram pertracto ſententiam, eamque coram defendente ſtatim omnia libenti animo decreverunt, Argivoſque & Phliaſios in civitatem ſuam receperunt, i-
XL pſumq; inſequenti anno Ariſtomachum prætorem creaverunt. Ari-
IV ſtomachus cùm ſuam Achæis operam probaret, inque Laconicam vellet irrumpere, Aratum Athenis ad ſe vocavit. Verùm hic per literas eam expeditionem diſſuaſit, quod Achæos committere cum Cleomene audaci homine, & ſubitis incrementis elato nolebat: cùm tamen cupiditatem ejus inhibere nequiret, venit, ſociumque ei ſe addidit. Cùm quidem apud Pallantium Cleomene occurrente pugnam committere Ariſtomachum prohibens, à Lyſiade eſt accuſatus: & in certamen cum eo de prætura deſcendens, ſuffragiis ſuperavit, & prætor duodecimum factus eſt. Eo in bello apud Lyceum victus à Cleomene fugit: noctuque vagatus, cùm periiſſe crederetur, multuſque de ejus interitu rumor ad Græcos diſſiparetur, collectis ad ſe militibus, non contentus ſe incolumem diſcedere poſſe, ſed in rem ſuam præclarè verſa occaſione, nemine quicquam tale expectante, ſubitò Mantinenſes Cleomeni confœderatos adortus,

Bellum cum Cleomene.

tus, urbem cepit, præsidium imposuit, inquilinos civitate donavit: denique id, quod victores haud facilè obtinuissent, victis Achæis confecit. Rursum Lacedæmoniis Magalopolim exercitu pe- XI
tentibus, auxilio sociis profectus, ansam prœlii captanti Cleomeni dare noluit, Megalopolitanosque manum conserere cupientes inhibuit. cùm neque aliâs ad decernendum acie natura esset aptus, & tunc militum numero hostibus impar, animo jam elanguescente & ambitione imminuta audaci juveni opponeretur: & gloriam, quam ille novam audacia sua paraverat, sibi jampridem partam cautione conservandam existimaret. Itaque cùm lenis armaturæ milites excursione facta Spartanos usque ad castra repulissent, & apud tentoria dispersi essent: ne sic quidem suos eduxit, sed in medio convalle occupata continuit. Lysiades autem indignissimè ea quæ agebantur ferens, Aratumque culpans, equites ad se vocavit, ipse persequi fugientes hostes cupiens, neque prodere victoriam, sed ipse pro patria sua propugnare. Multis ad eum bonisque viris confluentibus, audacter dextrum hostium cornu invasit, idque pulsum insecutus est: iræ autem ambitionique incautius indulgens, dum fugientibus instat, in loca pertractus est obliqua, arboribusque consitis & amplis fossis plena. ibi Cleomenes eum adortus, præclarè pugnantem, pulcherrimumque certamen ante portas patriæ obeuntem interfecit. Reliqui in phalangem confugientes, militibus gravis armaturæ conturbatis totum exercitum victoriæ impotem fecerunt. Graviter autem crimini datum est Arato, quod XLV
Lysiadem videbatur projecisse: Achæisque irato animo discedentibus coactus est eos Ægium sequi. ibi consilio habito, decretum est, ne ei pecunia daretur aut milites alerentur, sed si vellet, suis ipse sumptibus belligeraret. Ea ignominia motus cùm statuisset illicò sigillum publicum tradere, & prætura se abdicare: tamen suo usus consilio sustinuit: & ad Orchomenum ducto exercitu, cum Megistono Cleomenis vitrico conflixit, & trecentis hostium cæsis, ipsum Megistonum vivum in potestatem suam redegit. Solitus autem alternis annis præturam gerere, cùm ordo ipsum posceret vocatus, ejuravit, & Timoxenus prætor est creatus. Equidem judicatum est eum causam ejurationis haud satis probabilem prætendisse, iram adversus populum; cùm re vera deterritus periculis Achæos circumstantibus fuerit. Non enim, ut ante, paulatim Cleomenes eos invadebat, neque jam civiles magistratus obibat: sed, cùm occisis ephoris, agrisque divisis, multisque inquilinis in civitatem cooptatis potentiam nulli judicio obnoxiam obtineret, statim Achæos invadebat, principatumque sibi in eos postulabat. Vitio itaque dant Arato, quod rebus multo æstu gravique tempestate jactatis, veluti clavum gubernator dimiserit, alijque concesserit: & eo tempore, quo vel invitis præesse, rempublicamque servare oportuisset, de rebus Achæorum desperaverit. Existimant etiam, debuisse eum potius concedere Cleomeni prin- XL
cipa- II

Victoria Arati.

cipatum, quàm ut rursus præsidiis Macedonicis barbariem Græciæ *Arati reprehensio.*
inveheret, aut Acrocorinthum Illyricis & Gallicis armis impleret:
aut eos quos ipse artibus suis consiliisque oppugnasset, inque com-
mentariis conviciis laceraret crebris, jam sub honesto sociorum
nomine dominos civitatibus imponeret. Quod si omninò Cleo-
menes injustus fuerit, atque tyrannicus, tamen Heraclidam gene-
re, patria Spartanum fuisse. & quidem iis, qui rationem aliquam
Græcæ nobilitatis haberent, Spartanorum obscurissimum potius,
quàm primum inter Macedonas ducem deligendum fuisse. Iam
Cleomenem ita principatum in Achæos petiisse, ut ejus honoris ac
tituli gratia multis se beneficiis urbes eorum affecturum præ se tu-
lerit. Antigonum terra marique ducem designatum, non prius an-
nuisse, quàm præmii loco ei Acrocorinthus promitteretur. imita-
tumque scilicet in eo venatorem Æsopicum, neque prius Achæis o-
rantibus, & per legatos ad Decreta ei se submittentibus ducem sese
imposuisse, quàm datis obsidibus ii & accepto præsidio tanquam
XLV frænum ferre didicissent. At verò Aratus nihil non dicit, ut excu-
III sationem necessitatis afferat. Et Polybius scribit Aratum multò an-
te quàm eò necessitatis res redirent, ab audacia Cleomenis rebus
suorum metuentem occulta cum Antigono agitasse colloquia, ac
Megalopolitanos subornasse, qui ab Achæis peterent, ut ii auxi-
lium Antigoni implorarent. nam Megalopolitani maximè omnium
eo bello infestabantur, Cleomene res eorum agente ac ferente. Ea-
dem his de rebus Phylarchus retulit, qui, nisi Polybius adstipulare-
tur, haud sanè video ut fidem mereatur. Etenim quoties mentio
Cleomenis incidit, præ favore erga eum quasi extra se raptus vide-
tur, & tanquam in judicio hunc ubique defendit, illum criminatur.
Achæis quidem Mantinea iterum à Cleomene erepta est: & victi ab
eodem apud Hecatombæũ magno prœlio, ita animis ceciderunt, ut
statim Cleomeni imperium in se tradere cogitarent, eumque pro-
pterea Argos vocarent. Aratus ut eũ venire sensit, & jam apud Ler-
nam cum copiis esse, metuens rebus suis legatos misit, qui peterent
ut cum CCC. tantum viris ad suos amicos sociosque veniret: aut si
diffideret, obsides acciperet. Cleomenes rideri se ab eo & deludi di-
cens, retrò abiit, missa ad Achæos epistola, criminibus & calumniis
Arato intentatis plena. Scripsit & hic contra Cleomenem epistolas,
mutuoq; sibi conviciantes usque ad nuptiarum etiam & mulierum
exprobrationes processerunt. Secundum hæc misso præcone qui
bellum Achæis indiceret, Cleomenes Sicyonem adortus prodi-
tione propè cepit. Inde profectus Pellenem invasit, & duce Achæo-
rum perfugiente occupavit, paulò post Pheneum cepit, & Penteleũ:
statim quoq; Argivi ei accesserunt, & Phliasii præsidiũ acceperunt.
XLIX Omninò autem Achæis nihil eorũ, quæ bello ante sibi adierant, fi-
dum certumq; erat: magnisque tumultibus Aratus agitabatur, con-
cussam videns Peloponnesum, urbesq; passim à novarũ rerum stu-
diosis ad defectionem impelli. nihil enim præsenti statu conten-

tum videbat: cùm multi etiam ipsorum Sicyoniorum & Corinthiorum deprehensi essent cum Cleomene colloquia agitasse. Adversus eos Aratus libera potestate armatus, quos in Sicyonia corruptos reperit, eos necari jussit: Corinthi autem etiam inquirere & punire sontes aggressus multitudinem jam laborantem, & Achæorum Rempublicam inique ferentem exasperavit. Itaque facto in Apollinis templum concursu eò Aratum advocant, ut vel occiderent, vel captivum detinerent ante defectionem. Venit eo Aratus, ipse suum equum trahens, tanquam non diffidens ipsis, neque sinistri quicquam suspicans. multis verò exilientibus & convicia ei facientibus, constanti vultu & leni sermone considere eos jussit, neque ita confusè vociferari, sed expectare dum reliqui etiam intrarent: simulque pedetentim de fano recessit, quasi equi alicui tradendi causa. itaque se subtrahens, obviam factos Corinthios placidè compellans, & in ædem Apollinis ire jubens, ut nemine observante propè ad arcem pervenit, in equum insiluit, Cleopatroque præsidii arcis præfecto mandans, uti eam accuratè custodiret, Sicyonem contendit, triginta omninò comitatus militibus. cæteri enim deseruerant eum, & in itinere diffluxerant. Corinthii paulò post aufugisse Aratum comperientes, frustraque insecuti, Cleomenem accersunt, eique urbem tradunt: non tanti accessionem ejus urbis, quanti jacturam elapsi Arati facientes. Proinde adjungentibus se ei iis etiam, qui regionem Acten dictam incolunt, urbesque tradentibus Acrocorinthum vallo munitionibusque clausit. Ad Aratum autem multitudo Achæorum Sicyonem convenit, & in concione Imperator cum plena potestate creatus, stipatores sibi ex suis civibus delegit. Annos jam XXXIII. remp. Achæorum administrârat, ac potentia & gloria primum inter Græcos locum tenuerat: tunc verò destitutus & in maximis versans difficultatibus patriæ velut naufragio concussæ reliquias in tanto æstu & tempestate tuebatur. quippe & ab Ætolis auxilium petens repulsam tulit: & Athenienses ei cupientes Euclydes atque Micio prohibebant. Bona & domum Arati, quæ is Corinthi habebat, Cleomenes neque attigit ipse, nec passus est à quoquam violari: sed amicis ejus & curatoribus accitis, omnia ita curare & administrare jussit, ut se Arato rationes reddituros scirent. Privatim autem Tripylum, & deinde Megistonū vitricum ad eum misit cùm alia multa promittens, tum duodecim annua talenta, duplum scilicet ejus stipendii, quod à Ptolemæo quotannis accipiebat Aratus: ea conditione, ut ipse Achæorum dux designaretur, & unà cum iis Acrocorinthum teneret. Respondente Arato, res non in sua, sed se in rerū potestate esse: rideri se existimans, statim in Sicyoniam irrupit, eamq; hostiliter vastavit: ac per tres menses Sicyonem obsedit, perferente Arato & adhuc dubitante, utrum traderet Antigono Acrocorinthū: aliter enim se auxilium laturum is negabat. Interim Achæi convenerant Ægium, eoq; ad se Aratū vocabant. Erat sanè periculosum hoste ante Sycionē castra habente eò proficisci:

Callidefactum.

L

LI

deti-

detinebaturque à civibus, negantibus se hostibus in proximo sedentib. eum dimissurum: mulieres quoq; jam, & pueri, tanquam communem patrem servatoremq; flētes amplectentesq; uti maneret orabant. Nihilominus consolatus eos, utq; bona spe essent hortatus, ad mare equitavit, decem secum amicos ducens, & filium adolescētem: ac conscensis quæ ibi in statione erant navigiis, Ægium ad con-
LII cilium pervecti sunt. Decretum ibi est, ut tradito Acrocorintho Antigonus vocaretur: misitq; inter reliquos obsides etiam filiū suum Aratus. quare Corinthii irritati bona ejus diripuerunt, domumque Cleomeni dono dederunt Antigono jam cum exercitu adventante (ducebat autem xx. millia peditum Macedonum, equites MCCC.) Aratus ei clam hostibus ad Pagas cum principib. civitatis occurrit, haud admodum fidens Antigono ac Macedonibus: norat enim se eos infestando atque lædendo potentiam suam parasse, primamq; & maximam rerum à se gestarum occasionem fuisse inimicitias cum superiore Antigono. Sed tamen summam necessitatem, tempusque cui serviunt etiam ii qui imperare alioquin videntur, ita postulare sentiens, periculū subiit. Antigonus certior factus, Aratum sibi obviam venire, reliquis vulgari comitate salutatis, cum primo cōgressu perquàm honorificè amplexus est: expertusq; deinde eum virū bonum esse & cordatum, usus est eo familiarissimè. Erat enim Aratus non in rebus modò magnis utilis, sed & per ocium regi grata e-
LIII jus erat suavisque, ut nullius alius consuetudo. Itaque Antigonus, quanquam juvenis, cùm tale viri ingeniū deprehendisset, ut ejus amicitiam quacunque in re & quovis tempore commodā regi intelligeret: non modò Achæis, sed & Macedonibus suis prætulit. evenitq; Arato id, quod divinitus ei portentum fuerat. Ferunt enim ei haud multò ante rem sacram facienti duas bilis vesicas apparuisse in extis, una pinguedine contentas & aruspicem respondisse: Mox futurū, ut cum summis inimicis summam iniret amicitiam. atq; id tum nihil curasse Aratum, qui alioquin haud multum fidei extispicio & vaticiniis adhiberet, potiusque suis consiliis sideret: sed postea temporis, cùm res prospere succederent, Antigonum convivium Corinthi præbentem, multis ad id vocatis, Aratum supra se accumbere jussisse, ac paulò post vestem postulasse, & ex eo quæsivisse, an ipse etiam frigeret: cùmque respondisset omninò se algere, adferre pueros tapetem jussisse, eoque se & Aratum tegi. ibi tum Arato ejus sacrificii recordato risum obortum, eumque regi ostentum, ejusque interpretationem narrasse. Verum hæc postea temporis evenerunt.
LIV. Tunc autem Pagis juramento societate confirmatâ, statim adversus hostem contenderunt: certatumque etiam apud ipsam Corinthum est, quam & bene Cleomenes munierat, & Corinthii acriter defendebant. Interim Aristoteles Argivus, Arati amicus, occultis missis nunciis pollicetur se ei, si militem secum adduxisset, urbem traditurum. Aratus re cum Antigono communicata, ab Isthmo Epidaurum mari cum MCD. militibus properè vectus est: & Argivi

Antigonus fit Achæorum dux.

Arati apud eum gratia.

Argi recepti.

ante ejus adventum contra Cleomenis præsidium insurrexerunt, idque in arcem compulerunt. Cleomenes autem his auditis veritus ne occupatis ab hoste Argis sibi domum revertendi occasio occluderetur, omisso Acrocorintho nocte eadem Argos contendit, inque urbem, præventis hostibus intravit, & nonnihil etiam eos pulit, pugna congressus: paulò post Arato accedente, & Antigono cum copiis se ostentante, Mantineam discessit. Ex eo rursum Achæis omnes se urbes adjunxerunt, & Antigonus Acrocorinthum occupavit. Aratus autem ab Argivis prætor creatus, persuasit eis, LV ut Antigono bona tyrannorum & proditorum dono darent. Iidem Cenchreis Aristomachum excruciatum in mare demerserunt: idque factum magnam infamiam Arato peperit, quod tam injustè necari passus esset hominem non malum, ac qui ipsi obtemperasset, urbemque Achaico fœderi conjunxisset. Ac jam cætera quoque ei imputabantur, ut, quod Corinthus Antigono, tanquam vilis aliquis pagus, dono est datus: quod Orchomenum ei diripiendam, & præsidio Macedonico tenendam permiserunt: quod decreverunt, ne cui regi scriberent, aut legationem ad aliquem regem mitterent injussu Antigoni: quod alere Macedonas, & stipendia illis persolvere coacti sunt: quod sacrificia & spectacula in honorem Antigoni celebrabantur, Sicyoniis ejus rei initium præbentibus, qui Antigonum Arati hospitem urbe exceperant. Horum omnium culpam vulgus Arato adscribebat, ignorans, eum traditis regni habenis, ejus potentiæ impetu trahi, nihilque præter voce, cujus periculosa erat libertas, in sua habere potestate. Nam haud obscurum erat, pleraque LVI eorum quæ agebantur, Arato graviter displicere, quale fuit, quod Antigonus tyrannorum statuas Argis dejectas reposuit: & eorũ, qui Acrocorinthum ceperant, stantes omnes, excepta Arati, dejecerat, diu multumque, sed frustra deprecato Arato. Iam Achæi quæ de Mantinea statuerunt, nequaquam Græco more statuisse judicantur. Capta enim Antigoni opera Mantinea, primos nobilissimosque civium necaverunt, reliquos partim vendiderunt, partim compedibus vinctos in Macedoniam miserunt, mulieres & pueros in servitutem abduxerunt, pecuniæq; ex mancipiis partæ trientem ipsi inter se diviserunt, besse Macedonibus tributo. Hæc quidem ultionis jure defendi possunt. quippe tametsi atrox est facinus, propter iram homines cognatos ac populares ita tractare: tamen necessitate urgente dulce est (ut ait Simonides) neque durum animo tanquam æstuanti præ dolore remedium aliquod adhibere, eumque exsatiare. Reliqua ita Aratus egit, ut neque necessariam possit, neque honestã afferre excusationem. Cùm enim Antigonus Mantineam Argivis dono dedisset. iique coloniam eò ducere statuissent, præfectus ei rei ab ipsis Aratus, decretum fecit, ut urbs non amplius Mantinea, sed Antigonea, appellaretur. quod quidem nomen ea adhuc retinet. videturque culpa Arati elegans illa Mantinea protinus deleta, urbsq; nunc restare, quæ nomen ab iis servet, qui Mantinenses exciderunt.

Crimina Arato obiecta.

Mantinensium calamitas.

Secun-

LVII Secundum hæc Cleomenes magna pugna apud Sellasiam victus, relicta Sparta in Ægyptum navigavit: Antigonus erga Aratum omni justitia benignitateque usus, in Macedoniam se recepit: jamque ibi morbo conflictans, successorem regni Philippum, nondum planè adultum in Peloponnesum misit, mandato ut quàm maximè Arato animum adverteret, ejusque opera cum civitatibus colloqueretur, & Achæis innotesceret. Atque hunc sanè Aratus acceptum ita tractavit, ut benevolentiæ erga ipsum, summique rerum Achaicarum studii plenus in Macedoniam redierit. Mortuo Antigono, Ætoli contemptis Achæis, qui aliorum manibus adsueti servari ac defendi, armis Macedonum se commiserant, altoque in ocio & nullo ordine agebant, res Peloponnesiacas aggressi sunt: obiterque præda ex Patrensium & Dymæorum agris acta, in Messeniam irruperunt, eamque depopulati sunt. Quod indignè ferens Aratus, Timoxenumque eo tempore Achæorum prætorem videns cunctari, cùm jam magistratus ejus esset in exitu, ipse prætor designatus, auxilii Messeniis ferendi gratia quinque diebus præturam antecepit: conductisque Achæis, quorum neque corpora exercitationibus ad bellum parata, & animi dissoluti erant, apud Caphyas succubuit.

Philippus Antigono succedit.

Ætoli Achæos infestant.

LVIII Cùm autem eam expeditionem creditus esset nimis animosè suscepisse, ita tum elanguit, itaque spem omnem & rem dimisit, ut sæpe sibi ansam nocendi præbentes Ætolos impunè passus sit multa cum petulantia & ferocia quasi per commessationem insultare Peloponneso. Itaque rursus Achæi in Macedoniam manus intendentes, Philippum acciverunt, sperantes ob benevolentiam præcipuè ejus erga Aratus se eum facilem mansuetumque experturum. Verùm is tum primùm calumniis adversus Aratum Apellis & Megalæi, aliorumque nonnullorum aulicorum persuasus, contrariæ factioni in deligendo prætore se addidit fautorem, effecitque ut ab Achæis prætor crearetur Eperatus. Sed cùm is ab Achæis omnino despiceretur, Aratus rempublicam negligeret, atque ita nihil utile ageretur, intelligens Philippus errorem suum, iterum ad Aratum se contulit, totumque se ei tradidit: cùmque res ita succederent: ut & gloria & potentia cresceret, totus ab eo dependit, incrementa sua ei accepta referens. Videbaturque tum Aratus non popularis modò, sed etiam regii imperii bonus esse magister: cujus ingenium & consilia tanquam color quidam in actionibus re-
LIX gis elucescebant. Nam & animi moderatio Philippi in delicto Lacedæmoniorum puniendo, & colloquium cum Cretensibus, quo paucis diebus totam sibi adjunxit insulam, & in Ætolos expeditio, in qua confectæ res admirationem merentur, de Philippo obedientiæ, de Arato prudentiæ opinionem excitaverunt. Eò magis invidentes aulici, cùm clandestinis calumniis nihil proficerent, palam convicia ei facere, impudenterq; & scurriliter rixari cum eo in conviviis cœperunt. semel etiam redeuntem à cœna in tentoriũ lapidibus impetentes persecuti sunt, quos Philippus iratus viginti talen-

Aratus spretus & rursum elatus.

talentis statim mulctavit: & post cùm obesse rebus gerendis, turbasque dare viderentur, necavit. Enimverò successu rerum elato rege, & erumpentibus jam multis vehementibusque cupiditatibus, insita à natura vitia adsciticium habitum vicerunt, paulatimque foras se proripuerunt, & ingenium regis detexere. Primum aliquandiu hospitio Aratorum utens, occultè junioris uxorem corrupit. Deinde reipublicæ administrationi adversari cœpit, neque obscurè indicavit excussurum se Arati societatem. Initium simultatum res Messeniacæ præbuerunt. Cùm enim Messenii seditione laborarent, Aratum eo ut opem ferret civitati properantem uno die prævertit Philippus: urbemque ingressus, statim stimulos uni contra alteram factioni indidit: seorsim ex magistratibus quærens, nullasne contra plebem leges; & ex ducibus plebis, nullasne contra tyrannos manus haberent. Eo modo utrisque instigatis, magistratus compescere duces vulgi intendit. hi verò cum multitudine facto impetu, magistratus trucidaverunt, & de ceteris prope ducentos. Hoc tam atrox facinus cùm edidisset Philippus, Messeniorumque seditioni quasi flammam addidisset, superveniens Aratus haud dissimulavit indignè se id ferre, filiumque acerbè cum Philippo expostulantem, & convicia addentem non inhibuit. Videbatur autem junior Aratus amator esse Philippi, ac tum inter cætera dicebat: Ne formam quidem ejus sibi jam placere, sed ob id factum sibi eum omnium turpissimum videri. Huic Philippus nihil respondit, quanquam propter iram videratur, sibi non temperaturus, & dicente eo aliquoties sublatrasset. Seniorem autem simulans civili se ingenio præditum, æquo animo dicta ejus tulisse, manu apprehensum in Ithomatam (arx ea est Messeniorum) adduxit, Iovi ibi rem sacram facturus, & locum contemplaturus. Est autem arx haud minus munita quàm Acrocorinthus: quæ si præsidio teneatur, multum incommodare vicinis, vixque omninò expugnari potest. Eò cùm adscendisset, sacrisque esset operatus, ab aruspice ad se allata exta utraque manu excipiens, Arato & Demetrio Phario monstravit. alternis ad utrunque inclinans, interrogansque, ecquid ea teneri à se arcem, an verò Messeniis reddi juberent. Ibi Demetrius ridens: Siquidem, inquit, aruspicis tibi est animus, dimittes arcem: sin regius, utroque cornu bovem tenebis, innuebat autem obscurè Peloponnesum, si Philippus Acrocorintho Ithomatam addidisset, planè sub ejus potestate, humilemque fore. Aratus cùm diu tacuisset, rogatus à rege suam sententiam explicare: Multi, ait, ô rex in Creta, magnique montes ex terra enati sunt, multi in Bœotia & Phocide. tum in Acarnania quoq; & mediterranei & maritimi loci mirificè muniti: quorum tu cùm nullum occuparis, omnes tamen incolæ ultrò imperata faciũt. quippe saxis & præcipitiis latrones inhærent. rex fidelitate suorum & favore fortius tutiúsve habet nihil. ista tibi Creticum mare aperuerunt, ista Peloponnesum: his tu fretus ea ætate eò pervenisti, ut aliorum jam dominus, aliorum dux sis. Adhuc eo loquente Philippus

Vitia Philippi.

Messeniorum seditio. LX

Arx Messenia.

LXI

pus extis aruſpici redditis, ipſumque Aratum manu trahens: Agedum igitur, inquit, eadem eamus via. ſubindicans ſe ab eo victum,
LXII ac urbe ea privatum. Aratus verò exinde ſe ex aula ſubducens, paulatimque conſuetudinem cum Philippo declinans, oratus ab eo in Epirum moliente expeditionem ut unà proficiſceretur, abnuit, domique remanſit, ne ejus mala facinora ſibi ignominiam parerent. Vt vero Philippus turpiter à Romanis exutus claſſe, & re tota infeliciter geſta in Peloponneſum rediit, Meſſeniosque fruſtra aggreſſus fraude circumvenire, palam infeſtavit, agrumque eorum eſt populatus: omnino cum averſatus eſt Aratus. jam etiam injurias gynæceo ſuo illatas ſentiens, moleſtèque ferens, ſed tamen clam filio habens id enim unum reſtabat, ut is de illata ſibi contumelia certior fieret: ulciſcendi occaſio non erat. Et quidem apparebat Philippum mirificè admodum eſſe immutatum: qui ex adoleſcente temperante, & rege manſueto homo impurus & tyrannus perditiſſimus eſſet factus. verum, ea non erat mutatio naturæ, ſed in licentia demonſtratio nequitiæ propter metum occultatæ. Eam enim ejus fuiſſe erga Aratum voluntatem, quam verecundia & me-
LXIII tus occuluerint, poſtea patuit. Nam cùm eum cuperet de medio ſublatum, vivo eo non modo regem aut tyrannum, ſed ne liberum quidem ſe futurum exiſtimans, vi quidem abſtinuit, Taurioni autē uni ducum amicorumque ſuorum rem conficiendam occulto præcipuè modo & veneno, idque ſe abſente, mandavit. atque is Taurio inita cum Arato familiaritate, venenum ei propinavit, non acre aut vehemens, ſed quod primò calores molles in corpore, & obtuſam efficeret tuſſim, itaque paulatim mortem afferret. Neque id fefellit Aratum: ſed quia detecto flagitio nihil erat effecturus, tacitus placidè id malum, veluti communem aliquem & uſitatum morbū pertulit. tamen Cephalone, uno de ſuis familiaribus in cubiculo adſtante, cùm cruentum expuiſſet, vidente eo & admirante: Hæc, ait, præmia ſunt amicitiæ regiæ. Ita eò Ægii extincto, quo tempore decimum ſeptimum præturam gerebat, Achæisque omni ſtudio in id incumbentibus, ut ibidem digna ejus vita ſepultura monumētisque ornaretur: Sicyoni calamitatis loco ducebant, ſi alibi, quàm apud ſe ille ſepeliretur: itaque ab Achæis impetrarunt, ut ſibi humandus concederetur. Quia autem antiqua erat lex, ne quis intra muros ſepeliretur, eamque legem magna comitabatur ſuperſtitio: Delphos miſerunt ea de re ſciſcitatum Pythiam. eſt autem iis tale oraculum redditum: *Mors eius.*

Conſultas Sicyon, ubi ſit tumulandus Aratus?
Fas id ubicunq; eſt: aderit ſua gratia tumba.
Quippe nefaſtus erit terræ cœlive marisve
Qui gravet heroem hunc locis impoſitumve gravetur.

LXV Hoc allato reſponſo cùm cæteri Achæi, tum verò Sicyonii delectati ſunt: mutatoque in feſtivitatem luctu, coronati albisque induti veſtibus corpus ejus ſtatim ab Ægio Sicyonem deportarunt, pæa- *Sepultura.*

nes

nes choris accinentes: ac loco delecto, qui omnium conspectui pateret, tanquam conditorem servatoremque urbis sepeliverunt. Loco etiamnum est nomen Aratium. Sacrificia duo in ejus honorem celebrabantur quotanis. alterum eo die, quo urbem tyrannide liberavit: quinto scilicet die Dæsii mensis, quem Athenienses Anthesterionem appellant. sacrificium à salute parta Soteria nominabāt: alterum eo mense peragebatur, in quem ejus natalis competiisse traditur. Prius sacrificium Iovis servatoris sacerdos auspicabatur: posterius quidam, Arati strophium non totum album, sed semipurpureum tenens. ab histrionibus ad citharam carmina accinebantur, pompamq; puerorum & epheborum juxta ducebat gymnasiarcha, sequente senatu, & cæteris, qui volebant, civibus. Vt defungantur suo officio Sicyonii, adhuc quædam eorum indicia servant ac celebrant: pleraque in honorem Arati instituta, temporum & rerum mutationes aboleverunt. Porrò autem Aratum juniorem scelero- LXV
sus homo & juxta injuriosus atque crudelis Philippus, non lethalibus, sed ad insaniam redigentibus venenis de potestate mentis deturbavit: ita ut absurdos atrocesque impetus ad facinora horrenda caperet, resque perniciosas cum dedecore appeteret. adeoque mors ei, quanquam juveni & florenti, non calamitas, sed liberatio à malis & salus accidit. Præclaras autem pœnas Iovi hospitii amicitiæque tutori suorum scelerum dedit Philippus, easque continentes. Etenim debellatus à Romanis, cùm suas res eorum arbitrio permisisset, misericordia eorum Macedoniam & ad eam pertinentes regiones obtinuit, reliquis omnibus spoliatus, & navibus præter quinque universis: pactusque mille talenta se soluturum, filium obsidem tradidit proinde optimos quosque & genere proximos necans metu & odio sui cùm totum implevisset regnum, filium virtute præstantem (quod unum ei inter tot mala bonum supererat) invidia honoris, in quo is apud Romanos erat, interfecit: Persæo alteri filio, quem non genuinum fuisse, sed suppositicium, Gnathænio lartrice natum perhibent, regnum reliquit. De hoc Persæo triumphavit Æmilius: inque eo successio regum ab Antigono prognatorum desiit. Arati genus Sicyone & Pellenæ in hunc usque diem propagatum est.

IN ARATVM ANNOTATA ab Interprete.

ARatum vixisse eodem tempore, quo Cleomenes Spartæ rex fuit, & Antigonus Macedoniæ, satis ex vita Cleomenis constat. Vide omninò de ejus ætate & æqualibus Polybium lib. 2. nec non de rebus ejus gestis.

Cap. 1. Anne suum laudet.) *Proverbium hoc etiam in Chiliadibus Erasmi exponitur. Notum est autem plerosq;, cùm nihil ipsi habeant*

beant proprium, quod laudem mereatur, ad paternas & avitas laudes (uti claudi ad equum) recurrere. Quasi vero iis occini merito non queat, Heroum filios esse noxas. *Extant in hanc sententiam multæ graves & argutæ veterum Græcorum poetarum sententiæ, sed nostrum institutum non patitur nos eas huc cogere. Eleganter Ovidius sub persona Vlyssis,*

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.———

Quod ad Græcum versum attinet, αἰνήσει' *cum apostropho si legatur, erit elegantior: ut sit modus potentialis, ut vocant aoristo optativo expressus. Certè Erasmus ita legit, an ex autoritate libri, an ex ingenio? Cic. lib. ad Atticum primo, ubi de se sui ipsius laudatore loquitur, scite adducit partem versus,* τίς πατέρ' αἰνήσει: *sed quia non adduxit totum, non multum id meæ lectionis opinioni detrahet. Fieri enim potest, ut non retulerit parœmiam, sed ad eam (ut frequenter alias) alluserit.*

Ibid. Sui ipsius.) *Sensus est: Tu quidem ô Polycrates vir es præclarus: sed nimis tibi ipsi placeres, si tantum tibi tribueres, ut non Aratum potius imitandum tuis filijs, quam te proponeres. Ac videntur illa verba,* παντὸς ἀεὶ βέλτιστον, *non vacare mendo: sed deesse* ἑαυτὸν, *aut aliquid tale. Lapus quidem corrupit sententiam,* φιλοκάλων *autem est, optima & nobilissima exempla ad imitandum alijs proponere, non temere seipsos, neq; semper.*

Cap. 3. Et ligonis usum.) καὶ τὸ σκαφίον. *Lapus* scapham *vertit, siquidem hoc est vertere.* σκαφίον *apud Græcos duo significat, tonsuræ genus, & ligonem seu sarculum. Cum tonsuræ genus est,* ἐν χρῷ *significat, id est, cum novacula crines raduntur: eiq; opponitur* κῆπος, *quod est tonsuræ genus ad ornatum forma magis faciens. Aristoph. interpres in Avibus, Eustath. in Il. μ. & alij. Sed huc non facit. Quod autem ad ligonem attinet, athletas solitos se eo ad firmandũ robur exercere innuit Theocrytus Idyll. 4. quod inscribitur* νομεῖς. *de pastore loquens, qui Pisas certaturus & athletam acturus se contulerat.* σκαφίον.

ᾤχετ' ἔχων σκαπάναν τε, καὶ εἴκοσι τοῦδε μᾶλα. *Interpres ostendit carnes eum ovium secum detulisse, ut haberet quod voraret. & de voracitate athletarum res est notior quàm ut verbis opus sit. De ligone autem qui* σκαπάνη *etiam dicitur (hoc quoq;* παρὰ τὸ σκάπτω, fodio*) interpres ait vocari* δικέλλαν σκαφεῖον, *vulgò* λισγάριον *&* τζάπιον, *Atticè* ἄμην. *Solitos autẽ athletas, pugiles præsertim, se eo exercere, & fodiendo superioribus corporis partibus robur quærere.*

Cap. 4. Pasæam quoque.) πασίαν *hic est; supra* ὁ πασέου *quod & rectius est. Nam Pausanias quoq; lib. 2. ita habet,* ὁ ἀβαντίδου πατὴρ πασέας.

Ibid Aspectatum venientiũ turba conculcatum.) καταπατηθῆναι *non ab* ἀπατάω *sed à* πατέω *verbo deduci, vel pueri sciunt. Lapus hic oscitavit, & nescio quid erroris Spartanis attribuit errore ipse lapsus.*

Cap. 5.

Cap.5. In urbe Arcesilaum.) In urbe, *id est Athenis: ita enim de Athenis aliquando loquuntur Græci, ut de Roma Latini. Videtur autem is esse, quem Arcesilaum vocat Cicero. Nam legendum est omnino* ἀρκεσίλαον, Arcesilaum, *ut & Strabo lib. 1. hunc nominat, Academicum nobilem. Laertius ex Apollodoro tradit eum floruisse Olympiade CXX. hæc autem non multò post CXXX Olympiadem gesta sunt. Quin & initiò Philopæmenis noster eum Arcesilaum scripsit, quod hîc vitiârat librarius. Ecdelus autem qui hic legitur, ibi est Ecdemus.*

ἀχάνη, Cap.7. In modios frumentarios.) ἀχάνας. *Malui genus vertere, cùm hic non de quantitate mensuræ quæratur, sed de vase simpliciter.* Achana *genus est mensuræ frumentariæ Persicum. ut apud Ægyptios* artaba : *continet (ut testatur Aristoteles) medymnos Atticos XLV. Alij cistam esse dicunt, in quam publicè ad spectacula aut oraculum consulendum missi sua cibaria condunt. Hæc interpres Aristophanis in versum Acharnensium:* οὐκ ἀλλ' ἀχάνας ὁ δίγῳ χρυσίου λέγει. *Eadem ferè Eustathius in 2. & 19. Vlissẹæ.*

Cap.8. Apollinem propitium.) ὑπερδέξιον. *Hoc vocabulum ferè de loco sumitur, ut* τόπος ὑπερδέξιος, *&* χωρίον ὑπερδέξιον, *unde propter sublimitatem commodè pugnatur, usitata est phrasis historicis. Itaque Apollinem etiam* ὑπερδέξιον *intelligo, cujus præsidio sperabant se hostibus superiores fore,*

Cap.12. Neque quicquam magis) *Locus in Græco non est, nisi parum video, integer. Itaq; feci, quod potui: libenter melioribus cessurus.*

Cap.17. Gloria ad Herculeas innotuit usque columnas.) *Non disputo, ut hæc carmina Lapus converterit. Ego paulò liberius verti,*
πλάθω. *ut sensum utcunque redderem.* πλάθεται, *in primo pentametro,* appropinquat *est, media voce à* πλάθω. *qua usus est etiam in Electra Sophocles.* —— τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστὰ πλάθειν: *id est,* πελάζειν. *Quod non interpretes modò ibi docent, sed & Eustathius hunc versum citans in Odyss. υ. ait,* πλάθειν *verbum esse* παρὰ τοῦ πλῶ, τοῦ πελάζω *deductum.*

Cap.23. Tanta erat hominis.) πρὸς τὸ ἀγύρειον. ὁ δὲ, οὕτω γάρ *Nisi legas* ἀργύρειον τόδε. οὕτω γάρ *&c. aut omnino illud* ὁ δὲ *omittas, necesse erit locum mutilum intelligi, ac comparationem à Plutarcho fuisse propositam, cujus prior pars interciderit.*

Cap.47. Venatorem Æsopicum.) *Alludit ad nobilem illam fabulam de homine, qui equo communibus armis à cervo pulso, ita opem tulit, ut in posterum equo semper vectore ipse uteretur. Extat apud Aristotelem in Rheticis, & Horatium, ibi:*

Cervus equum pugna melior, &c.

Cap.50. Acten dictam.) *Regio est Peloponnesi maritima ad Corinthum. Stephan. ex Thucydide.*

Cap.57. Et Dymæorum.) δυμαίων *est legendum, non* κυμαίων,

Quod

Quod miror retinuisse interpretem, cùm in Achaia nulla Cuma, Dyme *autem sit notissima.*

Cap. 59. Iunioris uxorem corrupit.) *Livius libro 27. de Philippo loquens:* Vni etiam, *inquit*, principi Achæorum Arato adempta uxore Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. *De cæteris vide Polyb. lib. 4. 5. 8. & Pausaniam in Corinthiacis. Paulò superius hæc verba,* ἔγνω διαμαρτάνων τοῦ παντὸς ὁ Φίλιππος, *Lapus corrupit, & videtur nullo sensu legisse,* πατρός. *Significant autem, Philippum sensisse, quod posthabito Arato res aggressus, tota aberrasset via.*

Cap. 64. Vt defungantur suo officio.) ἐξοσιούμενοι. *Lapus valde absurde vertit* Expiati. *quæ tamen interpretatio etiam in Græca irrepsit Lexica. hinc (opinor) petita. Est autem* ἐξοσιοῦσθαι, *idem quod.* ἀφοσιοῦσθαι, *quo in Pericle & Cimone usus est verbo autor noster,* ἀφοσιούμενος τὴν προβολήν, *id est*, ut muneri sibi mandato utcunque, & perfunctorie (*quod ajunt*) satisfaceret. *Ita hic dicit Sicyonios, cùm plerosq; ritus sacrorum in honorem Arati institutorum omitterent, quædam tamen, ut defungi suo pietatis officio viderentur, quotannis celebrasse.*

PLVTARCHI GALBA, GVILIELMO XYLANDRO Augustano, interprete.

I IPHICRATES quidem Atheniensis in mercenario milite cùm divitiarum tum voluptatum cupiditatem requirit: ut sumptus quærens, qui ad voluptates perfruendas suppeditent, tantò audacius pericula adeat. Plerique exercitum veluti validum corpus, nullo proprio impetu, sed ducis tantum motibus cieri debere asserunt. Quapropter ferunt Æmilium Paulum, cùm is exercitum in Macedonia accepisset loquacitatis & curiositatis plenum, & se curis muneribusque imperatoriis ingerentem, præcepisse ei, ut unusquisque manum promptam, & acutum gladium præstaret: sibi reliqua curæ fore. Platoni etiam bonum ducem nihil efficere posse perhibenti, nisi eodem modo affectum & moderatum habeat exercitum, virtutemq; obtemperandi haud minus quàm regiam existimanti indigere generosa indole, & educatione philosophica, quæ præsertim concinnè temperet mansuetudine vehementiam iracundiamque animi: cùm alii multi casus testimonium perhibent, tum ea quæ post Neronis obitum acciderunt Romanis, ostenduntque ea nihil esse in imperio terribilius exercitu qui impetibus ab imperitia

De militibus & ducibus.

II profectis, nullaque ratione aut consilio coercitis feratur. Demades Macedonicum exercitum Alexandro vita functo Cyclopi excæcato conferebat, videns eum multis inordinatis & incertis agitari motibus. Romanorum verò imperium iisdem affectum est malis atque motibus, quibus Titanas ferunt: simul & in multas divulsum partes

partes & in sese passim mutuò incidens, neq; id tantum ambitione designatorum imperatorum, quantum avaritia & libidine militum, imperatorem imperatore veluti clavum clavo expellentium. Dionysius Pheræum illum, qui tyrannide per decem tantum menses in Thessalos obtenta interfectus fuit, Tragicum vocabat Tyrannum: subitæ mutationi illudens. At verò Palatium, Cæsarum domus, breviori temporis spacio quatuor imperatores excepit, militibus tanquam in Scena modò introducētibus aliquem, modò educentibus. Id unicum consolabatur eos qui in calamitatem incidebant, quod non aliam vindictam expetendam sibi ab autoribus malorum, sed ipsos ab seipsis interfici cernebant. Prius eo modo pœnas luit Nymphidius Sabinus, & quidē justissimas: qui primus animos hominum inescaverat, docueratque mutuatione Cæsaris magnum præmium quærere: & pulcherrimum facinus, defectionem scilicet à Nerone, mercede promissa in proditionem verterat. *Nymphidius.* Is enim Nymphydius, III præfectus (uti demonstravimus) aulæ cum Tigellino, ut primùm Nero rebus suis deploratis videbatur in Ægyptum fuga abiturus, perinde ac si is jam profugisset, militibus persuasit, uti Galbam imperatorem crearent: promisitque ejus rei gratia aulicis & prætoriis (ut vocant) militibus viritim denarios septies mille, D. iis qui in provinciis militabant, MCCL. quam pecuniam nisi pluribus quàm Nero maleficiis totum humanū genus affecisset, nullo modo comparare poterat. Ea promissio primum Neronem, mox Galbam perdidit: quorum alterū spe accipiendi prodiderunt, alterum quod non pendebat necaverunt, ac postea quærentes eum qui tantundem daret, prius quàm voto potirentur, inter defectiones & proditiones perierunt ipsi. Singula eventa commemorare, amplioris est historiæ, quæ autem digna memoratu Cæsaribus acciderunt, prætermittenda mihi nequaquam duxi. Sulpicium Galbam privatorum o- IV mnium opulentissimum in domum Cæsarum intrasse constat. Cùm esset autem ob nobilitatem gentis Serviorum magni nominis, majores tamē sibi sumebat spiritus propterea, quod ad Catulum stemma suum pertineret, hominem virtute & gloria inter æquales primum, sed qui potentiam ultrò aliis concessisset, Liviam quoq; Augusti uxorem cognatione attingebat: eaque ita operam dante, consul ex Palatio progressus est. Fertur cùm exercitui in Germania præclarè præfuisset, tum ita proconsul Africam gubernasse, ut inter paucos laudem meruerit. Frugalitas ejus in victu, & in sumptibus faciēdis parsimonia imperium adepto tanquam sordes vitio data est: ea enim inanis opinio modestiā ejus temperantiamq; consequebatur. Missus est ad regendam Hispaniam à Nerone, nondum sibi à civibus magnæ existimationis metuere docto: utque eò minus timeretur, ad mansuetudinem ingenii, qua præditus videbatur, senectus accedebat. Cùm autem scelerati procuratores Neronis crudeliter pro- V vincias lacerarent, quia nihil aliud poterat auxilii ferre, manifesta tamen sua miseratione & indignatione utcunq; respirandi occasionem

nem iis qui damnabantur vendebanturq; præbuit. cùmque in Neronem carmina componerentur, & passim circumferentur atq; cantarentur, non prohibuit, neq; ut procuratores indignè tulit. Propterea gratior erat, acceptiorque hominibus jam diuturnitate etiam temporis familiaris factus. Octavum enim jam annum provinciæ præerat, cùm Iunius Vindex Galliæ præfectus contra Neronem insurrexit. Sanè ferunt ad eum à Vindice etiam antequàm palam deficeret literas missas: quibus ille cùm non fideret, non divulgasse tamen rem, neq; more aliorum fecisse, qui epistolas ad se scriptas ad Neronem miserunt, & quantum in ipsis fuit, consilia Vindicis irrita fecerunt qui ipsi tamen deinde cùm ejus actioni socios se adjungerent, fassi sunt se non minus ejus quàm Neronis proditoris fuisse. Sed postquàm Vindex manifestum bellum parans ad eum scripsit, hortans ut imperium susciperet, seque valido corpori caput quærenti imponeret, Galliæ nimirum, quæ centum hominum millia in armis haberet, & armare plura posset: ibi tum Galba deliberationem
VI cum amicis instituit. Pars eorum expectandum censebant tantisper dum apparet, qui motus Romæ ad novas res existerent. Titus autem Iunius prætoriæ cohortis dux: Quid deliberatis, inquit, ô Galba? Equidem quærere an Neroni fidem servemus, jam servantium est. Ergo Neronem pro hoste haud dubiè habentibus, nequaquam Vindicis societas est dimittenda: aut profectò accusandus statim est, belloque petendus quod te Romanorum imperatorem, quàm Neronem tyrannum esse mavult. Proinde edicto diem Galba indicavit, quo manumissioni esset vacaturus. interim rumor dissipatus multitudinem hominum accivit, novarum rerum cupidam. Itaque priusquàm tribunal planè conscenderet, una omnium voce Imperator est salutatus. quo ille in præsentia nomine repudiato, in Neronem invectus clarissimisque eorum quos ille necaverat deploratis, professus est se suam patriæ prudentiam utendam dare, neq; vel Cæsaris, vel Imperatoris, sed legati S. P. Q. R. nomen accipere.
VII Prudenter Vindicem egisse, quod Galbæ summam rerum detulit, ipse Nero testatum fecit. Simulans enim is se Vindicem contemnere, neq; quicquam curare motus Gallicos: simul ac de Galba inaudiit, mensam, ut tum à balneo prandebat, subvertit. Veruntamen cùm senatus Galbam hostem decrevisset, ludendi & se animosum ostentandi causa amicis dixit, non incommodum sibi pecunia indigenti consilium quasi omine quodam ostensum. nam & Gallorum subactorum bona sibi prædæ cessura: & Galbæ jam hostis judicati opes vendere sibi licere. atq; hoc ut fieret, statim mãdavit. Quo audito Galba bona Neronis, quæ is in Hispania habebat, proscripsit, multosque ad emendum promptiores reperit. Cùm à Nerone multi deficerent, omnesque propemodum Galbæ se adjungerent, soli aliud in Africa Clodius Macer, in Gallia Germanicarum legionum præfectus Virginius Rufus, sed diverso tamen consilio, agebant. Clodius, qui rapinis & cædibus grassatus fuerat, propter

crudelitatem suam & avaritiam eo in statu erat, ut constaret eum
neque retinere, neque dimittere imperium posse: Virginius poten-
tissimarum præfectus legionum, & ab iis sæpe imperator salutatus,
neque se imperium accepturum neq; cuiquam injussu senatus tra-
di passurum affirmabat. Hæc initio haud mediocriter Galbam per- VIII
turbabant. Sed ubi Vindicis ac Rufi exercitus vi quodammodo du-
ces, tanquam aurigas habenarum impotentes, ad magnam conse-
rendam pugnam perpulerunt: cùm in ea Vindex XX. millibus Gal-
lorum suorum amissis mortem sibi consciviset, rumorq; esset Rufi
milites tanta victoria elatos in hoc consensisse, ut vel ducem suum
Imperatorem crearent, vel illo detrectante rursus ad Neronem defi-
cerent: extremo in metu constitutus Galba, Virginium per literas
hortatus est, ut sibi socium se adjungeret in libertate imperioque
Romanis conservando. Ipse cum amicis Cluniam Hispaniæ oppi-
dum reversus, magis pœnitentia factorum, & desiderio pristini con-
suetique ocii, quàm rebus necessariis parandis deditus, tempus tra-
xit. Erat tum æstas. Paulò ante occasum solis eò Siculus quidam
pervenit libertus, septimo quàm Roma abierat die. is cùm seorsim
decumbere Galbam accepisset, illicò ad conclave ejus contendit,
invitisque cubiculariis ingressus, renunciavit ei: Vivente etiam-
num Nerone, sed latente à militibus primùm, deinde à populo et-
iam & senatu Galbam Imperatorē dictum: paulò post de obitu Ne-
ronis allatum nuncium: cui tamen non ante fidem adhibuerit, quàm
ipse ad cadaver accurrisset. eo viso demum se discessisse. Hic nun- IX
cius Galbæ animum erexit: eoq; confirmatorum hominum multi-
tudo ad ipsum confluebat: tametsi celeritas videbatur incredibilis.
Sed duabus post diebus Titus cum multis aliis à castris venit, sin-
gillatim ea quæ decrevisset senatus annuncians. Atq; is quidem ho-
nestum ad locum evectus est: liberto jus aurei annuli Galba dedit,
ac deinceps Marcianus Vicellus nominatus, primus potentia inter
Nymphidij conatus. libertos fuit. At Romæ Nymphidius Sabinus non sensim aut paula-
tim, sed simul ac semel totam ad se rerum summam rapiebat, quip-
pe & Galbæ senectutem (natus is tum erat annos LXXIII.) expro-
brabat, ob quam vix satis virium haberet uti lectica Romam gesta-
retur: & milites jampridem bene erga ipsum affecti, ac tum ab uno
dependentes, Galbam debitorem suum, Sabinum ob magnitudi-
nem promissi donarii benefactorem putabant. Ergo Sabinus statim
Tigellino collegæ suo mandat, uti gladium deponat: ipse conviviis
consulares & principes viros excipit, Galbæ nomine eos à se vocari
adhuc prætexens: & subornat multos, qui in castris autumarēt, mit-
tendos esse ad Galbam qui petant ut Nymphidium perpetuum præ-
torii præfectum absque collega esse vellet. Aucta deinde hominis X
est confidentia senatus decretis ad honorem ei & potentiam facien-
tibus, cùm & benefactor appellaretur, & quotidie ad fores ejus con-
cursans senatus, autorem eum sententiæ, ac confirmatorem decre-
torum rogaret. ita brevi temporis spacio effectum est, ut non invi-
diosus

diosus modò iis qui eum colebāt,sed & formidabilis existeret. Cùm publicos famulos consules destinassent, qui decreta ad Imperatorem perferrent, iisque obsignata diplomata tradidissent, quibus agnitis singularū urbium magistratus dispositis vehiculis iter tabellariorum acceleraret: haud mediocriter indignatus est, quod non ab ipso militibus sigilloq; acceptis isti missi essent: cùmq; de animadvertendo in consules jam deliberaret, excusatione eorum & deprecatione est mitigatus. Populo autem ut rem gratam præstaret, liberum fecit, ut in quoscunq; Neronianos incidisset, eos ad supplicium raperet. Itaq; Spicillum gladiatorem statuis Neronis, quæ tum in foro trahebantur, subjectum necarunt: Aponium ex delatoribus unum in vultum prostratum superinductis saxa vehentibus carris interfecerunt: multos alios discerpserunt, inq; his aliquot insontes. ita ut Mauriscus vir & re ipsa & opinione optimus ad senatum dixe-
XI rit: Vereri se, ne mox Neronem essent desideraturi. Interim Nymphidius ad majorem subinde spem veniēs non abhorruit filius Caij Cæsaris Caligulæ vocari. is enim, ut creditum est, adolescens adhuc cum Sabini matre rem habuerat, muliere formæ non inelegantis, quam prius vestes fuere mercede solitam Callistus ejus libertus duxerat. Sed videbatur nato jam Nymphidio Caligula cum ea cojisse: credebaturq; Sabinus Martiani gladiatoris filius, quem ob famam Nymphidia amasset, & verò forma hunc magis referebat. Enimverò Nymphidiæ filium se esse professus, sibiq; soli excidium Neronis adscribens, neque tamen satis præmii eam ob rem se adeptum putans, quod tantis honoribus affectus, tantas opes consecutus, cum Sporo Neronis (quem statim à rogo adhuc ardente Nerone acciverat: locoq; uxoris habebat, Poppæóq; ei nomen fecerat) dormiret: ad successionem imperii adspiravit: ac quædam ipse Romæ clanculum opera amicorum conficiebat, & mulieres quasdam, senatoriique ordinis viros: unum de amicis suis Gellianum in Hispaniā mi-
XII sit, exploratum ut res se ibi haberent. Galbæ autem post mortem Neronis omnia succedebant. Virginius modò Rufus, de quo nihil certi constabat, anxium tenebat: ne qui præter hoc quod magno & fortissimo præerat exercitui, nuper etiam victo Vindice gloriam auxisset, Galliamque, magnam Romani imperii partem, & ad defectionem inclinatam in sua haberet potestate, imperium deferentibus obtemperaret. neque sanè tum quisquam majori, quàm Virginius Rufus, gloria fuit: existimabaturque & molesta tyrannide, & Gallicis bellis sublatis maximum rebus Romanis momentum attulisse. Verùm is tunc institutum suum servans, senatui electionem Imperatoris integram reservabat. quanquam Nerone mortuo & urgere rursus multitudo, & quidam tribunorum militum qui aderant ad tabernaculum stricto ense eum vel Imperium, vel ensem admit-
XIII tere jussisset. Sed cùm Fabius Valens unius legionis dux, primus Galbæ ut Imperatori suos sacramento obligavit, literæque Roma, quibus S.C. continebatur, venerunt: magno quidem labore, sed tamen

men persuasit suis Virginius, ut Galbam Imperatorem agnoscerent: missumque sibi successorem Flaccum Hordeonium admittens, traditis ei copiis, ipse Galbæ jam accedenti occurrit, ac se comitem ei addidit, & neque ira ejus manifesta, neque ullo honore acceptus est. id fiebat partim, quod ipse Galba virum eum reverebatur: partim quod amici ejus Virginio invidebant, præcipuè T. Iunius, qui dum se ei obstare putabat, non animadvertit se bono Virginii genio operam navare, jam eum bellis aliisque malis, quibus cæteri erant obnoxii duces, subtrahenti, inque vita tranquilla & senectute pacis ociique plena collocare molienti. Galbam apud Narbonem XIV Galliæ urbem missi à senatu Romano legati convenerunt, salutatumq; hortati sunt, ut quam primùm populo ipsum desideranti se ostenderet. His se & in congressib. colloquiisq; comem popularemque præbuit: & cùm ad convivia multum splendidissimi apparatus suppeteret, quem ex Neroniana supellectile ei Nymphidius miserat, nihil illis, sed suis tantum usus reb. laudem invenit, magnanimusq; & ab ineptiis vulgaribus alienus est creditus. Mox autem Iunius præclaras istas virtutes, civilemque fastus vacuitatem populari auræ captandæ facere dicens, fictamque esse elegantiam: persuasit ei, ut pecunia Neroniana uteretur, inque conviviis splendorem regium adhiberet. omninò autem Galbam senem apparebat sensim eò deductum iri, ut totus Iunii in potestate esset. Erat is Iunius non modò pecuniæ mancipiū, ita ut nemo quisquam magis: sed & impudicitiæ obnoxius. quippe juvenis adhuc sub Calvisio Sabino prima merens stipendia, ducis uxorem, mulierem impudicā, noctu veste militari indutā in castra deduxerat, & apud principia constupraverat: ejusq; rei causa à Caligula Cæsare in vincula conjectus, fortunæ beneficio evaserat, illo mortuo. idem apud Claudium Cæsarem cœnans, furtim poculum argenteū sustulerat. re cognita Cæsar eum postridie ad cœnam iterum vocavit; mandavitq; famulis ut nullum ei argenteum, tantum figulina pocula apponerent. Atque hoc qui- XV dem ob moderationem animi Cæsaris comicam, risu magis quàm ira dignum videri potest. Ea autem quæ tum, cum Galbam in sua haberet manu, & plurimum posset, perpetravit, tragicis malis, atq; gravissimis calamitatib. quà causam, quà prætextū præbuerunt. Nymphidius enim, cùm Gellianus, quem speculatum res Galbæ missum fuisse demonstravimus, reversus renunciasset prætorio præfectum esse Cornelium Laconē: omnia autem nutu Iunii agi, sibi nunquam licuisse propius Galbæ assistere, aut seorsim eum compellare, sed suspectum fuisse habitum ab omnibus & exclusum, perturbatus est: conductisque in unum ducib. copiarum, retulit, Galbam quidē bonum esse moderatumque senem, verùm suis minimè uti consiliis, à Iunio Lacone non rectè regi. itaque, priusquàm hi ad eam, in qua fuerat ante Tigellinus, pervenirent potentiam, mittendos ad eum nomine militum legatos, qui ostenderent eum, si tantum duos istos suos amicos amovisset, omnib. gratiorem jucundioremq; adventu-

XVI venturum. Non perſuaſum hoc amicis Nymphidii. videbatur enim
abſurdum & ineptum, ſenem imperatorē, inſtar adoleſcentis qui pri-
mum poteſtatis guſtum perciperet, docere velle, quibus uti vel non
uti deberet amicis. Itaq; alia rem aggreſſus via, Galbam per epiſto-
las terret. Modò in urbe multa eſſe parum fida atque tuta, modò
in Africa Clodium Macrum vecturā rei frumentariæ intercluſiſſe,
modò Germanicas legiones rebus novis eſſe intentas, modò de iis
quæ in Syria erant & Iudæa eadem referri ſcribens. Cùm verò Galba
ei non magnopere animum fidemq; adhiberet, maturius invadendi
imperii conſilium cepit. tametſi Clodius Celſus Antiochenſis vir
prudens, eiq; benevolus & fidus dehortaretur, dicens, ſibi non vide-
ri ullam fore Romæ familiam, quæ Nymphidium eſſet Cæſarem ap-
pellatura. Sed Galbam & alii deridebant, & Mithridates Ponticus in
calviciem rugaſque Galbæ ludens: In præſentia, ajebat, eum à Ro-
manis pro aliquo haberi: ubi primùm in conſpectū veniſſet, omnes
judicaturos eas dies, quibus Cæſaris nomen obtinuiſſet, opprobriū
eſſe Romanis. Proinde ſtatuerunt Nymphidium in caſtra circa me-
XVII dium noctis deductum, Imperatorem ſalutare. Primus de tribu-
nis militum Antonius Honoratus ſub veſperam militibus ſuis con-
gregatis & ſeipſum, & ipſos incuſavit, qui tam brevi temporis
ſpacio tam ſæpe mutati eſſent, nullo melioris conditionis aſſequen-
dæ propoſito, ſed quaſi genio quodam ab una proditione ad aliam
compellente. Iam priora (inquit) iſta flagitiis Neronis excuſare
poſſumus: Galbam autem nunc prodituri, quam, quæſo, ei cædem
matris, aut uxoris objiciemus, quod ſcenicorum miniſteriorum
aut tragœdiarum actarum dedecus? Et verò ne ipſum quidem Ne-
ronem propter iſta deſerere ſuſtinuimus: Nymphidio obtempera-
vimus, qui eum nobis deſtitutis in Ægyptum profugiſſe affirmavit.
Vtrum ergo Neronis cædi Galbæ cædem addemus, & Nymphidiæ
filio pro Cæſare accepto, ducentem à Livia genus jugulabimus?
quemadmodum ante Agrippina natum interfecimus: an verò di-
gnam factis ſuis pœnam Nymphidio irrogantes, ultores nos Nero-
nis, Galbæ cuſtodes fideles bonoſque præſtabimus? Aſſenſi ſunt
huic orationi omnes, acceſſeruntque etiam cæteros, hortantes ut fi-
XVIII dem Imperatori datam ſervarent: & pleroſq; ſibi adjunxerunt. Sub-
lato clamore, Nymphidius ſive (ut quidam tradunt) vocari jam ſe à
militibus ratus, ſive ut tumultuantes & adhuc ambigentes com-
peſcere occuparet, multis prælucentibus facibus progreditur, ora-
tionem in libello ſcriptam à Cingonio Varrone geſtans, quam me-
moriæ mandarat, ut ea milites alloqueretur. Portas autem caſtro-
rum clauſas videns, multoſque circa muros in armis adſtare, terri-
tus accedit, ac quid ſibi velint, cujuſque juſſu in armis ſint, perqui-
rit. Ab omnib. una voce occlamatum eſt, Galbam ſe Imperatorem
agnoſcere: atque ipſe quoq; idem acclamat, ſuoſq; ita facere jubet.
Intromiſſus deinde per portam cum paucis, haſta petitur, quam Se-
ptimius objecto ante ipſum ſcuto excepit, reliquis autē ſtrictis en-

bus impetum facientibus, in militis cujusdam tabernaculo obtruncatur. cadaver in medium protractum cancellis septum est, interdiuque spectaculo iis qui vellent propositum. Hunc ad modum Nymphidio sublato Galba re cognita, etiam eos qui cum ipso conspirassent interfici jussit: nisi qui voluntaria morte supplicium antecepissent. In his fuit etiam Cingonius, quem orationis autorem fuisse diximus: & Mithridates Ponticus. Existimabatur autem ut XIX non injustè, ita præter leges tamen & morem populi viros haud obscuros indicta causa necavisse. alium enim imperii ejus vultum universi speraverunt decepti crebris magistratuum sermonibus de Galba. Auxit offensas mori jussus Petronius Turpilianus vir consularis, & notæ in Neronem fidei. Quod in Africa Clodium Macrum opera Treboniani, & Fonteium in Germania ministerio Fabii Valentis necavit, eò defendi potuit, quod ab iis arma exercitusque tenentibus sibi metuisset: sed Turpilianum senem nudem & inermem nihil obstabat quin audiret, si quam præ se ferebat moderationem reipsa ostendere voluisset. Cùm Romam contendens Galba, ab urbe circa XXV. stadia abesset, tumultum ostendit remigum, qui viam occupaverant, & undique circumfundebantur. Hos è classe in legionem conscripserat Nero: tumque aderant, & confirmari sibi jus militiæ volebant, magno cum tumultu & clamore signa legioni locumque postulantes, eosque, qui obviam Imperatori processerant, neque conspici ab eo neque exaudiri sinentes. Cùm rem in aliud tempus rejiceret, dilationem negationis esse speciem dicētes, succensuerunt, nulloque clamandi fine facto insecuti sunt: nonnulli etiam gladios strinxerunt. In eos equitatum immisit Galba: quem illi non subsistentes, partim statim, partim in fuga obtriti sunt. Neq; id lætum auspicatumve Galbæ omen fuit, tot per cadavera in urbem intranti: & cùm ante eum nonnulli propter senectam & imbecillitatem despexissent, universis tum terribilis est visus. Vt XX autem ostenderet se plurimum à prodigalitate Neronis in donando abesse, videtur à decoro aberrasse. Cano enim nobili admodum tibicini ad cœnam canenti, cùm probasset eum ac laudasset, jussis adferri suis loculis, quinque aureos de iis depromptos dono dedit, de suo ei se hos, non de publico largiri addens. Munera quæ Nero scenicis & xysticis dederat exigi severè, decima tantum parte iis relicta, jussit: cùmque pauca admodum & lentè reciperet (plerique enim ea quæ accepissent, jam consumpserant: utpote homines leves, & in diem viventes) in eos inquirebat, qui ab iis aliquid vel emissent, vel accepissent, ab iisque repetebat. Ea res cùm finem nullum haberet, latéque & ad multos pertineret, male audivit Galba: in Iunium autem invidia & odium exarsit, qui cùm præparcum omnibus & illiberalem effecisset principem, ipse prodigè utens omnia & acciperet & venderet. Nam quemadmodum Hesiodus jubet initio & fine dolii saturari: ita Iunius videns imbecillum esse & senē Galbam, ejus fortuna se implebat, simul eā & incipere & desinere ratus.

Remiges cæsi.

Inju-

XXI Injuria aûtem ſeni fiebat, cùm & Iunius male res adminiſtraret, & ſi quid Galba præclarum inſtituiſſet, prohiberet atque criminaretur. Cujus generis eſt, quod cùm Galba Neronianos emiſſarios necari juberet, inter quos erant Eleus, Polycletus, Petinus, Patrobius, populusque iis per forum ad ſupplicium ductis, plauſum daret, pulchramque eam eſſe & Diis acceptam pompam vociferaretur, poſcique ad ſupplicium à diis hominibusq; præceptorem tyrannidis Tigellinum: hunc Iunius, magnis ab eo muneribus acceptis obligatus, pœnæ eripuit. Et verò Turpilianus nullam aliam ob culpam, niſi quod Neronem talem ducem non prodidiſſet neque odio habuiſſet, morte eſt affectus: Tigellinus, qui & ita informaverat Neronem, ut cæde dignus eſſet, & ita à ſe inſtitutũ deſeruerat atque prodiderat, ſupplicium evaſit. magno argumento nihil à Iunio donis datis non poſſe obtineri. Nullum enim majori deſiderio ſpectaculum populus expedierat, quàm ut Tigellinum videret ad ſupplicium duci: & cùm in theatris & circis finem ejus flagitandi nullum faceret, edicto Imperator increpuit, Tigellino affirmans haud diuturnam vitam fore, moxque eum tabe extinctum iri: populumq; deprecans, ne ſuo imperio ſævitiæ maculam adſperſam vellet. Graviter hoc ferente populo, ludibrio illi ejus indignationem habentes, Tigellinus quidem pro ſalute ſua ſacrificavit. Iunius autem à cœna ab Imperatore digreſſus, ad Tigellinũ comeſſatum ivit, filiam ſecum ſuam, tum marito viduam, ducens. ei mulieri Tigellinus decies H S. propinavit pellicumq; primariæ juſſit, ut monile ſuum collo detractum ei appenderet, quod DC. ſeſtertia æquaſſe precio traditur. Inde factum eſt, ut etiam quæ rectè agerentur, in reprehenſiones incurrerent. adeò ut cùm Gallis, qui Vindicem adjuverant, tributum eſſet remiſſum, & civitas donata: viderentur id non humanitate Imperatoris, ſed corrupto muneribus Iunio impetraſſe. Hæc erant, quæ populo Galbæ dominationem inviſam reddebant. Milites verò cùm donarium promiſſum non perſolveretur, initiò ſpes ducebat, fore ut ſi non totum, attamen quantum Nero dediſſet, à Galba acciperent. Sed ubi eorum indignatione percepta vocem magno Imperatore dignam emiſit Galba: Solitum ſe militem legere, non emere: immane contra ſe militum odium concitavit. non enim ipſum modò privare eos promiſſo, ſed legem etiam exemplumque idem faciendi ſubſecuturis Cæſaribus præſcribere cenſebant. Sed motus Romæ adhuc obſcuri, & ipſa Galbæ præſentis verecundia cunctationem hæſitationemq; novas res molientib. injiciebat: reprimebanturque utcunque & tegebantur odia, quod nullum apertum mutandarum rerum extabat initium. Cæterùm qui prius ſub Virginio, tum ſub Flacco in Germania merebant milites ob pugnam contra Vindicem factam magna ſibi præmia polliciti, neque adepti quicquam, à ducibus ſuis placari nullo modo poterant: Flaccum autem corporis ob continentem podagram impotentem, rerumque ignarum, omninò contemnebant, quin & ludis quibusdam tribunis mi-

Tigellinus à Iunio ſervatus.

XXII

XXIII

litum & centurionibus more Romano Imperatori Galbæ felicitatem optantib. plerique milites initio tumultuati, perseverantib. illis in voto, occlamaverunt: Siquidem dignus est. Mittebantur & literæ ad Galbam à procuratoribus quibus ostendebant Tigellino subditas legiones eodem genere contumeliæ uti. Itaque sibi metuens Galba, ut qui non ob senium modò, sed orbitatem contemptui haberetur, adoptandum sibi aliquem privatum juvenem, regnique successorem faciendum statuit. Erat M. Otho vir genere non XXIV
obscuro editus: verùm ita luxu & voluptatum studio ab ineunte ætate perditus, ut infamia pari vix quisquam Romanorum laboraret. Quemadmodum verò Alexandrum Homerus sæpenumerò ab uxore nominat, vocatque maritum

M. Otho qualis.

Tyndaridos pulcris ornatæ crinibus:

quod is vir nihil aliud ad gloriam sibi conducens haberet: sic Otho Romæ nuptiis Poppææ nobilitatus fuit. Hanc Nero, matrimonio tum junctam Crispino, amabat: adhuc tamen uxorem suam reverens, ac matrem metuens, Othonem submisit, qui de adulterio Poppæam sollicitaret. (Nam Othone amico & victore utebatur, luxuria ejus delectatus: ac sæpe ab eo sordium & illiberalitatis causa dicteriis impetitus, gratum habebat. ac ferunt quodam tempore Othonem, cùm à Nerone esset preciosissimo unguento adspersus, quo is se unxerat, postridie convivio accepto domi suæ Nerone, subitò variis ex partibus argenteos aureosque aperuisse tubulos qui aquæ instar unguentum effunderent.) Eam Otho primùm XXV
spe de conjugio Neronis illectam constupravit, utque ad se, marito deserto, veniret persuasit. cùm verò ad ipsum uxoris nomine se ea contulisset, nequaquam æquo animo tulit, juxta secum ea Neronem potiri: feruntque hanc æmulationem Poppææ quoque non ingratam fuisse, quæ & absente Othone Neronem excluserit: sive ut satietati voluptatis præveniret, sive à nuptiis Cæsarianis abhorrens, & tamen ob impudicitiam amorem ejus non recusans. Certè in discrimen vitæ propter eam Otho venit: mirumque est Neronem qui propter Poppææ nuptias uxori sororique necem intulisset, Othoni pepercisse. Sed id benevolentia Senecæ consecutus est, qui Neroni persuasit ut eum in Lusitaniam præfectum provinciæ mitteret. Non ingratum se ibi, neque molestum subditis Otho gessit: nimirum intelligens eam præfecturam sibi ad prætexendum exilium, invidiamque ejus nominis mitigandam obtigisse. Cùm defecisset Galba, primus ipse omnium præfectorum ad eum defecerat: & quantum auri argentique in vasis mensisque habebat, ad eum attulerat, ac nomisma tum cudenti concidendum præbuerat: famulos etiam, qui periti essent eleganter administrare ea quæ ad vitæ usum quotidianum pertinent, dono dederat. cæteris quoque in rebus fidum se ei præstiterat, singularemque rerum peritiam ei probaverat, inq; itinere Romam versus per multos dies eodem vehiculo cum Imperatore vectus erat. Ea consuetudine itineris etiam XXVI

Poppæa adultera.

Studium in Galbam.

Titum

Titum Iunium sibi devinxerat colloquio & donis, eoque maximè, quod primas illi ultro partes concedebat. itaque & secundas ipse ejus opera obtinebat, & citra invidiam suam indigentibus operam navabat, comem se omnibus & facilem præbens. præsertim verò militibus adstipulabatur, eorumque multos ad gradum aliquem honoris & imperia provehebat, quà ipso ab Imperatore id impetrans, quà Iunii & libertorum Iceli Asiaticique (qui tum in aula plurimũ poterant) opera conficiens. Quoties Galbam convivio acciperet, semper cohortem custodiæ causa comitantem viritim aureo donabat: quo facto cùm videretur honorare Cæsarem, occultè corrumpebat, sibique devinciebat milites. Enimverò Galba deliberante de successore adoptando, Iunius Othonem commendavit: ne hoc quidem gratis. nam ita cum Othone pactus erat, ut is filius Galbæ & successor designatus, filiam suam uxorem duceret. Galba autem nũquam obscurè præ se tulerat, magis de re publica se, quàm de privata esse solicitum, neq; eum adoptare sibi velle qui ipsi jucundissim⁹, sed qui reip. esset commodissimus. imo ne suarum quidem facultatum hæredem ex asse videbatur delecturus Othonem, intemperantem sciens esse, & luxuriosum, & ære alieno bis millies sestertium obrutum. Itaq; Iunio placide & cum silentio audito, deliberationem aliud in tempus distulit: se, & Iunium coss. in proximum annum designavit: omninòq; existimabatur tunc imperii successorem proditurus, & militibus de Othone posthabitis omnibus aliis ad eam rem

XXVII evehendo spes grata erat. Cunctantem adhuc & deliberantem Galbam Germanicorum militum defectio erumpens occupavit. Etenim cùm universi milites ob non repræsentatum donarium Galbæ essent infensi: Germanici peculiares afferebant causas, abjectum ignominiosè Virginium Rufum Gallos, qui contra ipsos pugnassent, donis affectos: punitos qui non adjunxissent se Vindici: huic soli Galbam gratias agere, ejusque defuncti colere honorem, & publicis exequiis venerari, quasi ejus opera esset Romanorum Imperator creatus. His sermonibus apertè jam tota castra pervagantibus Kal. Ianuariæ appetierunt. Ibi milites, cùm eos Flaccus convocasset ut pro more in nomen imperatoris jurarent, statuas Galbæ aggressi dejecerunt: cùmque in S.P.Q.R. nomen jurassent, digressi sunt. Secundum hoc ducibus metus incidit, ne ob contemptionem magistratuum ad de-

XXVIII fectionem res deveniret. Tum quidam eorum: Quid agimus, inquit, commilitones? neque alium ducem quærimus: & præsentem recusamus: ut non Galbam, sed omninò imperium videamus subterfugere. Quin nos Flaccum Hordeonium, qui nihil est aliud quàm umbra & imago Galbæ, missum facimus. abest unius diei iter à nobis Vitellius, alterius Germaniæ præfectus, patre natus censura, & tribus consulatibus insigni, & eo, qui collega quodammodo Claudii Cesaris in imperio fuerit: atque ipse paupertatem, quam nõnulli probro dant, præclarum habet bonitatis magnanimitatisque argumentum. Agedum deligamus hunc ducem, ostendamusque omnibus homini-

bus

bus nos in deligendo Imperatore Hispanis Lusitanisque esse potiores. Hæc cùm partim militum probassent, partim nondum accepissent, quidam signifer occultè se subducens Vitellio noctu indicavit, multos secum habenti convivas. Rumore in castra dilato, primus Fabius Valens unius dux legionis postridie multis cum equitibus accurrit, & Vitellium Imperatorem salutavit. At verò Vitellius, qui prioribus diebus recusare eum titulum visus fuerat, magnitudine Imperii deterritus: tunc (ut ferunt) vino ciboque meridiano repletus, progressus est, repudiatoque Cæsaris nomine, Germanici accepit. statim quoque Flacci legiones præclaris illis & ad populi in republicam accomodatis juramētis valere jussis, Vitellio Imperatori se facturas imperata sacramento confirmarunt. Hoc modo Vitellius in Germania Imperator est declaratus. Cæterùm Galba nun- XXIX
ciis de ea rerum mutatione allatis, adoptionem non ulterius differendam sensit, animadvertensque alios Dolabellæ, alios Othoni eum locum ambire, neutrum eorum probans, subitò, nulloque ea de re verbo facto Pisonem accivit, Crassi & Pisonis (quos Nero interfecerat) sobolem, juvenem cùm indole ad virtutem optima, tum moribus compositis ac gravibus præditum: eumque ut Cæsarem & successorem sibi designaret, in castra descendit. Non magna modò egredientem prodigia sunt consecuta: sed & cùm in castris quædam perorare de scripto recitata cœpisset, tanta fulgurum tonitruumque multitudo, tantum imbris & caliginis incidit urbi & castris, ut facilè appareret infaustam adoptionem diis non probari. Erant sanè & militum animi tum malevolentia suffusi, quod ne tū quidem promissum ipsis donum repræsentaretur. Qui negocio ei XXX
intererant, ex vultu Pisonis voceque conjiciebant eum sine ulla animi temeraria elatione, cogitabundum tamen accipere id beneficiū: idque mirabantur. In Othonis etiam vultu multa apparebant indicia, infenso animo ferentis spe tantę se frustratum rei: qua primus omnium dignus habitus, & tantum non potitus, quod ea excidisset, id odii & malevolentiæ Galbæ erga se documentum interpretabatur. Veruntamen & Pisonem metuens, & Galbæ iratus, & Iunio succensens, variis replet⁹ affectib. discedebat. Neq; enim vates & Chaldęi, quos secū habebat, planè eū desperare patiebantur: Ptolemæus præsertim, qui sæpenumero magna contentione affirmârat, non occisum iri à Nerone Othonem sed superfuturum ei, & Romanis imperaturum. quorum prius cùm exitus probasset, ne de posteriori quidem abjiciendam spem censebat. Eodem plurimum conducebant ii, qui occultè vicem ejus dolebant, tanquam malam gratiam experti: & plurimi de sociis Nymphidii ac Tigellini, olim magno honore potiti, tunc abjecti & humiles, ad eum se conferebant, augentes irritantesque ejus indignationem. inter hos erant Veturius & Barbius, Opion alter, alter Tesseranus (ita nominant eos qui per nuntios & speculatores ministeria obeunt) atque unā Onomastus

Vitellio imperium defertur.

Otho-

Othonis libertus alios pecunia, alios pollicitando subruebat, jam ante nutantes,& opportunitatem quærentes, alioquin enim exercitus sanus quatriduo corrumpi non potuisset: neque inter adoptionem & cædem Galbæ plus temporis intervenit. Sexto enim die in-
XXXI terfectus est cum Pisone: qui dies est ad XVIII. Kal. Februar. Eo *Galba ut cæsus.*
die cùm amicis præsentibus in Palatio rem divinam faceret Galba, Vmbricius aruspex simul atque exta in manus sumpsit,non obscurè,sed palam magnum motum, capitique Imperatoris impendens periculum se videre dixit. Et quidem Deus Othonem Galbæ tantum non manu apprehendēdum obtulerat, adstantem à tergo Galbæ,animoque perturbato, & vultu præ metu variè sese mutante ea audientem, quæ Vmbricius referebat atque ostendebat: cùm subitò ei à tergo adstens Onomastus libertus, domum redire, & ibi operiri fabros jussit. Hæc autem erat tessera temporis, qua edita occurrere Othonem militibus convenerat. Itaque dicens se domum antiquam emisse, & civibus velle quæ ruinosa viderentur ostendere,discessit: ac per Tiberii domum descendens in forum perrexit, quo loco milliarium est aureum. Ferunt primos, qui eum ibi exceperint, Imperatoremque salutarint haud plures XXIII. fuisse:itaque etiam nequaquam mollis homo, aut animi effeminati, sed audax intrepidusque rebus adversis,tamen tunc pertimuit.profugere volentem,milites non dimiserunt, sed nudis gladiis lecticam provehi jusserunt,quanquam itentidem clamitantem, actum de se esse,& lecticarios ut accelerarent fugam hortantem. nam & exaudiverant quidam vocem, ob paucitatem eorum qui aderant facinori,
XXXII mirantes magis quam perturbati. Ita per forum vehenti, alii totidem occurrerunt, hisque deinceps terni quaternique alii se adjunxerunt: tandemq; agmine facto universi,strictos protendentes gladios,Cæsarem eum appellarunt. Ferunt tribunum militum Martialem,cui eo die custodia castrorum cesserat, non conscium conspirationis,inopinata tamen re perculsum,eos intromisisse. Othoni,ut semel in castra pervenit,restitit nemo: quos enim quæ agerentur latebat, ii, dedita ad hoc opera, inter conscios detenti sparsim singuli binique metu primum, deinde persuasi accesserunt. Statim hæc in Palatium Galbæ renunciata sunt, præsente adhuc aruspice, manibusque exta tenente: adeò ut qui omninò ab id genus divinatione alioquin abhorrerent,tum prodigium admirati sint. Concurrente à foro promiscua turba, Galbæ Iunius & Laco & libertorum quidam cum strictis ensibus adstiterunt: Piso progressus stipatores aulam custodientes compellavit:Missus etiam Celsus Marius vir egregius ad præoccupandos animos Illyricæ cohortis in porticu Vipsania tendentis. Cùm progredi Galba vellet,Celso etiam & Lacone hortantibus,acriterque Iunium id prohibentem increpantibus, rumor increbuit, Othonem in castris esse cæsum: paulòque post Iulius Atticus spiculatorum non postremus visus est stricto cum *Mendacium.*
gladio accurrere, interfectum à se Cæsaris hostem vociferās,ac per obstan-

obſtantes ad ipſum Galbam ſe proripuit, gladium cruentatum ei demonſtrans. cùmque in eum intuitus Galba dixiſſet: Et quis tibi hoc mandavit? fides, reſpondit, & ſacramentum quo me obligavi: acclamante populo, bene factum eſſe, atque applaudente. Proinde conſcenſa lectica provectus eſt Galba, ut Iovi ſacrificaret, & ſe civibus oſtenderet. Vt in forum pervenit, adverſi inſtar venti fama XXX
ei occurrit, potitam caſtris Othonem. Cæterùm in tanta hominum III
turba, aliis retrò ire, aliis procedere, aliis bono eſſe animo, aliis diffidere rebus jubentibus, jactata hincinde tanquam æſtu & undis lectica, & modò hâc, modo illâc incitata: primùm equites, deinde armati pedites per Paulli Baſilicam in forum irruperunt, contentaque voce uno omnes ore privatum cedere è medio juſſerunt. Plerique curſim abierunt, non ut fuga diſſipati, ſed porticus & edita fori loca tanquam ſpectaculi cauſa occuparunt. Primus Atilius Vergilio ſtatuam Galbæ humo afflixit: eo initio belli arrepto, eminus jaculis lectica impetita eſt: cùmque id fruſtra eſſet, ſtrictis in eam gladiis impetum fecerunt. Nemo Galbam tutatus eſt, nemo ſubſtitit, uno excepto viro, quem ſolum tot inter hominum millia dignum Romano imperio ſol conſpexit. Sempronius is fuit Denſus centurio, nullo privatim Galbæ beneficio obſtrictus: ſed pro legibus tum honeſtateque propugnans, ante lecticam adſtitit, primùmque arrepto palmite vitis, quo meritos verberibus plectunt centuriones, eum attollens alta voce monuit incurrentes, uti Imperatori parcerent: deinde manum iis conſerentibus, ſtricto gladio tantiſper vim propulſavit, dum poplitem ſuffoſſus concideret. Galbam lectica apud Cur- XXX
tium lacum delapſum (erat autem thorace armatus) incurſione fa- IV
cta milites ictibus impetierunt: atque is jugulum protendens: Hoc agite, dixit: ſiquidem ita ex re eſt populi Romani. Multa accepit vulnera in pedes & brachia: jugulatus eſt, ut plerique memorant, à Camurio XV. legionis milite: alii Terentio adſcribunt, alii Arcadio, alii Fabio Fabulo. atque hunc ferunt caput Galbæ occultatum veſtimento, quod ob calvitiem teneri aliter vix poſſet, ad Othonem detuliſſe: ac ſociis non permittentibus celari, ſed omnibus oſtentari tam præclarum facinus volentibus, haſtæ præfixiſſe ſenis caput, ejusque principis boni, Pontificis maximi atque conſulis, eaq; vibrata Bacchæ in modum diſcurriſſe ſubinde ſe convertentem, quaſſantemque haſtam cruore madentem. Othonem verò capite Galbæ viſo fama eſt exclamaſſe: Nihil eſt hoc, ô commilitones: caput Piſonis

Piſo periit.

mihi oſtendite. Eſtque id paulò poſt allatum: nam Piſo ſauciatus fugerat, inſequentibuſque hoſtibus à Murco quodam apud ædem Veſtæ interfectus fuerat. Iugulatus eſt etiam T. Iunius, faſſus ſe XXXV
conjurationis in Galbam ſocium fuiſſe: quippe necari ſe præter Othonis ſententiam vociferabatur. nihilominus & hujus caput, & Laconis amputata milites ad Othonem attulerunt, præmium eo nomine poſcentes. nam ut ait Archilochus:

Septem

——Septem enim
Cecidere cæsi:fortuito in hospede
Incidimus.at nunc mille nostrum vindicant
Cædem sibi illam.——

ita nunc quoque multi qui cædibus non interfuissent, manibus & gladiis cruentatis se ostentarunt Othoni, libellisque exhibitis præmia poposcerunt. Sanè ex iis libellis CXX. postea inventi sunt, quos omnes Vitellius conquisitos interfecit. Venit & Marius Celsus in castra: quem cùm multi accusarent, quod ad ferendum Galbæ auxilium milites esset hortatus, & vulgus necare vellet, Otho prohibuit: non ausus tamen contradicere palam: Non tam subitò occidendum dixit, sed prius ex eo quædam necessaria cognitu expiscanda. jussit itaque vinctum asservari, iisque tradidit, quorum summa credebatur fides. Statim concilium est convocatum,& quasi vel ipsi mutati essent, vel dii alii extitissent, conveniētes in unum, juramento se in nomen Othonis obstrinxerunt, quod ipse quoque juravit,& non servavit: Cæsaremque eum & Augustum appellaverunt, cadaveribus capite truncatis consulari vestitu adhuc in foro jacentibus. Capitibus cùm ad facietatem usque se oblectassent, Iunii caput filiæ ejus bis mille denariis vendiderunt: Pisonis, uxori reddiderunt, non quidem cranium requirenti: Galbæ, Patrobii servis dono dederunt: iique id cùm omnibus contumeliis ludibriisque affecissent, in Sestertium projecerunt. locus est, quo abjiciuntur eorum capita, qui Cæsarum jussu supplicio afficiuntur. Corpus Galbæ permissu Othonis Elvidius Priscus sustulit, noctu Argivus libertus sepelivit. Hac usus est fortuna Galba, vir neque generis nobilitate, neque opum splendore cuiquam æqualium secundus, & qui sua ætate quinque Imperatoribus rerum potitis omnium eorum in principatu cum honore & gloria vixerit: magisque autoritate sua quàm potentia Neronem exciderit. cùmque socios ejus facinoris nemo Imperatoris titulo sit designatus, quanquam id sibi ipsi arrogarent: Galba & vocatus est ad Imperium, & oblatum Imperatoris titulum accepit. Vndicisque conatui nomen suum accōmodans, qui prius novarum rerum molitio & motus defectioque appellabatur, effecit, ut ducem autoritate præditum nactus pro civili bello haberetur. Itaque non se res in suam accepisse potestatem ratus, sed se ipsum iis tribuisse, ita imperare iis, quos jam Nymphidius Tigellinusque cicuraverant, ut priscis Romanis Scipio, Fabricius & Camillus, intendit. Subrutus autem senectute, in armis & castris quidem integrum se & antiqui moris imperatorem gessit: Iunio autem, Laconi & libertis omnia venalia habentibus se committens atque dedens (quemadmodum Nero insatiabilibus sese hominibus addixerat) neminem qui imperium ejus desideraret: multos qui mortem miserarentur, reliquit.

Marius Celsus captus.

XXXII (printed in the gutter beside the line beginning "pelivit")

IN GAL-

IN GALBAM PLVTARCHI, INterpretis Annotationes.

CAp.3. Vti demonstravimus.) *Galbæ qui in Romano imperio successit Neroni, ætas notior est, quàm ut de ea quicquam dicendum sit. Apparet autem ex hoc loco Neronis quoque, &, ut opinor, etiam præcedentium Imperatorum vitas ab auctore nostro descriptas fuisse: atque haud scio an omnium, usque ad Trajanum. Nam sub finem Othonis satis innuit, Vitellium à se scriptum. Qui libri quanto historiarum detrimento interciderint, facilè judicant periti. nam quis non animadvertit, quàm multa apud Tacitum, Suetonium & alios desiderentur, quæ vel ex his reliquiis suppleri possint? Equidem hinc apparet, vitas imperatorum à Plutarcho non a prima ætate repetitas: sed ea tantum ab eo pertractata, quæ ipsis ad imperium adspirantibus eoque potitis deinceps evenerint. Vt fortassis istæ vitæ non hujus operis fuerint, sicut & oratorum vitas Atheniensium idem seorsim descripsit. Nihil enim est in iis, ut taceam cætera,* παράλληλον.

Cap. 4. Gentis Serviorum.) τὸν Σερβίων οἶκον. *Servius Sulpitiæ genti ita fuit usitatum prænomem, ut propè pro gentili usurpatum nomine, vel ex hoc loco appareat. Non enim temerè dixerim, Plutarchum ignorasse Sulpitiam gentem fuisse, ex qua Galba hic extiterit. Qui autem Sergium eum faciunt, imperitia labuntur: & jampridem eorum est explosus error, quantumvis in Suetonio & aliis codicibus retineatur. Catulus, de quo hic fit mentio, est Qu. Lutatius Catulus Capitolinus, Cæsaris Iulij & Pompeji æqualis, de quo ejus temporis historia consulenda.*

Cap. 5. Scelerati procuratores.) ἀλιτηρίοι ἐπίτροπος ὤν. *Mendum est. Rectiusque alibi legitur (nam cum cæteris Plutarchi opusculis, quæ Moralia inscribuntur, etiam Galba hic & Otho impressi sunt)* ἀλιτηρίοι ἐπιτρόπων. *Interpres ignoratione rerum lapsus,* publicanos *vertit. Loquitur autem de procuratoribus provinciarum, qui mitti ab imperatoribus solebant, ut quæ ad fiscum ipsorum pertinerent, administrarent. Vide Dionem lib. 53. ubi id ab Augusto primū institutum traditur. Quomodo deinde eorum potentia & libido etiam accreverint, utque provinciales ab iis vexati sint, ex Tacito, lib. præsertim 16. & Suetonio intelliges.*

Cap. 6. T. autem Iunius.) ὀέινος. *& in altero,* ὀέινος. *Interpres* T. Iunium *rectè reddidit. Collega is in consulatu fuit Galbæ, ac tum legatus ejus in Hispania: deinde plurimum apud eum potuit, ut est apud Cornelium Tacitum & Suetonium: & quanquam constanter* ὀέινος *legitur hîc, tamen vel sequentia evidentissimè ostendunt, esse Iunium legendum. Scriptura facilè errorem peperit,* ἰούνιος *&* εἴνιος. στρατιωτικῶν τάγμα classiarios *idem nō bene vertit: ego* prætorianos

torianos *reddidi. puto enim* στρατηγικὸν *esse legendum. Illud absurdius, quod interpres* ἐλευθερώσεις, *longè alio, & nescio ad quem conspirationis autorem detorsit, cùm* manumissionem *vox ea palam designet: & Suetonius hac de re:* Igitur, *inquit,* cùm quasi manumissioni vacaturus conscendisset tribunal, &c. *cap.* 10.

Cap. 7. Clodius Macer.) μαῦρος. *Scribe* μάκρος. *Tacitus, Suetonius.*

Cap. 8. Cluniam.) κολωνίαν. *Interpres* Coloniam. *Neq; sum nescius, in Hispanicæ citerioris ora* Coloniam *esse, nomine Illici. Sed nomen mihi magis ad Cluniam videbatur accedere, quæ est Celtiberiæ finis, Plinius* 3. 3.

Cap. 9. Titus.) *Nimirum Titus Iunius. in altero Græco locus mancus, in nostro perturbatus est: & historici hîc nos destituunt.*

Ibid. Martianus Vicellus.) οὐίκελλος. *In Græco altero* ἴκελλος, *Icellus: & sic apud Suetonium legitur, apud Tacitum Hycellus, lib.* 17. *utrobiq; Martianus. Post* Spicillum gladiatorem *verti, secutus Suetonium, cùm esset in Græco* σπίκλον.

Cap. 11. Exploratum ut res.) *Asterisco locus notatus est. Nihil tamen video deesse, & in* παρείκει *non est ita gravis menda.*

Cap. 19. Petronius Turpilianus.) *Sic est apud Tacitum. in Græco* Tertullianum. *Et non* Cingonius Varro, *sed* Ciconius *apud eum legitur, consulq; fuisse designatus dicitur. & non* Trebonianus, *sed* Trebonius Garucianus, *Macri interfector.*

Cap. 24. Crispino.) *Rufo Crispo, equiti Romano. Vide omnino Cornelium Tacitum, lib.* 13.

Cap. 29. Crassi & Pisonis.) *Vocabatur is* Piso Licinianus, *ut est apud Suetonium & Tacitum. pro* Pisonis, *in Græco est* κελπίωνος, *vox nihili. Quod Licinianus appellabatur, satis ostendit, eum à Pisone adoptatum, lege & more adoptionis nomen gentis leviter immutatum retinuisse. Licinium autem nomen gentis est. unde & Crassi, Murenæ, alii.*

Cap. 30. Veturius & Barbius.) *Tacitus:* Sed tum è libertis Onomastum sceleri præfecit, à quo Barbium Proculum Thesseranum speculatorem, & Veturium eodem perductos. *Explicatio autem horum nominum est obscura, quam Plutarch. adfert. atq; haud scio unde petita.*

Ibid. Alioquin exercitus sanus.) *Hîc ut persæpe, contrarium verbis autoris sensum interpres reddidit. Ostenditur enim causa tam celeris à Galba defectionis.*

Cap. 33. Atilius Vergilio.) *Sic legitur apud Tacitum. Fortè Vercello scribendum ibi sit.*

Ibid. Densus centurio.) ἴνδηρος *utrobiq; in Græco est. Sed ego cùm Cornelium sequor, tum etiam Xiphilinum in Galba.*

Cap. 35. A Murco quodam.) μάρκου. *reponendum* μούρκου. *Est autem* Murcus *Statiæ gentis cognomentum; ut in L. Statio Murco evi-*

dens eſt, de quo præter alios Dio lib. 47. & quadrageſimooctavo, & apud Cornelium hic expreſſum eſt etiam Servij nomen.

Cap. 56. Patrobii ſervis.) *Additur in Græco,* & Vitellii *nullo niſi abſurdo ſenſu, nihil enim hic Vitellio rei. itaq; aut alterius liberti Neroniani nomen pro Vitelliano reponendum erit, aut totum omittendum, quod malo. Nam & Tacitus & Suetonius ſolius Patrobij meminerunt: niſi quod hic precio redemptum à calonibus tradens, à noſtro variat autore.*

PLUTARCHI OTHO, GUILIELMO XYLANDRO *Auguſtano, interprete.*

Othonis clementia.

PRIMA luce novus Imperator in Capitolium progreſſus rem ſa- I
cram fecit. Iuſſit deinde ad ſe adduci Marium Celſum, eumq; ſalutavit & comiter collocutus, hortatus eſt ut magis cauſæ, ob quam in vincula eſſet conditus, oblivisci, quàm dimiſſionis meminiſſe vellet. reſponſum eſt à Celſo neq; parum ingenuè, neque imprudenter, ipſam culpam ingenii ſui eſſe documentum: oblivisci proinde ſe fidei, quam Galbæ nullo ipſius merito ſervaſſet. Admirati utrunque præſentes ſunt, & collaudavit exercitus. In ſenatu Otho multa benignè populariterque locutus, conſulatus ſibi deſtinati partem Virginio Rufo aſſignavit: honores eorum, quos conſules Nero aut Galba deſignaverant, ratos habuit: ſacerdotiis eos qui ætate aut gloria reliquis anteirent, ornavit: quos ſub Nerone in exilium profectos Galba reſtituerat, iis omnia bona, quæcunque non divendita repeririſſet, reddidit. Quo factum eſt, ut civium primi atque præſtantiſſimi, qui prius exhorruerant, non hominem rati, ſed pœnam quandam aut impurum genium. reip. incidiſſe, in meliorem tum ſpem
venerint, imperio lætum quaſi vultum quendam oſtendente. In- II
terim Romanos univerſos nihil tanta affecit lætitia, quàm ſumptum de Tigellino ſupplicium. Ille quidem jam pridem ipſo pœnæ metu pœnas luebat, quas tanquam publicū debitum expoſcebat civitas: tum ſceleratas ejus & infandas inter ſcorta & impuras mulieres volutationes, quas moribundi hominis libido etiamnum affectabat, vel pro extremo ſupplicio, multiſque mortibus pari interpretabantur homines cordati. Nihilominus vulgò indignè ferebant, frui adhuc conſpectu ſolis eum, propter quem tot tantique viri ejus conſpectu eſſent privati. Miſit igitur qui eum trucidaret Otho in Sinueſſanum agrum: nam ibi commorabatur, navibus in portu ſtantibus, ac de ulteriore fuga cogitabat. primum multo oblato auro tentavit percuſſorem. ſed cùm fruſtra id eſſet, nihilominus ei dono dedit, oravitque ut tantiſper operiretur, dum ipſe ſibi mentum raderet: eoq; impetrato, fauces ipſe ſibi præcidit. Hac Cæſar juſtiſſima voluptate oblata populo, ipſe privatarum injuriarum cauſa neminem quenquam offendit. In gratiam quoque multitudinis Neronis

Tigellini exitus.

Neronis nomen.

nis cognomentum, quod ei primum in theatris tribuebatur, non
repudiavit: & cùm à nonnullis statuæ Neronis in publicum repo-
nerentur, non prohibuit. Claudius Rufus autor est, allata in Hispa-
niam esse diplomata per tabellarios, in quibus Othonis nomini
divum Neronis nomen fuerit adscriptum. Tamen cùm offendi ea re
III animos optimatum sentiret, desiit. Hunc in modum constituto
imperio, mercenarii milites difficiles sese præbuerunt, hortantes
Othonem, ne principibus in rep. viris crederet, sed ab iis sibi cave-
ret, & eorum consiliis obstaret: sive omninò benevolentia Impe-
ratoris adducti ab iis ei metuebant, sive hinc movendarum turba-
rum & bellorum materiam quærebant. Missus ab Othone ad deci-
mam septimam cohortem Crispinus, ut milites quosdam adduce-
ret. is cùm noctu se pararet, armaq; vehiculis imponeret, ferocissi-
mus quisq; militum vociferari cœpit: Nihil boni molientem adesse
Crispinum, senatum res novas agitare, arma contra Cæsarem, non
pro Cæsare in urbem advehi. eo rumore omnes attingente atque ir-
ritante, alii currus inhibuerunt, alii centuriones duos & ipsum Cri-
spinum, prohibentes vim, occiderunt, omnesque illicò armis sum-
ptis, & sese mutuò ad ferendam Cæsari opem cohortati, Romam
contenderunt. Ibi cùm audirent cum Cæsare LXXX. senatores
cœnare, tempus sibi oblatum vociferantes omnes simul inimicos
Cæsaris trucidandi, ad Palatium se proripuerunt. Vrbs verò in præ-
IV sentem direptionis metum conjecta, turbarum erat plena. Otho
animi anxius & metuebat senatoribus, & ab ipsis metuebatur, cer-
nens eos ab ipsius nutu dependere mutos consternatosque: quidam
etiam cum uxoribus ad cœnam venerant. Mittit ergo præfectos
qui milites alloquerentur ac sedarent: simulque convivas excitos
per aliud ostium dimittit. pauloque ante ii effugerunt, quàm mili-
tes perruptis stipatorum custodiis in cœnaculum venerunt, quæ-
rentes quonam inimici Cæsaris evasissent. Cùm quidem Otho re-
ctus in lecto stans multis verbis, multis precibus, ac ne lacrymis qui-
dem suppressis ægrè tandem obtinuit, ut in castra redirent. Postri-
die singulos quinis nummûm millibus donavit: & ingressus in ca-
stra multitudinem benevolentiæ erga se & promptitudinis ergo
collaudavit: paucos autem quosdam occultè in castris mala con-
silia miscere: suamque moderationem animi, & militum constan-
tiam ab iis calumniis objici questus, oravit, ut in iis puniendis sibi
adessent. laudantibus omnibus & punire sontes jubentibus; in duos
tantum, quorum supplicio neminem offensum iri intelligeret a-
V nimadvertit, atque ita digressus est. Quidam diligentes jam Otho-
nem, eique fidentes, cùm in hæc intuerentur, ita immutatum ho-
minem mirabantur: alii necessitate compulsum eum ista agere sen-
tiebant, tempori inservientem, favoremque multitudinis propter
impendentia bella captantem. Iam enim annunciabatur Vitel-
lium nomen copiasque Imperatoris assumpsisse, atque itentidem
pterophori (tabellariorum celerum id nomen est) adventabant,

R 2 aliquid

aliquid illi accessisse referentes. Alii Pannoniæ, Dalmatiæ, Mysicæque exercitus ducesq; Imperatorem Othonem pronunciasse indicabant: & amicæ à Muciano Vespasianoque afferebantur literæ, quorum alter in Syria, alter in Iudæa magnum exercitum regebat. His animatus, Vitellium per epistolam hortatus est, ne summam imperii affectaret, sed sua sorte contentus esset: simul se ei magnam pecuniam daturum promittens, & urbem, in qua ociosus suavissimam ageret vitam. Rescribens Vitellius, initiò latenter eum subsannavit: post irritatis animis, multa mutua per literas convicia lascivè impudicèque fecerunt: non quidem vana objicientes, stultè tamen, adeòque ridiculè alter alteri ea exprobrantes, quæ difficilè judicatu est utri eorum minora affuerint, luxuriam scilicet, molliciem, belli imperitiam, pristinæque paupertatis & æris alieni molem. Multa VI

Prodigia. eo tempore prodigia, pleraque rumore & autore incerto referebantur. In Capitolio quidem Victoriam bigis insistentem habenas manu dimisisse, veluti retinere non valentem, omnes viderunt. In Tiberina insula C. Iulii Cæsaris statua nullo vel terræ motu vel vento impulsa ab occidua parte ad ortum solis se convertit, quod iis evenisse diebus ferunt, quibus Vespasianus palam sibi summam rerum vindicare est aggressus. Tiberis autem exundationem plerique in ostentum infelix rapuerunt, eo quidem factam tempore, quo maximè turgent fluvii: sed nunquam ita excreverat, neque ulla unquam eluvione tantum damni dederat. nam cùm magnam urbis partem proluit, tum eum præsertim locum, ubi frumentum venale reponebatur, opplevit. magnamque permultorum dierum difficultatem

Bellum Vitellianum. effecit. Cùm renunciaretur, Alpes jam à Cæcinna & Valente Vitel- VII lii legatis occupatas esse, Romæ Dolabella vir patricius militibus in suspicionem tentatarum novarum rerum venit: quem Otho sive ejus, sive alterius metu, Aquinum sepofuit. Deligens autem de principibus viris, qui secum comites irent, inter hos L. quoque Vitellium hostis sui fratrem, esse voluit, neque auctum honore, neq; eo, quem tum gerebat, spoliatum. matri quoque & uxori Vitellii accuratè prospexit. Vrbi præfecit Flavium Sabinum, Vespasiani fratrem: sive Neronis id honori tribuens, qui Sabinum ea dignatione affecerat, post à Galba ei adempta: sive ornando Sabino studium suum fidemque Vespasiano demonstrans. Et Otho quidem ipse Brixelli, quod est Italiæ ad Padum flumen oppidũ substitit: duces copiarum emisit Marium Celsum, Suetonium Paulinum, Gallum, & Spurinam, viros illustres, sed qui rem suo arbitrio gerere nequirent ob militum contumaciam atque ferociam, nemini præter unum Imperatorem obtemperare dignantium. Idem malum hostiles quoque VIII exercitus tenebat. Verum hi periti pugnarum erant, laboremque

Petulantia militum. ob consuetudinem non fugiebant. Othoniani molles erant, in ocio & pace educati, & plurimum temporis in theatris ac conventibus festivis versati, superboque inflati fastu, ministeria detrectabant, non ut ad ferendum impares, sed tanquam se indigna. Spurinam

nam cogere tentantem parum abfuit quin interficerent: nullo quidem contumeliæ in eum genere & petulantiæ abstinuerunt, proditorem, Cæsarisq; rerum ac temporum pestem vocantes. quidam etiam noctu ebrii ad tentorium ejus adiverunt, viaticumq; poposcerunt. eundem sibi ejus accusandi gratia ad Cæsarem dicentes. Rebus Othonis & Spurinæ profuit exprobratio militum Vitellianorum, à quibus Placentiæ obsidebantur. Vitelliani enim muros aggredientes, Othonianos propugnaculis adstantes subsannabant, scenicos eos, & saltatores, & Pythiorum Olympiorumque spectatores ignominiosè vocitantes, ac qui bellum pugnamq; nunquam ne vidissent quidem: eò tantum superbientes, quod inermis senis (Galbam notabant) caput amputassent, ad certamen apertum descendere, cum-

IX que viris dimicare nunquam ausi. His conviciis Othoniani ita perturbati inflammatique sunt, ut ad Spurinam supplicum modo venerint, nullumque se laborem, nullum periculum subterfugere professi sint, duceret modò ipsos, & imperaret. Acriter Vitellianis mœnia oppugnantibus multasque machinas adhibentibus vicère tamen milites Spurinæ: hosteque magna cum cæde profligato, florentissimam Italiæ urbem servarunt. Erant alioqui Othonis milites alteris multò gratiores, & publicè privatimque acceptiores. Dux erat Vitellanorum Cæcinna, ne habitu quidem popularis, sed molestus peregrino apparatu, vir magna corporis mole, qui braccas manicas indutus Gallico modo legiones alloquebatur: uxorem ejus equo vehentem, splendidèque ornatam, delecti equites comitabantur. Ejus collega Fabius Valens tanta laborabat avaricia, ut neque rapinis hostilibus neq; depeculatione & donis à sociis accipiendis expleri posset: qui etiam pugnæ tempus neglexisse fertur, pecuniæ corradendæ causa lentius proficiscens. alii tamen Cecinnæ eam culpam imputant, qui festinans ante adventum Fabii potiri victoria, cùm alia leviora peccata admiserit, tum illo prœlio neque tempestivè neque strenuè facto propè rem Vitellianam pessun-

Cæcinnæ insolentia.

X dederit. Cùm enim repulsus à Placentia Cremonam, urbem ipsam quoque magnam & opulentam, peteret: primùm Annius Gallus, qui ad ferendas Spurinæ suppetias Placentiam ducebat, audita in itinere victoria collegæ & Cremonæ cognito periculo, eò traduxit exercitum, & propè hostem consedit: eodemq; deinde cæteri etiam Othoniani duces pervenerunt. Locis sylvestribus Cæcinna multos milites abdidit, equitibus permissis, qui hostibus manum conferentibus docti erant paulatim retrocedere, & subterfugere tantisper, dum eos in insidias pertraherent. Id cùm ex transfugis comperisset Celsus, cum bonis equitibus obviam factus Cæcinnæ equites profligavit: cautèque insecutus, eos qui insidiis latebant circumvenit, iisq; perturbatis peditatum castris excivit. Quod si is maturè equites subsecutus præstò fuisset, ea die potuisse Cæcinnæ milites occidione cædi creditum est. nunc Paulinus serò & lentè succurrens, dum nimium cautus est, non convenienter existimationi suæ rem

gessisse culpatus est. Et multi militum proditionis eum insimulabant, Othonemque irritabant, jactantes se victoria potitos, sed ducum malicia ne ea obtineretur effectum. Otho non tam credens hoc, quàm non credere se dissimulans, Titianum fratrem suum ad exercitum misit, & Proculũ præfectum, penes quem erat summa rerum Titiano titulum gerente: comitabatur unà Celsus & Paulinus, amicorum & consiliariorum nomine nulla potestate præditi. Apud XI
hostes quoque tumultus erat. Maximè autem ut relatum est de pugna apud insidias commissa, Valenti succēsebatur, ejusq; militibus quod non subsidio suis venissent, totq; homines perire passi essent. & Valens ægrè exoratis militibus jam eum saxis petere aggredientibus, castra movit, & cum Cæcinna conjunxit. Otho Bebriacum in castra venit, quod est propinquũ Cremonæ oppidulum. Ibi proposita de prœlio deliberatione, Proculus & Titianus decertandũ censuerunt, exercitibus ad hoc alacribus, & recenti victoria: neque copiarum vigorem desidendo hebetandum, expectandumve dum ex Gallia ipse veniret Vitellius. Contra Paulinus, hostibus ea omnia in promptu esse, quibus freti pugnam sint commissuri, deesse nihil. Othoni haud pauciores præsentibus copias ex Mysia ex Pannonia expectandas, modò suo, non hostium tempori intentus esse velit. neq; verò minus ad pugnandum alacritatis habituros pluribus accedentibus eos, qui nunc minoribus viribus fidant: imò tantò acriores fore, & ex abundanti certaturos. jam cunctationem ipsis commodam, omnium rerum copia affluentibus: Vitellianis in hostico morantibus tempus penuriam necessariarum rerum allaturum. Huic suf- XII
fragatus est Marius Celsus. Et Annius Gallus absens (ab equo enim delapsus curabatur) per literas ab Othone sententiam rogatus, non festinandum, sed expectandas è Mysia copias censuit, quæ jam essent in itinere. Vicit tamen eorum sententia, qui ad pugnam hortabantur. Causæ ejus rei multæ à multis referuntur. Palam autem prætoriani milites tunc semel seriã experti militiam, desiderio vitæ quam in urbe extra bellum in ocio & festivitatibus egerant, contineri nullo modo quibant, pugnam accelerantes, & primo impetu à se sublimes abripi hostes posse sibi persuadentes. Ipse etiam Otho videtur incertitudinem eventus non sustinere amplius expectando potuisse, insolentia & mollicie victus, quoties magnitudinem periculi secum perpenderet: itaq; oneri cogitationum succumbens, veluti de præcipitio quodam clausis oculis, ita se & res in discrimen eventus misit. atque ita narrabat Secundus rhetor, qui ei fuit ab epistolis. Non defuere, qui affirmarent, utrinq; exercitibus sæpe incidisse co XIII
gitationem in unum conveniendi, ac de communi sententia, ex ducibus Romanis, qui tum maximè gloria florerẽt, optimo imperium deferendi: sin id non succederet, senatu convocato, ei potestatem deligendi Imperatoris committendi. Neque profectò vero absimile est, cùm uterq; designatorum Imperatorum infamia laboraret, veris, & exercitatis, sanaq; mente præditis militibus hujusmodi cogitationes

Deliberatio de pugna.

tationes

tationes ad animum accidisse. Indignam rem esse ac turpissimam, ea quæ olim cives propter Syllam & Marium, tum Cæsarem ac Pompeium invicem se passos doluerint nunc ea tolerare, ut vel Vitellio gulæ ebrietatisq; vel Othoni luxuriæ prodigalitatisque sumptibus futurum Imperiũ pararent. Hæc illos sentire animadversum Celso: itaque eum mora injecta sperasse absque pugna posse rem confici: eorundemq; metu Othonem prœlium accelerasse. Abiit ergo rursus Bixellum Otho, inque eo graviter peccavit non tantum quia se, cujus verecundia & studio plurimum movebantur, totique ab eo dependebant, ipsis subtraxit: sed & quod fortissimum quenque & strenuissimum equitum peditumque stipandi corporis causa secum
XIV abducens, veluti corpus quoddam exercitus abstulit. Iisdem diebus apud Padum pugnatum est. Trajectum moliebatur Cæcinna, pontemque ejus rei gratia struebant: Othoniani in eo prohibendo laborabant, cùmque rescindere opus hostium non possent, faces pice & sulfure plenas in id jaculabantur. Sed ventus trajectui incumbens, materiam præparatam accendit, & fumus primùm, mox flamma erumpens, à vento in Othonianos est lata, ita ut perturbati & prosilientes in amnem & naves subverterint, & corpora cum risu hostibus objecerint. ac Germani apud insulam, quæ in flumine modica est gladiatores Othonis adorti, multos eorum interfecerunt. His ita actis, cùm Bebriaci morantes Othonis milites irati pugnam poscerent, produxit eos Bebriaco Proculus ad L. stadia, & castra posuit adeò imperitè, ut quanquam verno tempore anni, & tot circum amnibus, penuria tamen aquæ fatigarentur. Postridie volentem in hostes, (à quibus haud minus centum stadiis aberant) ducere, Paulinus prohibebat, operiendum affirmans, neque defatigãdum exercitum, statimve ex itinere pugnam committendum cum hominibus, qui, dum ipsi tantum iter cum jumentis suis ac calonibus perficerent, interim per ocium arma aptare, & aciem instruere possent. Disputantibus adhuc ducibus eques Numida intervenit, literas ab Othone adferens, quibus jubebat suos omni sublata mo-
XV ra in hostem pergere. Cæcinna hostium adventu cognito perturbatus, subitò & operibus & fluvio relicto in castra se recipit. Plerisque militum jam armatis, & tesseram à Valente doctis, dum in ordinem legiones componerentur, equitum optimorum turma præmittitur in hostem. Duces Othonianorum incertum qua occasione in eam venerant opinionem, fore ut Vitelliani duces ad ipsos transirent: itaque eos, cùm invicem appropinquassent agmina, amicè salutarunt, commilitonesque appellarunt, quam salutationem cùm Vitelliani non benignè, sed hostili murmure accepissent, salutatores quidem consternati sunt, cæteri autem proditionis eos suspectos habuêre. Id primùm Othonianos perturbavit, jam præsente hoste. Sed & reliquorum nihil suo ordine gestum: cùm & impedimenta pugnantibus permista multum confusionis parerent, & ipsa loci natura aciem divelleret, fossis ac sulcis referti, à quib. sibi

metuentes, coacti sunt promiscuè & catervatim cum hostibus congredi. Duæ tantum legiones, Vitelliana nomine Rapax, & Othoniana nomine Adjutrix, aperto in campo justa pugna diu decertaverunt. Erant autem Othoniani robusti quidem & animosi, cæterùm belli rudes, neque in aciem ante unquam deductæ. Vitelliani multis prœliis adsuefacti, senes jam erant, & languescente robore. Itaque impetu facto Othoniani eos pulerunt, aquilamque eripuerunt, omnibus propè qui in prima acie stabant trucidatis: at Vitelliani simul pudore, simul ira conciti, in hostem irruerunt: & Legato Orphidio necato, multis signis potiti sunt. Gladiatoribus qui & peritiam & audaciam secum ad pugnam adferre videbantur, Batavos induxit Alphenus Varus, equitum Germanorum optimos, in insula natos, quam Rhenus circumfluit. hos pauci gladiatorum substiterunt, plerique ad flumen fugientes, in cohortes hostium instructas ibi inciderunt, ab iisque, defendentes sese, universi occisi sunt. Turpissimè omnium se gesserunt prætoriani milites, ne dum ad manus quidem perveniretur subsistere ausi, sed fuga per nondum superatos se proripientes, eos quoque metu & perturbatione impleverunt. Multi tamen Othonianorum sibi oppositis superatis, per hostes jam victores in castra perruperunt. De ducibus neque Proculus XVII
neque Suetonius castra intrare ausi: sed declinaverunt ea, metu militum jam tum cladis culpam in ductores conferentium. Annius Gallos eos qui in urbem ex pugna conveniebant collegit, animosque eorum confirmabat, incerta victoria discessum, & multis partibus superatos hostes asserens. Marius Celsus primariis viris convocatis, deliberare eos in commune jussit: quippe tanta accepta clade, totque interemptis civibus ne Othonem quidem ipsum, siquidem vir bonus sit, ultrà fortunam experiri cogitaturum. Quando Scipio etiam & Cato, quod Cæsari Pharsalico prœlio victori concedere noluissent, male audiverint, ut qui nulla necessitate adacti multos bonosque viros in Africa perdidissent: tametsi ii pro libertate patriæ decertarint: fortunam quidem cùm anceps sit, tantum tamen in bonos non posse, ut rebus adversis bene de eventis consultandi facultatem eis eripiat. Hanc ejus orationem probaverunt principes: & cùm tentatis militum animis, pacem eos viderent desiderare, Titianusque de concordia ineunda legatos mittendos censeret, placuit ut Celsus & Gallus irent, ac de ea re cum Cæcinna & Valente colloquerentur. Proficiscentibus ipsis centuriones Vi- XVIII
telliani obviam facti sunt, castra suorum jam versus Bebriacum mota renuntientes, se autem pacificationis causa missos à ducibus. quos collaudatos Celsus secum reverti, & ad Cæcinnam adire jussit. Cùm appropinquassent Vitellianis, in grave periculum Celsus venit. Nam equites ab eo ante apud insidias superati cùm præmissi erant, ipsoque conspecto statim clamorem sustulerunt, impetumque in eum fecerunt: centuriones ante Celsum consistentes, eos arcuerunt, & reliquis etiam ductoribus sublato clamore parcere eos juben-

jubentibus. Cæcinna re cognita celeriter accurrit, tumultumque equitum compescuit, salutatumque amicè Celsum secum ad Bebriacum adduxit. Interim factum mutavit Titianus, milites que quos inveniebat ferocientes rursus in muros sustulit, reliquis ut auxilium ferrent jussis. Sed cùm Cæcinna equo advectus dextram protendisset, nemo Titianum curavit, alii de muris Vitellianos salutaverunt, alii apertis portis egressi suos adierunt: ab omni temperatum est maleficio, blandè mutuò accepti, universi in nomen Vitellii jurarunt. Hoc modo pugnam factam plerique eorum perhibent, qui interfuerunt. ipsi quoque fatentes propter confusionem
XIX & inæqualitatem non satis sibi de omnibus constare. Mihi autem Mestrius Florus vir consularis per eum campum ubi pugnatum est, iter facienti, senem quendam ostendit, qui cùm adolescens cum Othone non sua voluntate, sed coactus fuerat: referentem se post prœlium eò accedentem vidisse tantum cadaverum cumulum, ut qui in superficie jacerent, adversarios attingerent. seque causam ejus rei quærentem, neque ipsum invenire, neque ex alio quoquam cognoscere potuisse. Sanè apparet bellis civilibus plures in pugna necari, quàm alias: eo quod nemo vivus capitur, cùm ejusmodi mancipiorum nullus sit usus. istius tamen cadaverum congeriei causa difficulter colligi potest. ad Othonem obscurus primum cladis nuncius est allatus: deinde & saucii à prœlio quidam venerunt. Hîc minus miretur aliquis amicos ejus, animum despondere prohibentes, verbisque confirmantes. Militum incredibilis fuit fides. nemo eorum neque discessit, neque ad victorem se contulit, neque visus est rebus imperatoris desperatis de suo solicitus: omnes ad fores ejus se contulerunt, imperatorem salutarunt, magna cum voce & summis precibus contenderunt, supplices etiam & lacrymantes, ne deserere ipsos, aut prodere hostibus vellet, sed uti, dum animi adhuc corporaque ipsorum spirarent. quin & unus de obscurioribus gladium intendens: Scias, inquit, Cæsar, hoc modo
XX omnes pro te paratos; itaque locutus, seipsum eo transadegit. Nihil horum Othonem inflexit: sed sereno constantique vultu oculos per omnes circumferens: Hunc, inquit, ô commilitones, diem, feliciorem illa qua me Imperatorem creavistis, judicio, tales vos cernens, tantarumque rerum appetentes. Sed nolite me majori bono spoliare, quod morte pro tot tamque bonis civibus oppetenda præclarè sum consecuturus. Nam si dignus imperio Romano fui, oportet me vitam meam patriæ impendere. Neque me præterit victoriam hostibus neque firmam esse, neque constantem. refertur exercitum ad nos ex Mœsia venientem jam mare Adriaticum conscendisse, ac paucorum à nobis dierum itinere abesse: à nostra parte Asia est, & Syria & Ægyptus, & contra Iudæos bellum gerentes copiæ: liberi & conjuges hostium in manu nostra sunt. Sed enim non contra Annibalem, aut Pyrrhum, aut Cimbros bellum pro Italia, sed contra gerimus: & utrinque seu vincentes, seu

victi patriam injuria afficimus, cui damno est victoris bonum. Pro certo habete, mori mihi esse honestius, quàm imperare. neque enim tantum Romanis prodero victoriam obtinens: quantum si me ipsum patriæ impendam, morteque mea pacem ei & concordiam redimens efficiam, ne rursus talem diem Italia videat. Hæc XXI
locutus rejectis iis qui obstare & dehortari intenderent, discedere amicos jussit, & quotquot aderant senatorii ordinis, & absentes quoque & per literas ad civitates missas eos commendavit, quò tutius & honestius domum redirent. Fratris deinde filium Coccejanum, adolescentem etiamnum, ad se vocavit, bonoque esse animo jussit: neque sibi à Vitellio metuere, cujus ipse matrem, liberos uxoremque tanquam suos incolumes præstitisset. ideò autem, ajebat, te nondum adoptavi: sed id in eum finem distuli, ut recorderis Cæsarem adoptionem non probasse, ut eo victore collega imperii esses, neque, si quid ei adversi accidisset, prior perires. id modò extremum tibi præceptum scias, ne patruum tibi Cæsarem fuisse aut obliviscare unquam, aut nimium memineris. His peractis, paulò post tumultum & vociferationem apud fores exaudivit. nam milites senatoribus abire parantibus necem minabantur, si destituere imperatorem pergerent neque manerent. Quibus metuens Otho, rursus conspiciendum se præbuit, progressusque milites non jam orans, sed truci vultu in tumultuantes præsertim intuens, asperaque voce discedere jussit, obtemperantes, & perterritos. Vesperascente die sitim aquæ haustu modico restin- XXII
xit. Duos habebat pugiones: horum utrumque cùm diu pertentasset, altero reddito, alterum sub axilla tenuit. Famulis deinde vocatis, ac familiariter compellatis pecuniam distribuit, plus uni, alteri minus, neque id quòd tanquam alieno parceret, sed ut pro merito unicuique daretur solicitus. His dimissis reliquum noctis somno exegit, ita ut cubicularii quoque stertentem exaudirent. Primo mane vocato liberto, cui mandaverat negotium Senatorum expediendorum, percontatus est, ut res haberent: auditoque singulis quantum opus esset obtigisse: Abi jam nunc, inquit, teque militibus ostende, ne te meæ necis adjutorem illi putantes mala morte afficiant. Eo digresso in gladium erectum, ac utraque manu suffultum incubuit: semelque tantum ad dolorem vulneris ingemuit. Quem gemitum cùm qui extra cubiculum erant, exaudivissent, sublato à pueris ejulatu, illicò tota castra & urbem luctus pervasit: milites que cum clamore & lamentatione ad fores accurrerunt, gravissimo dolore perculsi, sibique ipsis maledicentes, qui non custodivissent Imperatorem, ac pro ipsis mori prohibuissent. Nemo omnino eorum ad hostes, quanquam in proximo ii essent, defecit.

Interitus Othonis.

Funus.

Composito cadavere & extructo rogo armati funus extulerunt, XXIII
gloriæque sibi ducebant, qui feretro subire occupassent: cæteri pars vulnus Imperatoris deosculati sunt in cadaver incumbentes, pars manus attigerunt, pars eminus adoraverunt, nonnulli facibus in rogum

rogum conjectis seipsos jugulaverunt. Et quidem neque ullo evidenti beneficio erant ab eo affecti, neque erat, cur grave aliquod malum à victore expectarent, sed videtur nulli unquam tyranno tam acer atque insanus imperandi amor innatus fuisse, quantum illi obtemperandi Othoni habuerunt: quando ne mortuo quidem desiderium ejus apud ipsos desiit, sed permansit, inque extremum adversus Vitellium odium vertit. Sed reliqua suum locum habent, quo referantur. Reliquiis terræ mandatis sepulchrum impositum est neque mole neque inscriptione invidiosum. Vidi ipse cùm Brixelli essem, & monumentum modicum, & inscriptionem
XXIV hanc, M.OTHONIS. Obiit anno ætatis XXXVII. cùm imperasset menses tres. Neque deteriores, neque pauciores mortis suæ laudatores, quàm vitæ vituperatores reliquit. vita enim Neroni nihil præstitit, morte longè honestius obita. Milites verò Pollione præfectorum altero statim eos jurare nomen Vitellii jubente, graviter fremuerunt, auditoque nonnullos Senatorii ordinis adhuc adesse, dimissis reliquis Virginio Rufo molestiam exhibuerunt, armati ad domum ejus venientes, evocantesque vel imperium in ipsos susciperet, vel legatus causam eorum ageret. At Virginius imperium, quod in victores renuisset, in victos accipere, dementis esse judicabat: periculosum verò, ad Germanos legati munere fungi, quibus vim multis in rebus fecisse videbatur. itaque per aliud ostium nemine observante se subduxit. Eo cognito milites sacramēto se obligare Vitellio passi sunt, & impetrata venia Cæcinnæ se conjunxerūt.

IN OTHONEM AB INTERPRETE annotata.

CAp. 2. In Sinuessanum agrum.) *Emendandus ex hoc loco est Cornelij Taciti locus, eadem de re loquentis, ubi* Suessanæ aquæ *leguntur, pro* Sinuessanis. *Sinuessa haud procul ostio Liris amnis, ad oram Campaniæ urbs est, cujus aquæ nobilitatæ sunt. Plinius libro tertio capite quinto, & libro trigesimoprimo, capite secundo. Nihil de Suessa tale. Cæterùm ego Taciti verbis aliquoties hìc sum usus: ut ostenderem, videri mihi ista ex illo translata.*

PLVTARCHI ANNIBAL, DONATO ACciaiolo *autore potius quàm Interprete.*

1 SI primi Punici belli, quod Carthaginenses cum populo Romano gessêre, memoria repetatur, multi Imperatores nobis occurrent, qui ex rebus gestis gloriam consecuti, celebrem famam suis posteris reliquerunt. Sed ex Pœnorum ducibus nemo est, quem omnes Græci Latinique scriptores magis extollant, quàm Halmicarē Anniba

nibalis patrem, cognomento Barcham, virum sine dubio præstantem, & rei militaris, ut in illa quisque ætate poterat, peritissimum. Is primùm in Sicilia Romanorum impetum, qui multas inflixerant suæ

Genus illustre Reipub. clades, diutius quam par erat, sustinuit. Deinde Africo bello, cùm mercenarii milites seditione facta rem Cartheginensium in extremum periculum conjecissent, sic strenuè incendium illud restinxit, ut sit omnium sententia judicatum, ea tempestate unius Hamilcaris opera patriam fuisse servatam. In Hispaniam post hæc cum imperio missus, quo tempore Annibalem puerum secum duxisse traditur, cùm multa gessisset memoratu digna, tandem nono anno quàm in eam provinciam venerat, adversus Vetheones fortiter pugnans interiit. Post Hamilcaris mortem Hasdrubal ejus gener, quem II

Carthaginenses favente factione Barchina exercitui præfecerant, octo fermè annos imperium obtinuit. Is Annibalem non multo tempore post interitum patris, repugnantibus etiam alterius factionis principibus in Hispaniam vocavit, ut sicut antea puer vivente Hamilcare cœperat bellicis artibus erudiri, sic etiam tunc robustiore ætate periculis, laboribus ac omnibus officiis militaribus assuesceret. At verò etsi ab initio memoria patris non parum sibi in exercitu profuisset ad favorem conciliandum, paulò tamen postea sua opera atque ingenio factum est, ut veteres milites aliorum ducum desiderio deposito, hunc sibi animo proponerent, quem præcipuè

Ingenium. imperatorem deligendum putarent. Omnia enim quæ magno fu-

Animus tolerans. turo duci expetenda esse videbãtur abundè Annibali aderant: quippe erat ei consilium ad egregia facinora promptum. Consilio autem neque industria, neque audacia deerat. Nulla pericula nulla incommoda corporis, quæ cæteros remorari solent, & à rebus gerendis abducere, invictum animi virum terrebant. vigilare, festinare, cuncta obire quæ aut strenuo milite, aut egregio imperatore digna videbantur. His artibus Annibal sub Asdrubale per triennium meruit. Quo quidem tempore adeo totius exercitus favorem sibi conciliavit, ut statim post Hasdrubalis mortem, ingenti militum consensu, imperator sit appellatus. Quam prærogativam militarem, favente factione Barchina, populus Carthaginensis sine controversia comprobavit. Sex & viginti annos cùm est imperator ab exercitu III

declaratus Annibalem natum comperio. Novem enim annorum fuisse constat, cùm eum pater in Hispaniam duxit: atque ab eo tempore usque ad interitum Hasdrubalis, autore Polybio, septem & decem numerantur anni. Verùm ex quo die Annibal exercitum ac totius reipublicæ administrationem suscepit, non longam moram interponendam putavit, quin populo Romano, quod multo ante animo agitaverat, bellum inferret. Nam erat ei indignatio primùm adversus Romanos, ob Siciliam, Sardiniamque amissam, cum omnibus Carthaginensibus pene communis. Accedebat deinde privatum odium, & quasi hæreditarium ab Hamilcare patre acceptum, quo nemo alter ex Carthaginensium ducibus nomini Romano fuerat infe-

infestior. Traditum quoque memoriæ est, Hamilcarem sacrifican-
tem eo tempore quo in Hispaniam profectionem parabat, Anniba-
lem admodum puerum jurejurando obstrinxisse, cùm primum per
ætatem liceret, populi Rom. fore inimicum. Cujus quidem rei me-
moria & acerba sanè recordatio velusti quædam paterni odii imago
ante oculos juvenis versabatur, animumque urgebat, ut ea semper
moliretur, quæ ad evertendum imperium Rom. pertinerēt. Præterea
factio Barchina frequentibus stimulis eum incitare non desistebat,
IV ut armis & imperio opes quam maximas compararet. Hæ igitur
tum publicæ tum privatæ causæ cùm Annibalem hortarētur ad su-
scipiendum cum Romanis bellum, ferox juvenis occasionem novan-
darum rerum ex tali materia cepit. Erant in Hispania per id Sagun-
tini quasi medii inter Romanorum & Carthaginensium fines, jure
fœderis in libertate relicti: hi postea se totos Romanis addixerant,
initaque societate Romani imperii fidissimi cultores habeantur.
Quare Annibal constituit animo, nihil opportunius fieri posse ad e-
liciendum Romanorum iram, ac incendium, quod sibi optatissimum
erat concitandum, quàm Saguntinos armis belloque lacessere. Sed
priusquam socios populi Rom. apertè adoriretur, statuit in Olcadas
aliosque trans Iberum populos exercitum ducere: ac iis ad deditio-
nem compulsis, aliquam Sagunto nocendi causam reperire, qua nō
tam meditato consilio à se illatum quam à Saguntinis contractum
bellum videri posset. Primùm igitur Olcadum gente ad deditionē
compulsa, Vacceos deinde aggreditur: agros depopulatur, oppida
permulta expugnat, Hermandicam & Arbocolam urbes opulentis-
V simas capit. Ac jam propè omnem regionem in potestatem redege-
rat, cùm plerique ab Hermandica profugi se invicem confirmantes
adversus Pœnum conjurant, multitudinem cogunt, exules Olcadum
socios sibi adsciscunt, deinde persuadent Carpentanis, qui sibi finiti-
mi erant, ut communi consilio Pœnum in reditu suo nihil tale ex-
pectante invadant. Facilè in hanc sententiam discedentes populi
bellandi cupidi, recentibusque injuriis lacessiti, arma capiunt: ac in-
genti multitudine coacta (erant enim supra centum millia) Anniba-
lem redeuntem ex Vacceis prope flumen Tagum adoriuntur. Ad
quorum conspectum subito constitere Carthaginensium signa, toto-
que agmine pavor & trepidatio fuit. Nec ambigitur, quin Pœni eo
die insignem cladem accepturi essent, si repentino hostium adventu
commoti, prædaque onusti, cum ferocissimis gentibus conseruissent
manus. Sed providus imperator Annibal hæc animadvertens prœ-
lio supersedere statuit, atque ibi castra posuit. Proxima deinde no-
cte quanto maximè silentio potuit, copiis amnem traductis, locum
ea parte qua transitus hosti facilimus dabatur, ab omni præsidio va-
cuum reliquit: ut partim simulato metu partim occasione oblata,
VI barbaros ad transeundum flumen alliceret. Nec virum, qui astutia
omnes duces ætatis suæ sine controversia superavit, opinio in deci-
piendo hoste consiliumque fefellit. Barbari enim natura feroces,
mul-

multitudine quoque sua plus nimio fidentes, dum Carthaginenses perterritos esse arbitrantur, magno impetu se in aquam projiciunt. Hos incompositos implicatosque, prius quàm omninò flumen trajiciant equitibus primùm, mox omnibus copiis aggrediuntur Pœni: magnoq; eorum numero interfecto reliquos in fugam vertunt. Post hanc victoriam cuncti trans Iberum populi deditionem faciunt, præter Saguntinos: qui etsi Annibalem suis cervicibus imminentē conspiciunt, tamen, populi Rom. societate confisi, defensionem suscipiendam putant: Romam quam celerrime legatos mittunt: qui senatum doceant, quanto in periculo res eorum sint, & adversus acerrimum hostem jam sibi vim haud dubiè inferentem auxilium petant. Vix Saguntinorum legati ex Hispania discesserant Romam profecturi, cùm Pænus jam in apertum bellum prorumpens, omnibus copiis ad obsidendum oppugnandumque Saguntum accessit. Quod VII
ubi Romam nunciatum est, agitatumq; in senatu de sociorum injuria, miti sententia decreverunt patres, ut P. Valerius Flaccus, & Q. Fabius Pamphilius ad Annibalem mitterentur, ut à Sagunto recederet: qui si non pareret, Carthaginem ire jussi sunt, ad ducem ipsum pro violato fœdere deposcendum. Hos oratores auditos esse ab Annibale, unaque ab eo tulisse responsa Polybius refert. Livius contra, nec auditos, nec in castra admissos scribit. Ambo tamen in eo conveniunt, quàm primùm in Hispaniam, deinde in Africam profectos Carthaginem venisse: expositisque patrum mandatis, sic adversam habuisse dicunt factionem Barchinam, ut neglecti despectique re infecta Romam redirent. Erant omninò in senatu Carthaginensium factiones duæ: quarum altera jam inde ab Hamilcare cognomento Barchia initium trahens, Annibali filio quasi ex hæreditate obvenerat, auctaque deinceps in tantas creverat opes, ut domi forisq; in omni re decernenda superior haberetur. Altera verò principem habe- VIII
bat Hannonem, virum gravem, summæq; in ea repub. dignitatis, toga tamem magis quàm armis egregium. Is ea tempestate qua legati Romanorum Carthaginem venerunt quæstum de sociorum injuriis, solus fuisse traditur, qui omni propè repugnante senatu, fœdus cum populo Rom. servandum censuit: monuitque ut ab eo caverēt bello, quod extremam erat suæ patriæ perniciem allaturum. In quo si Carthaginenses non tam animum Hannonis quàm ejus consilium respicere voluissent, & pacis potius quàm belli autorem audiendum censuissent, sanctius sibi suæque reipubl. foret consultum. At illi unius juvenis seu furorem seu cupiditatem sequuti, tantorum malorum, quæ postea in sua capita redundarunt, ex eo tempore occasionem dedêre. Quocirca sapientes viros & optimos rerump. gubernatores finem magis in rebus humanis quàm initium spectare, & priusquam ad arma bellaque prorumpant, experiri omnia consilio decet. Cæterùm Saguntini per id tempus quo ab Annibale ob- IX
sessi sunt, cùm præter jus fasque sibi bellum inferri viderent, plures menses obstinatis animis obsidionem tulerunt. Ad extremum multitudine

titudine hominum superante Pœno (ad centum enim & quinquaginta millia habuisse in armis creditur) cùm jam magna ex parte diruta mœnia essent, excidium urbis expectare maluerunt, quàm in acerbissimi hostis potestatem venire. Octavo mense quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum quidam autores sunt: quibus nec Livius assentiri videtur, nec aliud certum tempus obsidionis illius in medium afferre. At verò expugnatio hujus opulentissimæ urbis cœptis Annibalis multis in rebus adjumento fuit. Nam civitates nonnullas, quę Punici imperii pertęsæ metum defectionis prębebāt, exemplo Saguntinæ cladis in fide retinuit, militum animos confirmavit, ditato exercitu ingenti præda. Preciosa munera ex spoliis Saguntinorum Carthaginem misit, quibus sibi primarios obligavit cives, paratioresque reddidit ad futurum bellum, quod cum populo Romano, non in Hispania, ut multi arbitrabantur, sed Italia sibi erat in animo gerere. Inter hæc legati Romanorum cùm in urbē à

X Carthagine rediissent, vana quæ ibi acceperant referentes responsa, & sub idem propè tempus excidium Saguntinum nunciatum esset, sera tandem populum Rom. pœnitentia cœpit, quod labenti reip. sociorum, opemque in extremo periculo postulanti, non subvenisset. Ita plebs patresque incredibili misericordia moti simul indignatione accensi consules provincias sortiri jubent. P. Cornelio Hispania, T. Sempronio Africa (hi enim tum consules erant) cum Sicilia evenit. Legatos deinde Carthaginem mittunt principes civitatis, qui coram senatu post longam disceptationem, defœderunt jure, cùm semina futuræ contentionis quasi in conspectum omnium effudissent magnaque ferocitate obtulissent bellum: Carthaginenses contra non minore audacia oblatum suscepere, malo tamen consilio, ut

XI postea res ipsa & belli exitus declaravit. Verùm Annibal cognitis iis quæ in senatu Carthaginensium acta erant, cùm jam tempus esse arbitraretur, ut sicut ab initio instituerat, Italiam peteret, res necessarias ingenti studio parat, classem instruxit, ex fidissimis civitatibus auxilia accersit, omnes copias Carthaginem novam convenire jubet. Post hæc Gades profectus, ante omnia commodissimum esse statuit opportunis custodiis Africam Hispaniamque munire: ne dum ipse in Italiam contendit, vacuæ ab omni præsidio Romanis relinquantur. Itaque in Africam primum mittit equites mille ducentos, peditum ex Hispanis tredecim millia. Deinde ex diversis civitatibus Africæ quatuor millia peditum evocat, quos Carthaginem tueri jubet, obsides simul habiturus & milites. Hispaniæ autem præficit Hasdrubalem fratrem: eique relinquit L. navium classem, & ad duo millia equitum, peditum verò ad duodecim millia. atq; iis præsidiis utranque provinciam firmat: non quia ea sufficere arbitraretur adversus Romanas opes, si moles belli aut in Hispania, aut in Africa sustinenda foret: sed quod hæc satis esse existimet ad hostem suis finibus arcendum, dum ipse terrestri itinere exercitum ducens

XII bellum in Italiā transferat. Sciebat prętereà populū Carthaginēsem

pro magnitudine imperii facilè posse cùm vellet novas copias parare, nec solum reficere exercitum domi si opus esset, sed etiam supplementum sibi in Italiam mittere. Ex quo enim grave ac periculosum bellum mercenariorum indignatione contractum à suis cervicibus depulerant, Hamilcare primum, deinde Hasdrubale, postremo Annibale duce continenter victores, ita Punicum imperium auxerant, ut ea tempestate qua Annibal in Italiam venit, longe lateque eorum paterent opes. Nam omnem Africæ oram, quæ nostro mari abluitur, tenebant, ab aris Philænorum haud multum distantibus à magna Syrte, usque ad columnas Herculis. Continet ea longitudo duo millia passuum. Transgressique parvum fretum, quod Africã Europamque interjacet, omni propè Hispania potiti erant, usque ad Pyræneum montem, qui eam provinciam à Galliis dividit. His re- XIII
bus in Hispania atque Africa constitutis, Annibal Carthaginem novam revertitur, ubi jam copiæ instructæ paratæque in armis erant. Quapropter nihil ultrà expectandum ratus advocata concione, militum animos verbis confirmat, spem magnarum rerum proponit, fertilitatem Italiæ prædicat, amicitiam Gallorum commemorat. Demum hortatur ut lætis animis profectionem suscipiant. Sequenti die à Carthagine movens per maritimam oram ad Iberum ducit. Sunt qui proxima nocte quiescenti Annibali juvenem admirabili specie visum in somnis tradunt, hortantem primò ut se ducem in Italiam sequeretur; deinde cùm magno strepitu serpentem apparuisse raræ magnitudinis. cupiendique scire quidnam id portenderet, visum sibi audire, vastitatem Italiæ esse. Nec mirandum fuisset, si intentæ Annibalis curæ cogitationesque vehementes, quibus ille vigilans bellum Italicum agitabat, quasdam nocturnas peperissent species, nunc victoriæ, nunc cædis & incendii, aliarumque belli calamitatum similitudinem præ se ferentes. Fit enim interdum, sicut Orator inquit, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui. Annibal superatis Pyre- XIV
næis jugis, conciliatisque sibi multis donis Gallorum animis, paucis diebus ad Rhodanum venit. Rhodanus amnis non longè ab Istri Rhenique fontibus surgens, octingentis propè emensis stadiis in lacum Lemanum se condit: inde egressus in occidentem se vertens, Gallias aliquandiu dirimit, Ararisq; & aliorum fluminum accessione non mediocriter auctus, tandem inter Volcas & Cavares pluribus capitibus in mare influit. Volcarum gens ea tempestate circa utranque ripam colebat Rhodani, hominum abundantissima erat, & inter Gallicas gentes opulentissima. Hi primo Annibalis adventu amnem transgressi constiterant in ripa fluminis, ut Pœnos transitu prohiberent. Nam cæteris pacatis Gallis, hos neque donis capere Annibal, neque metu compellere potuit, ut amicitiam experiri quã vim Carthaginensium mallent. Igitur dolis cum tali hoste agendum XV
ratus, Hannoni Bomilcaris filio præcipit, ut occultè Rhodanum trans-

transmittat, & cum parte copiarum Gallos nil tale opinantes adoriatur. Is ut imperatum erat longiore itinere progressus, ubi commodissimum visum est, flumen trajicit: & circumductis copiis prius ad hostium castra pervenit, quàm planè ab his videri, aut quid rei gereretur cognosci posset. Galli clamore à tergo audito, cùm neq; consilii habendi, neque arma capiendi spacium daretur, & jam à fronte instaret Annibal, pluribus navigiis ad trajiciendum paratis, subitò castris excessere: & quantum cursu ac viribus efficere potuerunt, se in præcipitem dederunt fugam. Sic igitur ex adversa ripa hostibus pulsis, reliquæ Charthaginensium copiæ incolumes traducuntur.

XVI Interim crebri rumores de adventu Annibalis ad P. Cornelium Scipionem, qui paulò ante Massiliam venerat, deferebantur. Quæ ut certius cognosceret consul, alam lectissimorum equitum ad exploranda consilia hostium mittit. Quibus ut mandatum erat celeriter proficiscentibus, quingenti Numidæ equites obvii fiunt, missi & à Pœno speculatum Romana castra. Nulla mora interjecta est, quin prœlio contenderent. Pugnatum est acriter ab utrisque. Tandem superiores Romani multis ex suis amissis, pluribus ex hostibus cæsis, reliquos in fugam conjecerunt. Post hæc Annibal certior factus quo in loco Romanorum copiæ essent, agitare secum cœpit, præstaretne cœptum iter in Italiam prosequi, an adversus præsentem consulem exercitum ducere, & eventum totius

XVII rei experiri. Cùm multæ utrinque rationes occurrerent, tandem fluctuantem animo, Bojorum legati in eam partem traxerunt, ut omnibus postpositis in Italiam contenderet. Nam Boij jam ante Pyrei montis transitum, legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio prætore magna clade affecto, solicitatis Insubribus ad Pœnum defecerant, ea præcipuè causa indignati, quod Romani paulò ante Placentiam Cremonamque colonias miserant. Itaque horum consiliis persuasus Annibal, castra movit: & per ripam Rhodani adverso flumine profectus, paucis diebus pervenit ad locum, quem Insulam Galli appellant. Hanc Arar & Rhodanus amnis ex diversis montibus confluentes efficiunt: ibi nunc Lugdunum est celeberrima Galliç urbs, quam longis postea temporibus à Planco Munatio conditam fuisse accepimus. Hinc profectus Annibal regionem Allobrogum ingreditur, discordiisq; duorum fratrum de regno inter se certantium sublatis, per Castinorum & Vocontiorum fines ad flumen Druentiam venit. Druentia oritur ex Alpibus, & citato descendens cursu in Rhodanum sese effundit: & quia vada frequenter mutat, ægrè pedibus transiri potest. Eo tum transmisso amne per aperta lo-

XVIII ca quantum facultas dari potuit exercitum ducens, Alpes petit. Verùm in superandis Alpibus tot tantaq; incommoda perpessum Annibalem tradunt, ut quidam autores æquales temporibus ejus belli, ex ipso Pœno audivisse dicant, se supra triginta hominum millia maximumque jumentorum numerum in transitu Alpium amisisse. Non solùm enim cum montanis incolis multoties sibi pugnandum,

Quantis incommodis Annibal superarit Alpes.

sed etiam adversus angustias asperitatesque viarum sic ei laborandum fuit, ut quibusdam locis per ingentia saxa igni acetoq; putrefacta sibi aperuerit iter. Quintodecimo die superatis Alpibus in agrum Taurinum descendit Quo mihi verisimilius videtur per montem Genuæ (sic enim vulgò appellant) qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinos habet, Pœnum transisse. Postquàm in Italiam ventum est, quæ aut quantæ copiæ Annibali fuerint, quia diversa autores retulere, difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Alii C. millia peditum, XX. equitum: alii XX. XIX
peditum, sex equitum ex Afris Hispanique Quidam verò Gallis Liguribusq; additis LXXX. millia peditum, X. equitum fuisse scribunt. Sed credere libet. neq; ita magnum illi fuisse numerum copiarum, ut asserunt primi, post tot emensa terrarum spacia, tantaq; detrimenta accepta: neq; ita exiguum, ut secundi volunt, cùm maximæ res quas postea gessit, menti occurrunt. Qui verò mediam sequuntur viam, probabiliora dicere videntur, cùm ex octoginta millibus peditum, decem millibus equitum, quæ ex Hispania movit, magnam partem in Italiam duxerit, satisque constet confluxisse ad eum ingentem multitudinem Ligurum Gallorumque, qui ea tempestate non minore odio in Romanos quam Pœni ardebant. Cùm XX
ex Taurinis in agrum Insubrium venisset Annibal, adversum habuit P. Cornelium Scipionem, qui à Massilia ingenti celeritate in Italiam reversus Pado Ticinoq; trajectis, haud procul ab hoste consedit: brevique interjecto spacio, ambo ii duces alter alterius castra speculatum profecti, equestre prœlium commiserunt, in quo aliquandiu pari propè certamine dimicatum est. Ad extremum Romani cùm vulneratus esset consul, & Numidę equites paulatim circumeundo à tergo imminerent, pedem referre coacti sunt. Itaq; sensim cedendo, & consulem protegendo, sese in castra receperunt. Sunt qui ab Africano filio jam tum pubescente servatum patrem Cornelium scribunt. Quę quidem laus etsi maximè sit in tam recenti teneraq; ætate, non tamen à vero, nec à præclaris rebus quas postea gessit, aliena videtur. Hoc prœlio expertus Scipio quantum equitatu prævaleret hostis, statuit sibi ea loca petenda esse, in quibus pedestres copiæ & consistere tutius, & dimicare commodius possent. Itaque sequenti nocte quanto maximè silentio potuit, omni exercitu Padum traducto, in agrum Placentinum contendit. Eodem paulò post T. Sempronius Longus, literis senatus ex Sicilia accersitus, ut ambo consules communi imperio, communique consilio remp. administrarent. Annibal etiam post equestrem pugnam cum omnibus copiis Scipionem secutus ad flumen Trebiam consederat, sperans propinquitate castrorum fore aliquam dimicandi facultatem, XXI
quam sibi datum iri vehementissimè cupiebat, non solùm quia longam morã sustinere non poterat ob commeatus inopiam, sed etiam quia verebatur infirmitatem Gallorum, qui & spem novarũ rerum, & equestris victoriæ famam sequuti, ut facilè in suam fidem atque amici-

amicitiā concesserant: sic etiam levi momento fieri posse credebat, ut durante in suis sedibus bello, odium à Romanis in se unum autorem belli transferrent. Igitur omnibus modis materiem quærebat, unde occasio committendi prœlii oriretur. Accidit autem opportunè per eos dies, ut Sempronius consul nactus hostium agmen præda grave, palatumque per agros invaderet, in fugamq; conjiceret, atque ex ea re prosperè gesta de eventu totius rei cōjecturam faciens, in maximam spem veniret victoriæ consequendæ, si justa acie consererentur manus. Quare priusquàm Scipio convalesceret, & novi consules crearentur, alicujus præclari facinoris edendi cupidus, in certamen prodire decrevit, rem improbante collega, clamanteque nihil intempestivius agi posse, quàm omnibus propè adversantibus *Pugna ad Trebiam.*
XXII Gallis, summam reipub. in discrimen offerre. Horum dissensiones per occultos exploratores deferebantur ad Pœnum. Quibus cognitis, callidus Imperator extemplò locum inter utraq; castra septum undique & vestitum vepribus & dumetis invenit, ibique Magonem fratrem cum delecta manu consistere jussit. Deinde equitibus Numidis negocium dedit, ut adirent Romana castra, hostemq; lacessentes ad prœlium excitent. Ipse interim reliquum exercitum cibo potuque refectum in aciem deducit, ut in omnem occasionem gerendæ rei intentus paratusq; in armis esset. Sempronius consul ad primum tumultum Numidarum, subitò equitatum, deinde sex millia peditum, postremò omnes copias ex castris deducit. Erat autē brumæ tempus, & summa vigebat asperitas hyemis, in iis præsertim locis quæ Alpibus Appenninoq; clauduntur. Numidæ ut præceptum erat, citra flumen Trebiam Romanum sensim trahentes, ubi ad eum locum venerunt, unde suorum signa conspici poterant, subitò verterunt in effusum hostem equos. Est enim Numidarum consuetudo, ut sponte plerunq; cadant, mox ubi visum fuerit sistant, rursusque
XIII majore impetu quàm prius hostē invadant. Sempronius extemplo equitibus ad subsidia revocatis, pro necessitate temporis aciem instruit, pugnam cum hoste, qui omnia ad futurum certamen præparaverat, commissurus. Iam enim cum instructis copiis aderat Annibal, ut præsenti occasione certandi uteretur. Pugna primùm à levi armatura, deinde ab equitatu inita est, in qua Romani equites cùm impetum hostium sustinere non possent, facilè cesserunt loco. Prœlium deinde legiones excepêre, tanta contentione, tamque paratis ad dimicandum animis, ut resistere posse viderentur, si eis fuisset cum solo pedite decernendum. Sed hinc equites elephantique terrebant, hinc pedites instabant acriter pugnantes adversus corpora fame frigoreque confecta. Itaque magis animis quàm viribus hanc molem circumstantium incommodorum sustinentes Romani, pugnam extraxêre, quousque Mago ex insidiis exortus, cum clamore ac tumultu incautos invasit, & media Pœnorum acies jussu Annibalis impetum in Cennomanos fecit. Tunc fuga ab auxiliaribus cœpta Romanorum fregit animos. Nam ad decem millia peditum ex

Romano exercitu fuisse dicuntur, qui per medios erumpentes hostes se Placentiam contulêre. Ex reliquis copiis fugientes persequuti majorem partē conciderunt Pœni. Evasit tamen Sempronius consul summo periculo manibus hostium evitatis. Nec Pœnis incruenta victoria fuit, multis ex suis militibus ac omnibus prope elephātis amissis. Post hanc pugnam Annibal per omnem regionem vagatus, XXIV.
cuncta ferro ignique vastavit, oppida quædam cepit, ac ingentem multitudinem incolarum nullo ordine militari in certamen euntem, parva manu fudit fugavitque. Vere primo maturius quàm tempus postulabat ex hybernis movens, cùm in Etruriam contenderet, & propè Apennini juga sæva tempestate repulsus, exercitum in agrum Placentinum reduxit, breviq; interjecto spacio, cùm multæ necessariæ urgerent causæ, rursus eandem profectionem sicut instituerat, suscipiendam putavit. Nam Gallorum insidiis propè circumventus, calliditate ingenii periculum capitis evitaverat. Ægrè enim ferentes Galli bellum in suis agris diutius consistere, unum Annibalem caput belli petebant. Quo periculo compulsus Pœnus, maturandum sibi atq; in aliam provinciam omnem exercitum traducendum putabat. Accedebat præterea, quod ad opionem gentium, & suorum militum alacritatem magni interesse arbitrabatur, tantas videri Carthaginensium vires, tantum ducis animum, ut in propinquas Romanæ urbi regiones arma transferre auderet. Quare postpositis omnibus rebus, castra movit. superatisque Ap- XXV
pennini jugis, per Ligures ea via qua ad paludes ac planiciem fluminis Arni est iter, in Etruriam descendit. Arnus vehementius excreverat per eos dies atque omnes circumadjacentes campos aquis inundaverat. Igitur Annibal tantum exercitum secum trahens, priusquàm è palustribus locis egrederetur, vitare non potuit, quin ingentem hominum ac jumentorum jacturam faceret. Ipse quoque dux etsi elephanto, qui unus superfuerat ex multis, eminens veheretur, plures tamen dies ac noctes aëris intemperie vigiliisque confectus alterum amisit oculum. Inter hæc Cajus Flaminius consul exercitu à Sempronio accepto Arretium venerat, inconsulto senatu ægrèque ferente quod relicto Romæ Cnæo Servilio collega, sine insignibus, sine lictoribus, furtim in provinciam contendisset. Hunc virum natura ferocem plebis favor supra modum extulerat atque ita audacem reddiderat, ut appareret omnia incautè inconsultèque acturum. Quod ubi Annibal comperit, commodissimum esse sta- XXVI
tuit, ingenium consulis irritare: conarique omnibus modis, ut antequàm collegæ jungeretur, ad pugnam alliceret. Itaq; castra movens per agrum Fesulanum Arretinumque magno impetu vagatur, omnem regionem terroribus implet, cuncta ferro ignique pervastat: nec prius populationibus aut incendiis finem facit, quàm passim vastatis agris ad montes Crotonenses, atque inde ad Thrasimenum lacum pervenit. Ibi locum contemplatus cùm capere insidiis hostem quæreret, propè angustam viam, quæ ad Thrasimenum ducit, sub

Ad Thrasimenum.

quibus-

quibusdam tumulis equitatum locat, post montes levem armaturam considere jubet. Ipse cum reliquis copiis in planiciem descẽdit, suspicatus id quod accidit, Romanum consulem non quieturum. Homines enim furentes ingenio facilè ad omnes machinas atque insidias hostium parent, sæpeque salutaribus consiliis spretis, summam rerum in discrimen objiciunt. Flaminius ubi passim agros sociorum diripi, frumenta succidi, ædificia incendi sensit, subitò contra omnium sententiam, qui collegam expectandum censebant, ca-
XXVII stra movit, citatumque agmen ad hostem duxit. Cùm occidente jam sole ad angustias Thrasimeni lacus pervenisset, eo in loco constitit, continenti itinere indefessus miles. Sequenti die, sub primam lucem, nulla re antea explorata, saltum transcendit. Annibal verò qui omnibus antea præparatis occasionem expectabat gerendæ rei, ubi in patentiorem campum Romanum deductum cernit, dat omnibus invadendi signum. Tunc undique surgentes Pœni, hoste lacu & montibus clausum adoriuntur, nec solum à fronte, sed etiam à tergo & lateribus instant. Contrà Romani nullo ordine militari prœlium ineuntes constipati conglobatique, in nebula quæ omnium oculos occupaverat, veluti in umbra pugnant, ut mirandum fuerit, cùm ab omni parte circumsepti tenerentur, quibus rebus freti tandiu pugnam distulerint. Nam supra tres horas ita acriter certatum constat, ut neque maximus terræmotus eo tempore à pugnantibus auditus sit, nec prius Romana inclinata acies, quàm manu equitis, cui Ducario nomen erat, consulem tota acie volitantem interfectum fama vulgavit. Tunc Romani spoliati præsidio ducis, ac omni spe destituti, terga verterunt, alii montes, alii lacum petentes, quorum multi in fuga comprehensi sunt atque interfecti. Cecidêre in pugna ex copiis Romanorum ad xv. millia hominum, & ad x. millia variis itineribus evasêre. Fuisse etiam dicuntur sex millia peditum, qui ab initio pugnæ impetu facto saltum superârunt, & in eminenti quodam tumulo constiterunt: postea verò finito prœlio accepta à Pœ-
XXVIII nis fide, proditi fraudatique in victoris potestatem venerunt. Annibal hac ingenti victoria parta, multos ex captivis Italici generis liberaliter prosequutus sine precio dimitti jussit, ut humanitatis & indulgentię fama per populos vulgaretur, à quibus tamẽ virtutibus ingenium ejus longissimè aberat. Fuit enim Annibal ferus immanisque natura, & adjunxit etiam à prima pueritia disciplinam, qua non jura, non leges, non civiles consuetudines, sed bella cædesque & hostiles proditiones tractare didicerat. Itaq; crudelissimus evasit dux, & in fallendis hominibus callidissimus. Nam ad decipiendum hostem semper intentus, quos aperto Marte superare non poterat, dolis aggrediebatur, ut facilè ex præsenti pugna, & prœlio quod antea cum Sempronio ad Trebiam commisit, possumus judicare. Sed hæc in alium locum differantur. Romam verò ubi Flaminium consulem victum cæsumq; cum magna parte copiarum nuntiatum est, ingens repente luctus civitatem invasit; alii publicam, alii privatam, qui-

dam utranque calamitatem deplorabant. Miserabile spectaculum erat multitudinis mulierum virorumque confluentis ad portas, ut privatim quisque de suis necessariis certior redderetur. Proditum quoque memoriæ est, mulieres duas stantes sollicitis atque pendentibus animis pro salute filiorum, cùm præter spem filii occurrissent, subita lætitia expirasse. Sub idem tempus quatuor millia XXIX
equitum ad Flaminium consulem mittebantur à Servilio collega, nondum sciente prœlium ad Thrasimenum factum. Hi in itinere audita suorum clade, cùm in Vmbriam se reciperent, ab equitatu hostium excepti ad Annibalem deducuntur. Cæterùm cùm tot tamque multiplicibus acceptis cladibus in summo periculo res Romana esset, placuit extraordinarium imperium quæri, dictatoremque creari, quod unum remedium alienissimis temporibus reipub. adhiberi solitum erat. Sed cùm obsessis omnibus viis Servilius consul Romam venire non posset, novo exemplo populus Romanus dictatorem dixit Quintum Fabium, cui postea Maximo fuit cognomen, qui Marcum Minutium magistrum equitum dixit. Erat autem Fabius vir magni consilii & prudentiæ, & summæ in Rep. dignitatis. Itaque eo tempore omnes cives hunc unum intuebantur; jamque sibi persuaserant eo duce, aut nullo alio, defendi statum civitatis posse. Hæc ille non ignorans, ingenti cura rebus necessariis comparatis ab urbe proficiscitur, & exercitu à Servilio consule accepto, duabusq; legionibus additis, ad hostem pergit. Iam Annibal XXX
à Thrasimeno lacu recto itinere Spoletum profectus, tentaverat primo impetu si id oppidum capi posset. Concursu oppidanorum ad tuenda mœnia facto, cùm egregiè defenderetur, vastatis omnibus eorum agris, vicis, ædificiisque incensis, in Picentes, atque inde per Marsos & Pelignos in Apuliam contenderat. Dictator hostē sequutus propè Arpos haud procul à Punicis castris consedit, eo consilio ut morando cunctandoq; bellum traheret. Nimia enim superiorum ducum ferocia in eum locum rem Romanam deduxerat, ut à toties victore hoste non vinci eo tempore pro victoria haberetur. Itaque omnia repentè mutavit imperator mutatus. Nam cùm Annibal primò in aciem deduceret, deinde quiescente hoste omnem regionem popularetur, ut vastando in oculis agros sociorum, dictatorem exciret ad prœlium capessendum, nihilo magis motus Fabius suos in castris continebat. Hanc cunctationem Romani ducis iniquo animo ferens Annibal, frequenter castra mutare constituit, ut pluribus adeundis locis aliqua vel fallendi hostem vel committendi prœlii occasio oriretur. Quapropter superato Apennino, ex a- XXXI
gro Arpinati in Samnium venit: paulòque post quibusdam Campanis quos ad Thrasimenum captos liberaliter dimiserat, afferentibus spem Capuæ potiundæ, castra movit, perito quodam regionis admonito, ut in agrum Cosinatem exercitum duceret. Similitudine nominis Casilinum dux itineris pro Casino accipiens, longè diversa via per Calentinum & Calenum agrum in campum Stellatem traxit.

traxit. Vbi cùm septa undique montibus & fluminibus regio teneretur, cognito errore Pœnus hominem crudeliter excruciatum necari jussit. Fabius per id tempus incredibili patientia usus, vagari Pœnum permisit, donec occupato Gallicano & Casilino monte opportuna loca præsidiis firmavit. Quo factum est, ut Punicus exercitus propè circumventus, vel opprimi commeatus inopia, vel turpi fuga sibi consulere cogeretur, nisi Annibal arguta fallacia frustratò hoste periculum evasisset. Nam hac re animadversa, cùm sibi opportunum visum est, imperat militibus suis, ut ex agresti præda, quam abundè in castris habebat, ad duo millia boum ad se deducant. Horum cornua facibus vinciri jubet, deinde quosdam idoneos deligit viros, qui sub primam vigiliam facibus incensis ad summos montes belluas concitent. Nihil ex his quæ imperata erant

XXXII prætermissum fuit. Agitati boves ardentibus facibus summa montium petunt. Copiæ paulatim sequuntur. Romani qui multo ante firmis præsidiis saltus occupaverant, re nova perterriti, & insidias esse rati, subitò ex opportunis locis discessere. Fabius quoque Punicam fraudem suspectã habens, cùm non satis constaret quidnam rei esset, suos in castris continuit. Interim Pœnus haud procul ab aquis Suessanis, quem locum hac tempestate incolæ regionis Turrim balneorum appellant, saltum transgreditur, atque in agrum Albanum cum omnibus copiis incolumibus sese recipit, breviq; interjecto spacio castra movet, quasi recta via Romam petiturus. Sed postea converso itinere in Apuliam rediit. Ibi potitus oppido Glereno opulento sanè & abundanti omni copia rerum, hyberna in iis locis habere constituit. Nec multo post dictator subsecutus, haud procul à Punicis castris in agro Larinati consedit. Inde reipublicæ causa Romam accersitus, cùm celeriter sibi proficiscendum esset, magistro equitum denunciat, ut sese loco teneret, neve absente se cum hoste manum consereret. Nam sicut ab initio proposuerat animo, ita etiam postea in eo perseverandum putabat, ut neque ho-

XXXIII stem in prœlio lacesseret, neque lacessitus in aciem descenderet. Sed accidit post discessum ejus, ut M. Minucius præceptorũ immemor, hostium manum adoriretur frumentatum ab Annibale missam, palantemq; per agros cum multa cæde in castra conjiceret. Extemplò hujus rei fama Romam perlata, auctaque rumoribus veluti adeptæ victoriæ nomen obtinuit, ac ita multitudinis implevit aures, ut repentè sit magistro equitum, quod ante id tempus contigit nunquã, cum Fabio dictatore æquatum imperium. Hanc injuriam sibi indigno illatam magno animo ferens Fabius, in castra revertitur. Iam duo dictatores uno tempore erant, res ante eam diem inaudita, divisisque inter se copiis, sicuti consulibus mos fuit, pari imperio exercitibus præerant. At M. Minutius ex rebus tantam sibi arrogantiam sumpserat, ut quod vix Annibal toties victor auderet, ausus sit quadam die inconsulto collega certamen inire, ac in eum locum copias suas perducere, ubi Punicis insidiis circumventæ ad arbi-

trium hostium cedebantur, nec ullam evadendi viam habebant, nisi Fabius publicæ salutis magis quàm acceptæ injuriæ memor, in tempore subvenisset. Nam recentibus copiis certamini superveniens, haud dubiæ terruit Pœnum, & facultatem legionibus Romanis dedit, ut sese in locum tutum reciperent. Maximam hinc virtutis & prudentiæ famã cùm apud suos tum apud hostes est Fabius V
consecutus. Nam & Annibalem in castra redeuntem dixisse tradunt eo prœlio à se M. Minucium, se autem à Fabio esse superatum. Et ipse Minucius cognita prudentia viri, juxta Hesiodi sententiã, meliori parendum ratus, cum omnibus copiis in castra Fabii venit: magistratuq; deposito, honorificentissimis verbis patrem Fabium salutavit, longéq; is fuit cunctis militib. lætissimus dies. Cæterùm utrisq; exercitibus in hyberna discedentibus, post longam contentionem creati sunt consules novi, L. Paulus Æmilius, & C. Terentius Varro, homo ex infima plebe populari aura ad consulatũ evectus. His concessum est, ut majoribus copiis quàm consueverant priores duces, rem Romanam gererent. Auctæ legiones, & novæ quoq; veteribus additæ. Profecti ad exercitum consules diversi ingenii diversam in administrando imperio rationem servabant. L. Paulus vir prudens, & Fabianæ artis & consilii memor, bellum trahere, hostem morari, prœlio abstinere. Varro contra furere, audere, certamen exposcere. At brevi spacio interposito, patefactum est magna cum calamitate XXXV
ac pernicie civitatis, quantum inter modestiam Æmilii, & Varronis arrogantiam interesset. Nam Annibal inopia frumenti timens, ne aliquis motus in castris oriretur, ex Glereno profectus cùm calidiora petiisset Apuliæ loca, cum omnibus copiis ad Cannas consedit: quem insequuti Romani consules, bina prope posuerunt castra, ita inter se juncta, ut tantũ Aufido dirimerentur amne. Is solus fluviorum, ut tradunt quidam, Apennium dividit, atque ex ea parte, qua montes ad mare infernum spectant, oriens, in Adriaticum influit sinum. Verùm L. Paulus cùm videret Pœnum in aliena morantem terra, non posse tot, tamque diversarum gentium copias diutius sustinere, in eadem sententia perseverabat ut bellum duceret: hanc unam tutam vincendi viam, hanc hosti perniciosam, suæ Reipublicæ salutarem esse censebat. Quod si hoc C. Terentio persuasum esset, satis apparebat à sedentibus Romanis frangi posse Annibalis opes. Sed vir inquieti animi non solùm non movebatur autoritate Æmilii prudentissimè consulentis, sed ipsum etiam increpabat, fremebatque per vulgus, quod in aciem prodeunte hoste militem ociosum in castris contineret. Quamobrem cùm venisset dies in qua summa imperii sibi obtigerat (vicissim enim exercitibus præerant) prima luce, transmisso Aufido, signum dimicandi proponit, inconsulto collega, invitoque magis, quia repugnare non poterat, quàm sponte eum sequente. Annibal lætus occasione pugnandi, quod omnem XXX
dilationem sibi adversam esse censebat, copias amnem traducit, pa- VI
ratissimas quidem atque omni armorum genere ornatissimas. Multa enim

Pugna ad Cannas.

ta enim

ta enim ſpolia ex hoſtibus parta materiam præbuerant ad ornatum. Erat autem Romanorum acies in meridiem verſa. Horum oculos occupabat pulvis meridiano excitatus vento, quem incolæ Vulturnum appellant: hoſtes contra ſeptentrionem ſpectabant, atque ita in acie diſpoſiti erant, ut utrumque cornu tenerent Aphri, in medio conſiſterent Galli atque Hiſpani. Primùm à levi armatura, deinde ab equitibus concurſum eſt: & quia exiguum ad pervagandum ſpacium inter amnem peditatumque relictum erat, atrox magis quàm longum fuit certamen. Pulſo tamen equitatu Romano pedeſtris acies prœlium excepit, tanto ardore animorum, ut nullum aliud tempus ad dimicandum habitura videretur. Sed nimia vincendi cupiditas ut primo congreſſu initium lætum, ſic etiam poſtea exitum triſtem Romanis dedit. Nam Galli atque Hiſpani, quos in medio locatos ſupra oſtendimus, non ſuſtinentes impetum Romanorum, ſeſe ad Afrorum ſubſidia recepêre. Romani verò effuſò curſu in hoſtem delati, dum urgendo cedentes in medium coeunt, occaſionem dederunt Pœnis, ut ex utraque parte cornua circumducerent. Quingenti quoque Numidæ equites qui paulò ante ſimulata fuga à conſulibus fuerant comiter accepti, ac in poſtremo agmine conſiſtere juſſi, ubi tempus viſum eſt gerendæ rei, à tergo ſeſe oſtendunt, ſubitoque imprudentes atque inopinantes hoſtes aggrediuntur.

XXXVII Tum undique perturbata Romana acies haud dubiam Pœno victoriam dedit. Ad quadraginta millia peditum, ad duo millia ſupra ſeptingentos equites, auctore Livio, eo prœlio cæſa dicuntur. Polybius longè majorem numerum cæſorum affert. Sed his in medio relictis, illud affirmare libet, hac Cannenſi clade nullam majorem unquàm nec primo nec ſecundo Punico bello à Pœno hoſte illatam eſſe Romanis. Nam in ea pugna cæſus eſt Paulus conſul vir memoria dignus, & usque ad ſupremum diem omni officio in patriam functus. Servilius quoque prioris anni conſul, & alii conſulares, tum prætores, prætoriique viri, tribuni militum, ac ædilicii quidam, aliique permulti honeſtiſſimi Senatores, tum optimorum civium exercitus, qui ad ſatietatem crudeliſſimi hoſtis interempti ceciderunt. Terentius conſul, qui autor fuerat prœlii committendi, ubi in omni parte Pœnum ſuperiorem vidit, ſalutem ſibi comparavit fuga. Et Tuditanus tribunus militum cum magna manu per medios hoſtes erumpens, Canuſium venit. Ibi ad decem millia hominum ex manibus hoſtium tanquam ex tempeſtate emerſa convenerunt, ſummaque imperii omnium conſenſu ad Appium Pulchrum & P. Cornelium Scipionem, qui poſtea hoc bellum confecit, delata eſt.

XXXVIII Hunc tandem exitum Cannenſis habuit pugna. Quæ celeriter Romam perlata, etſi omnem civitatem (ut par erat) mœſticia luctuque replevit, ſenatus tamen populusque Romanus in tam adverſis rebus dignitate retenta, non modò de ſervanda urbe, ſed etiam de reparando exercitu cogitavit, juniores ad arma concivit, nec Siciliam Hiſpaniamque neglexit, ut

hæc considerans mirari debeat, tantum ea tempestate, vel animi vel consilii in illo ordine populoque fuisse. Nam ut cæteras omittam clades, ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thrasimenum acceptas: hoc postremum vulnus quo penè Romani imperii opes conciderunt, quæ alia gens sustinere potuisset? Tulit tamen populus Romanus atque ita tulit, ut neque industria consilio, neque consilium magnitudini animorum defuisse videretur, Annibal quoque victor in reficiendo exercitu tempus terens, spacium victis dedit ad respirandum. Nam si extemplò finita pugna, victorem exercitū Romam duxisset, proculdubio aut succumbendum omninò, aut extremum subeundum discrimen Romanis erat. Hujus postea tarditatis sæ- XXXIX
pe pertæsum Annibalem tradunt palamque conquestum, quod consulentibus quieti militum magis eo tempore credidisset, quàm Maharbali præfecto equitum, qui subitò Romam caput belli petendum censuit, cunctantique Pœno illud vulgatum protulisse dicitur: *Vincere scis Annibal, sed victoriā uti nescis.* Verùm non omnia (ut Nestor ille apud Homerum inquit) data sunt hominibus simul: aliis enim ars vincendi, aliis celeritas conficiendi, quibusdam etiam cōservandi studium defuit. Pyrrhum Epirotarum regem, qui bellum intulit populo Rom. præstantissimum belli ducem fuisse accepimus: hunc tamen memoriæ proditum est egregium in acquirendo imperio, in conservando verò minimè aptum fuisse virum. Sic etiam alia aliis adfuisse, quædā etiam defuisse bellicis laudibus digna, per veteres historias cognoscere licet. Cæterùm post hoc prœlium ad XL
Cannas commissum, Atellani, Calatini, Samnites, Brutii præterea, atque Lucani, aliiq; permulti Italiæ populi fama ingentis victoriæ moti ad Annibalem defecerunt. Capua quoque, quod multò ante concupiverat Annibal, veteribus relictis sociis nova se ei societate conjunxit, idque ad opinionē gentium magnum momentum rebus Carthaginensium attulit. Erat enim ea tempestate validissima urbs multitudine civium incolarumq; & post Romā florentissima omniū Italiæ civitatum. Hanc Hetruscorum coloniam (ut multa quæ de ea referuntur, paucis verbis complectar) Vulturnum primò, Capuam deinde à duce eorum Capio, vel quod propius vero est, à campestri agro appellatā constat. Circum enim adjacent campi omni fertilitate terræ pulchritudineque agrorum insignes, quos κήπους appellant Græci. Hanc quoq; regionem ex omni parte illustres populi cingūt. Nam maritimam oram incolunt Suessani, Cumani, Neapolitani. Mediterraneā à septentrione Calentini, & Caleni: ab oriente & meridie Dauni & Nolani. Præterea locus ipse natura munitissimus est, hinc mari, illinc maximis perpetuisq; montibus cingitur. Ea verò tem- XLI
pestate florentes mira felicitate Campani, cùm viderent propè ad internecionem Romani imperii pugnatum esse ad Cannas, facilè ut plerunq; fit, ad victoriam inclinarunt, Annibalemque victorem non solum sibi societate junxerūt, sed etiam incredibili honore acceperunt in urbē, sperantibus civibus, confecto bello se inter Italos po-

tentia

tentia atque opibus longè primos fore: adeò plerunque mortales in
rebus humanis spes ac opinio fallit. Venienti Capuam Annibali in-
gens multitudo obviam effunditur, studio visendi celeberrimi no-
minis ducem, cujus tot victoriæ & secunda commissa prœlia in ore
atque oculis omniū versabantur. Ingressus urbem deducitur ad do-
mum Pacuvii familiaris, viri & potentiâ atque existimatione facilè
principis Campanorū. Cœna conquisitissimis epulis comparatur.
Ex Campanis civibus nemo ad convivium adhibetur, præter Vibel-
lium Tauream virum fortissimum, & filium Pacuvii hospitis, cui
pater iratum Annibalem, eo quod Decium Magiū pro Romana so-
XLII cietate pugnantem sequutus erat, magno negocio placavit. Sed ope-
ræ precium est videre, quanta & quam varia pericula præter opi-
nionem hominum maximis interdū accidant viris. Nam is juvenis
licet simulatione reconciliatus Annibali, nocendi tamen occasionē
spectans, dum celebratur omnium sermone læticiaque convivium,
patrem in interiorem partē ædium adducit, eumq; hortatur, ut si-
mul secum gratiā populi Rom. gravi peccato amissam summo be-
neficio redimere velit. Consilium deinde aperit quo animum indu-
xerat, Annibalē patriæ suæ totiusq; Italiæ hostem de medio tollere.
Homo qui id autoritatis & parens esset, filii dicto vehementer ob-
stupuit, juvenemque complexus, magno labore, multis cum lachry-
mis vix tandem exoravit, ut abjecto gladio domi suæ hospitē tuto
esse sineret. Ita Annibal, qui ab Oceano Hispaniæq; ultimis oris per
ingentia terrarum spacia militem trahens, nunc hostium telis, nunc
Gallorum insidiis petitus evaserat, parū abfuit, quin unius juvenis
XLIII manu inter epulas mensasq; necaretur. Postero die frequens senatus
Annibali datus est à Campanis, in quo ille gratissimis verbis audien-
tium implevit aures, multa promittens, multa suadens, quæ facilè
credebant Campani, proptereaque sibi opinionis errore de Italiæ
principatu sperabant. Quare ita turpiter se submiserunt Pœno ut
quasi libertatis obliti, non solum in urbem, sed domū dominū acce-
pisse viderentur. Quinetiam præter alia, petenti Annibali sibi tradi
Decium Magium principē factionis adversæ, non modò servili de-
creto est senatus assensus, sed etiam passus est, ut spectante populo
catenis vinctus in castra duceretur, vir antiquæ societatis memor,
XLIV reique publicæ magis, quàm barbaris gentibus affectus civis. Dum
hæc Capuæ geruntur, interim Mago Annibalis frater Carthaginem
profectus felicissimæ victoriæ nuncium suis civib. detulit, resq; ab
Annibale gestas magnificentissimis verbis in senatu exposuit, & ad
faciendam fidē orationi suæ effundi jussit in vestibulo curiæ aureos
annulos Romanis equitib. ademptos, quorum cumulū alii modii u-
nius, alii trium modiorū dimidiiq; mensuram excessisse tradunt. Pe-
titum deinde supplementū, concessumq; à senatu est majore studio,
quàm postea missum. Nam præsentib. rebus commoti Carthaginē-
ses, ut initiū lætum, sic prosperū belli finem sibi animis proponen-
tes, favendum Annibali, delectum habendū, perseverandumq; in ar-

nis censuerunt:uno tantum repugnante Hannone perpetuo hoste
factionis Barchinæ,cujus salutare consilium pacem suadens cùm a-
lias sæpe,tum eo tempore maximè posthabitum rejectumque à Pœ-
nis est. Annibal post societatem cum Campanis initam, ad urbem
Nolam exercitum admovit,oblata sibi spe per voluntariam deditio-
nem illius oppidi potiundi. Nec eum fefellisset opinio, nisi prætor
Marcellus concitatam multitudinem subito adventu repressisset,
succedentemque mœnibus hostem tribus portis eruptione facta,
cum magna cæde in castra adegisset. Hic est Marcellus vir bello in-
signis & militari gloria clarus, qui primus magnitudine quadam a-
nimi atque ingenii Annibalem docuit posse vinci. Post hæc Anni XLV
bal rem Nolanam in aliud tempus differendam ratus, Acerras pe-
tiit,nullo negocio urbem capit, diripitque. Majore deinde conatu
Casilinum aggressus,locum ad nocendum Capuæ peropportunum,
cùm oppidanos Prænestinosque qui ibi præsidio erant, neque polli-
citationibus neque denunciatione periculi permovere posset,exigu-
am partem copiarum ad obsidendum oppidum reliquit, ipse reli-
quum exercitum in hyberna deducit. Capuam autem locum stati-
vis deligit,urbem amœnam & omni deliciarum genere abũdantem.
Ibi miles assuetus sub dio vitam agere, frigus, famen, sitim patienti
animo tolerare, cùm variæ species voluptatum sibi quotidie offer-
rentur, brevi ex strenuo ignavus, ex forti timidus, ex solerti iners
mollisque evasit. Corrumpunt enim blandæ voluptates omne ro-
bur animi,indolemque virtutis,ingenium labefactant, consilium e-
ripiunt. quo quid perniciosius humano generi afferri potest? Me-
rito igitur Plato escam malorum appellat voluptatem. Et in præ-
sentibus rebus Campanæ deliciẹ magis quam Alpium juga, quàm
armati Romanorum exercitus Pœnis obfuerunt. nam una hyems
segniter molliterque acta, tantum valuit ad extinguendum vigorem
animorum, ut milites principio veris in campum progressi, omnis
virtutis bellicæ obliti viderentur. Annibal exacta hyeme ad Casili- XLVI
num revertitur,sperans oppidanos post tam longam obsidionem e-
tiam invitos in suam potestatem venturos.At hi etsi omnium rerum
inopia laborarent, tamen constituerant animis extrema etiam expe-
riri,priusquam se crudelissimi hostis fidei arbitrioq; permitterent.
Quamobrem farre primum, nucibus deinde per vulturnum à Ro-
manis acceptis,rem eo usque extraxere, ut confectus tædio Annibal
pactione,quo antea recusaverat,oppidum reciperet. Cæterùm hoc
bellum,in quo mira felicitate omnia propè læta secundaque evene-
rant Pœnis, nulla tot victoriis intercedente clade memoriæ digna,
cœpit per id tempus varios eventus variamque rerum conditionem
sortiri. Nam societas inita cum Philippo Macedonum rege,
& supplementum à Carthagine missum, & Petilia, Consentia, a-
liæque in Brutiis expugnatæ urbes,spes Carthaginensium confirma-
bant. Ex altera parte Romani maximis prœliis in Hispania Sardi-
niaque hostibus fusis, animos vehementer erexerant ad spem bene
gerendæ

gerendæ rei. Præstantissimos eo tempore quæsiverant duces, Fabiũ Maximum, Sempronium Gracchum, & M. Marcellum virum omni bellica laude dignum, qui ita impigrè rem Romanam administrabant, ut sentiret Pœnus sibi cum acerrimo simul prudentissimoque
XLVII hoste bellum esse gerendum. Primùm enim apud Cumas à Sempronio Graccho magno suorum cæde repulsus, coactus est obsidionem relinquere: pauloque post apud Nolam justa acie cum Marcello magnam plagam accepit. Nam ex Romanis citra mille, ex Pœnis sex millia partim prœlio cæsa, partim in fuga capta dicuntur. Hæc autem pugna quanti momenti fuerit, facilè ex eo intelligi licet, quod ex templo Annibal Nolæ oppugnatione omissa, Apuliam petens, militem in hyberna deduxit. His factum est, ut veluti ex gravi morbo respirantes Romani summis viribus adversus hostem contenderent, jamque non solùm tueri sua, sed etiam aliena aggredi auderent. Maximè verò conversi erant ad Capuam oppugnandam, refricante animos frequenti Campanorum injuria, quod ex templo post Cannensem pugnam alienissimo reipublicæ tempore defecerant ad victorem Pœnum, multorum beneficiorum obliti, quæ olim Romani in eam civitatem contulerant. Campani contrà sui delicti conscii, novoque apparatu Romanorum perterriti, ad Annibalem in Apuliam mittunt oratum, ut maximè necessario tempore sociæ urbi sub-
XLVIII veniat. Is nulla interposita mora, ex Apulia profectus, magnis itineribus in Campaniam venit, castrisque ad Tifata super Capuam positis, magis distulit in aliud tempus, quàm prohibuit imminentem pestem Campanis. Sed cùm crebris excursionibus per agrum Neapolitanum vagaretur, oblata est illi denuò spes Nolæ per proditionem occupandæ. Erat enim in ea urbe, sicut in plerisque Italiæ civitatibus plebs à senatu divisa. Multitudo avida novarum rerum, Annibali optimates; meliores consilio, pop. Rom. favebant. Pœno igitur ad occupandum Nolam proficiscenti, ut aliàs sæpe, sic etiam tunc, cum instructis copiis Marcellus occurrit, primoque congressu prœlium committere non dubitavit. In quo superior Romanus tanta alacritate hostem rejecit, ut satis appareret eo die calamitosam fuisse Carthaginensibus futuram pugnam, si equites diverso itinere profecti, ut à Marcello institutum erat, in tempore adfuissent. Annibal non sine magno detrimento copiis in castra reductis, paulò post ex loco proficiscitur, atque in agrum Salentinum exercitum
XLIX ducit. Nam quidam juvenes Tarentini in adversis prœliis Romanorum jam pridem capti, liberaliterque dimissi, cùm in referenda gratia memores esse vellent, spem Tarenti recipiendi Annibali fecerant, si propius urbem exercitum admovisset. Quorum pollicitationibus compulsus Pœnus, omnibus modis huic rei studendum censuit, ut quod multò antè animo concupiverat, aliquo maritimo oppido potiretur. Erat autem ex maritimis urbibus nulla alia Tarento cõmodior ad auxilia ex Græcia accersanda, & multa in excercitum transportanda, quæ indies ad necessarium usum expetebantur. Verùm

rùm etsi adversante Romanorum præsidio res in longum protracta
sit, tamen non prius ab incepto destitit Annibal, quàm Nico & Phi-
lomenus autores defectionis prodiderunt urbem. Arx solùm à Ro-
manis retenta, quæ tribus fere partibus mari abluitur: reliqua quar-
ta est, quæ aditum habet à terra quam murus & fossa muniebat. Ab L
ha. parte Annibal frustra expugnationem expertus, cùm strenuè de-
fenderetur, fauces Tarentini portus impedire instituit, ratus hanc u-
nam superesse viam, qua Romani commeatu exclusi ad deditionem
compellantur. Sed difficile opus apparebat futurum, cùm claustra
portus possiderent hostes, & naves quibus exitus obsidendi erant, e-
xiguo spacio inclusæ tenerentur. Has ex portu cui arx supererat, sub-
ducere oportebat, & in proximum mare deferre. Nemo ex Tarenti-
nis reperiebatur, qui rationem hujus rei explicandæ in medium af-
ferret. Annibal tantùm, cùm optarent reliqui, unus vidit, naves
machinis ex portu subduci, plaustrisque impositas per mediam ur-
bem ad mare deferri posse. Itaque adhibita solertia hominum, pau-
cis post diebus subductæ naves, in altum delatæ contra fauces por-
tus stetêre. Annibal recuperata post centesimum propè annum
quàm in Romanorum potestatem venerat, Tarentina urbe, & arce
terra marique obsessa, in Samnium rediit. Nam consules Romani
frumentatoribus Campanis oppressis direptisque, ad Capuam du-
xerant legiones, ac omnia studia belli in expugnationem ejus urbis
intenderant. Quamobrem Pœnus cogitationem Campanæ rei stu- LI
dio ingenti suscipiens, cum omnibus copiis adversus hostem con-
tendit: brevique interjecto spacio, non detrectantibus pugnam Ro-
manis, utrique in certamen progrediuntur, prœliumque insigne ap-
parebat futurum, nisi eodem tempore Sempronianus exercitus, qui
Sempronio Graccho in Lucanis amisso à Cn. Cornelio in Campa-
niam ducebatur, certantes diremisset. His enim copiis procul visis
priusquàm discerneretur quis esset, territi Romani pariter Pœnique,
copias in castra reducunt. Post hæc consules ut Capua averterent
Pœnum, cùm diversas regiones, alter Lucaniam, alter Cumas petiis-
sent, Annibal in Lucanos profectus, occasionem cepit cum M. Cen-
tenio confligendi, qui temeritate atque audacia insignis, exercitum
sibi à senatu parum prudenter creditum callidissimo hosti objecit.
Commisso prælio Centenius audacissimè pugnans occiditur: ex re-
liquis pauci evadunt. Accessit tunc ad hoc incommodum, ut An-
nibal paulò post in Apuliam proficiscens, alium exercitum Roma-
norum, cui præerat Fulvius prætor, insidiis circumventum profliga-
ret, deleretque. Nam ex viginti millibus hominum, cùm ad libidi-
nem crudelissimi ducis trucidarentur, vix duo millia superfuêre.
Consules inter hæc ex discessu Annibalis occasionem nacti, cum o- LII
mnibus copiis ad Capuam redeuntes, undique cinxerunt urbem.
Quod ubi Annibal cognovit, cum expedito exercitu in Campaniam
profectus, primo adventu castra Romanorum invadit, monitis ante
Campanis, ut eodem tempore eruptionem faciant. Imperatores
Ro-

Romani ad primum tumultum hostium partitis inter se copiis obviam progrediuntur. Campanis nullo negocio in urbem compulsis, durior adversus Pœnum dimicatio fuit, qui cùm aliàs sæpe, tum eo die acerrimum imperatorem se præstitit in prælio conferendo. Tentavit etiam si qua fallacia capere hostem posset. Nam cùm sui castra Romanorum irrumpere conarentur, misit quendam Latinæ peritum linguæ, qui jussu consulum alta voce denunciaret Romanis, ut castris jam propè amissis in proximos montes confugerent. Vox inopinata facilè audientes movisset, nisi Romani Punicis dolis assueti cognovissent fraudem. Itaque celeriter se invicem confirmā-
LIII tes, hostem pedem referre, seque in castra recipere coegerunt. Annibal tentatēs omnibus modis, cùm videret nullā sibi facultatem relinqui, qua duces Romanos à Capua removeret, pro sociorum periculo anxius, confugit ad jam multò ante agitatum, & veluti ad extremum reservatum consilium. Cunctis enim necessariis comparatis, castra movet, & quanto maximè silentio potest, transmisso Vulturno amne, per agrum Sidicinum, Alifanum, Cassinatem, infestis signis Romam petit, ratus aut hac via aut nulla alia, solvi tam pertinacem obsidionem posse. Quod ubi Romam certis autoribus nunciatū est, tantus repentè terror invasit, ut rarò sit unquam intra mœnia vehementius trepidatum. Cernebant enim acerrimum hostem, quem toties in magnis reipub malis experti erant, infesta jam patriæ signa inferre, & quem absentem sustinere non poterant, præsentem senatui populoque Romano servitutem minari. Igitur in tam trepida re placuit ut Fulvius Flaccus alter ex ducibus Romanis à Capua accersitus, & consules novi Sulpitius Galba, & Cornelius Centimalus extra urbem haberent castra, & C. Calphurnius prætor valido præsidio Capitolium tueretur, & hi cives qui summos magistratus
LIX gessissent, repentinos tumultus autoritate imperioque sedarent. Annibal continuato itinere, non prius constitit, quàm ad Anienem, tria millia passuum ab urbe posuit castra pauloque post cum duobus millibus equitum ex eo loco profectus, ita urbi appropinquavit, ut à porta Collina usque ad templum Herculis obequitans, situm mœniaque tam amplæ civitatis non solùm spectaret, sed etiam ociosè contemplaretur. Quem conspicatus Fulvius Flaccus, ferre indignitatem non potuit. Itaque celeriter Romanos equites adversus hostem immisit, qui ut imperatum erat, magno impetu prœlium ineuntes, facilè ex loco summoverunt Pænum. Sequenti die Annibal exercitum ex castris educit, aciem instruit, nullam dimicandi moram facturus, si allicere hostem ad certamen possit. Idem Romani faciendum, & prœlium committendum putant. Quare pregrediuntur in campum armatæ utrinque copiæ, tanta alacritate animorum, ut nullum periculum recusaturæ viderentur pro ejus diei victoria consequenda. Etenim Carthaginenses de imperio orbis terræ quod in eò veluti supremo certamine collocatum putabant: Romani de patria, de libertate, de bonis omnibus utrum sua vel in

hostium

hostium potestate futura essent, paulò post dimicaturi erant. Sed LV accidit res memoratu digna. Nam dum parati in armis signum dimicandi expectant, repentè supervenit imber frequentibus procellis effusus, cujus tanta vis & asperitas fuit, ut cogeretur quisque militem in castra reducere. Proximo quoque die, in quem pugna dilata videbatur, rursus in aciem utrisque exeuntibus similis tempestas exoritur, quæ non minus quàm superior Romanos pariter ac Pœnos afflixit, compulitque, ut instantis dimicationis obliti, de salute tantum & fuga cogitarent. Hæc animadvertens Annibal, conversus ad suos exclamasse dicitur, modò sibi mentem potiundę urbis Romæ, modò facultatem non dari. Id quoque turbavit Pœnum, quod se tantis equitum peditumque copiis ex propinquo Romam urgente, supplementum in Hispaniam missum, & agrum in quo ipse constiterat longè majore precio quàm par erat emptum fuisse cognovit. Quare indignatione accensus, argentarias officinas civium Romanorum per præconem venire jussit. Verùm post hæc, sive animo reputans quantæ molis esset expugnare Romanam urbem, sive inopiam frumenti metuens (decem enim dierum secum cibaria tulerat) castra movere constituit. Itaque ex eo loco decedens, ad lucum Ferociæ se recipit, ac templum quod ibi opulentissimum fuisse tradunt, diripit, paulòq; post in Brutios Lucanosque contendit. Quod ubi Capuani cognovêre, desperantes de summa rerum, dederunt urbem Romanis. Sic igitur Capua recepta & in Romanorum potesta- LVI tem redacta, magnum momentum apud omnes Italiæ populos, magnumque novarum rerum desiderium fecit. Movit etiam animos gentium ipse Annibal hostis, qui multa oppida quæ tueri non poterat, malo consilio diripi vastarique jussit. Nam ut antea sæpe victor, plerisque captivis sine precio dimissis, multorum voluntates liberali officio devinxerat, sic etiam per id tempus inhumana quædam illius crudelitas causa fuit, ut multæ urbes punici imperii pertæsæ in Romanorum fidem redirent. Quarum in numero Salapiam fuisse tradũt, quæ Autore Blacio principe factionis Romanæ, prodita consuli Marcello est, & lectissimorum equitum ala quæ urbi præsidio erat, propè ad internecionem deleta. Hæc est urbs in qua scriptores nonnulli Pœnum amore cujusdam puellæ captum fuisse tradũt, & immodicam cupiditatem viri calumniis prosequuntur. Alii sunt qui hujus ducis modestiam efferentes, nec primùm cùm bellum in Italia gessit, nec postea cùm in Africam rediit, aut cubantem cœnasse, aut plusquàm sextario vini indulsisse dicunt. Quidam etiam reperiuntur, qui Annibali crudelitatem, perfidiam, aliaque ejusdem generis vitia tribuentes, nulla de pudicitia aut de impudicitia hominis mentionem faciunt. Vxorem tantum ei fuisse scribunt Hispani generis ex Castulone non ignobili oppido, cui ob egregiam eorum hominum fidem, Carthaginenses indulgebant præcipuè & confidebant maximè. Verùm, ut suprà ostendimus, Annibal amissa LVII Salapia paulò post occasionem habuit longè majorem quàm acceperat

perat reddendi Romanis cladem. Nam per id tempus Fulvius proconsul apud Herdoneam sedebat, sperans se urbe sine ullo certamine potiturum. Sed quia nullus in propinquo esset hostium metus, (concesserat enim in Agrum Brutium Annibal) negligenter obibat munera vigiliarum, atque in omni administratione belli indignam Romano duce segnitiem præstabat. Hanc negligentiam cùm per occultos exploratores cognovisset Pœnus, non putavit occasionem negotii bene gerendi sibi omittendam esse. Itaque in Apuliam cum expeditis copiis profectus, tanta celeritate ad Herdoneam venit, ut parum abfuerit, quin Fulvium nil tale opinantem in ipsis castris opprimeret. Romani tamen ingenti animorum fiducia primum impetum excipientes, pugnam diutius quàm par erat extraxêre. Demum sicut biennio præterito circa ea loca duce alio Fulvio, sic etiam auspitio hujus Fulvii proconsulis victæ superatæque Romanæ legiones profligantur, & dux ipse cum magna parte copiarum occi-
LVIII ditur. Erat per id tempus in Samnio Marcellus consul, quò cùm esset nuntiata clades imprudentia ducis accepta, quanquam serum auxilium perditis rebus allaturus videbatur, tamen cupiens quod proximum auxilio erat detrimentum sarcire, in agrum Lucanum (eò enim post victoriam se receperat Annibal) exercitum ducit, castrisque in conspectu hostium positis, paulò post in aciem descendit: nec Pœni dimicationem sibi fugiendam putant. Prœlium extemplò committitur tanta obstinatione animorum, ut æquis propè viribus usque ad occasum solis certatum sit. Nox dubiæ pugnæ finem fecit. Postero die Romani iterum in aciem exeuntes, timoris confessionem expresserunt hosti. Annibal enim suos intra vallum tenuit, & sequenti nocte silenti profectus agmine, in Apuliam venit. Marcellus quoque per vestigia sequutus Pœnum, occasionem quærebat, ut aliqua memorabili pugna de summa belli decerneret. Iam enim sibi persuaserat, maximè ex Romanis ducibus se consilio, solertia, disciplina, ac omni munere militiæ conferendum Annibali esse. Sed tempus jam instantis hyemis impedimento fuit, ne justa acie cum hoste contenderet. Nam levibus quibusdam commissis prœliis cùm non fatigandi milites frustra viderentur, in hyberna
LIX concessit. Principio veris partim literis Fabii, qui alter ex novis consulibus ejus anni erat, partim natura sua excitatus, celerius opinione omnium ex hybernis egreditur, & adversus sedentem eo tempore ad Canusium Pœnum, exercitum ducit. Factum est autem propinquitate castrorum & certandi studio, ut paucis diebus ter collatis signis acie dimicarent. Primo die cùm pari propè spe usque ad noctem perduceretur pugna, & ad neutram partem victoria inclinaret, utriq; veluti ex composito se in castra recipiunt Secundo die superior Pœnus duobus propè millibus & septingentis ex hostibus cæsis, reliquas copias in fugam vertit. Tertio die Romani diluendę ignominiæ cupidi, quam ex proximo detrimento acceperant, primi pugnam exposcunt, & à Marcello in aciem deducuntur. Cujus

ferociam admiratus Annibal, dixisse traditur: Rem cum eo hoste sibi esse gerendam, qui nec victor, ne victus quiescere posset. Prœlium deinde atrocius quàm ullum ex superioribus fuit, nitentibus Romanis recens incommodum resarcire: Pœnis verò indignantibus quod nuper victi victores ultro ad pugnam provocarent. Tandem Romani à Marcello increpiti monitique ut darent operam, ut non ante cladis quàm victoriæ nuncius Romam veniret, gradum acrius intulere: nec prius dimicationi finem fecêre, quàm triplicata prope illata clade, hostem in fugam conjicerent. Sub idem tem- LX
pus simili properatione qua amissum fuerat, Fabius Maximus Tarentum recipit: Quod ubi Pœno nunciatū est, dixisse eum tradunt: Et Romani suum Annibalem habent. Sequenti anno Marcellus & Crispinus creati consules, omnibus viribus incumbentes ad bellum, duos consulares exercitus adversus hostem ducunt. Quos Annibal æquo campo sustinere posse diffidens, cùm aliàs sæpe, tum eo tempore omne ingenium adhibendum putavit, ut hostem quem aperto Marte superare non poterat, dolis caperet. Hæc cogitanti longe major quàm ausus esset optare occasio gerendæ rei objicitur. Sylvestris erat tumulus medius penè inter Punica & Romana castra, sub quo turmæ quædam Numidarum latebant, jussu Annibalis, opportunis locis constitutæ, ut aliquos ex hostibus vagos palantesque exciperent. Ex altera parte consules communi omnium voce & sententia moti, visendum hunc tumulum, deinde si opus foret, occupandum censent, ne eo neglecto potiantur hostes, & suis deinde cervicibus immineant. Sed priusquàm exercitum moveant, ut speculentur naturam loci ambo ex castris exeunt, & eo cum paucis equitibus proficiscentes, incautius quàm tantos viros decebat, in præparatas insidias incidunt. Momento temporis circumventi, cùm neque perrumpere à fronte possent, & à tergo cæderentur, necessitate magis quàm consilio prœlium ineunt, in quo Marcellus egregiè pugnans occiditur: & Crispinus vulneratus vix tantum spacii adeptus est, ut se ex manibus hostium eriperet. Annibal post- LXI
quàm M. Marcellum, qui maximè ex Romanis ducibus represserat cursum victoriarum suarum, interfectum audivit, subitò in collem ubi pugnatum fuerat, transtulit castra: ibi inventum Marcelli corpus honorificentissimè sepeliri jussit. Ex quo percipi licet, quantum valeat apud omnis generis homines animi magnitudo, excellentiaque virtutis, cùm interitum præstantissimi ducis ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ passus sit carere. Romani interim altero consule amisso, altero saucio, extemplò se in proximos montes receperant, & in loco tuto posuerant castra. Ipse autem Crispinus ad vicinas civitates nuncium miserat, quia collega interiisset, & annulo ejus potitus esset hostis, à literis nomine Marcelli compositis ut caverent: Salapiam jam Crispini nuncius venerat, cùm literæ ab Annibale afferuntur, significantes Marcelli nomine se eò proxima nocte venturum. Salapitani cognita fallacia viri,

viri, nuncioque remisso intensissima cura hostium adventum expectant. Quarta vigilia Annibal ad urbem venit. In primo agmine locati ex industria erant perfugæ Romanorum, ut Latinè loquentes fidem facerent Marcellum adesse. Horum cùm ad sexcentos oppidani introduxissent, clausa porta reliquas copias telis repellunt, introductos ad internecionem cædunt. Ita Annibal irriti incœpti pertæsus, castra movet, & in Brutios proficiscitur, ut Locrensibus
LXII terra marique à Romanis obsessis auxilium ferat. Post hæc ingenti cura patrum plerisq; novi consules facti duo peritissimi belli duces Marcus Livius & Claudius Nero. qui partitis inter se copiis in provincias proficiscuntur. Claudius in Salentinos, Livius in Galliam contendit adversus Asdrubalem Barchinum, qui superatis Alpibus, ingentibus peditum equitumq; copiis jungere se fratri properabat. Accidit autem per id tempus, ut Annibal magnis afficeretur incommodis à Claudio consule, qui primùm in Lucanis, adhibitis etiam punica arte insidiis, hostem fudit. Deinde in Apulia propè Venusiam Pœno congressus, tumultuariam pugnam tanto impetu conseruit, ut magnum numerum hostium interficeret. Quo detrimento affectus Annibal, extemplò ad reparandum exercitum Metapontum se contendit: ibi paucos moratus dies copias ab Hannone acci-
LXIII pit, & suis adjungit, ac rursus Venusiam repetit. Claudius non longè à Venusia habuit castra: & interceptis hostium literis, cùm Asdrubalem appropinquare cognovisset, dies noctesque agitabat animo, quibus modis efficere posset, ne tantorum ducum copiæ simul jungerentur. Itaque omni ratione subducta, consilium cepit periculosum, ut apparebat, futurum, sed forsitan eo tempore necessarium. Nam sub legati custodia castris relictis, ipse cùm parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus, sexto die Senam pervenit. Ibi consules ambo junctis copiis propter Metaurum flumen Asdrubalem adorti, secundissimo prœlio conflixerunt. Ad quinquaginta sex hostium millia eo die cæsa dicuntur, paremque propè ajunt acceptæ ad Cannas redditam hosti cladem. At Claudius Nero post hanc memorabilem victoriam non minus celeriter, quàm profectus erat, Venusiam repetens, caput Asdrubalis propè stationes hostium poni, captivosque dimitti jussit, qui tantæ calamitatis nuncium ad Pœnum deferrent. Nam eum ignorare compertum est, quæ parata primùm occultis consiliis, quæ deinde acta proximis diebus fuerāt. in quo mirari libet, callidissimi ducis solertiam sic deceptam fuisse à Claudio in tam modico castrorum intervallo, uti prius cæsum cum omnibus copiis fratrem, quàm profectum reversumq; in castra
LXIV consulem Romanum sciret. Verùm Annibal hoc tam ingenti non solum publico, sed etiam privato perculsus vulnere, vicissitudinem Carthaginensium rerum se agnoscere inquit, paulòq; post ex iis locis profectus, in agrum Brutium se recepit. Non enim latebat peritissimum ducem, quantum accessionis Romanæ rei ea plaga ad Metaurum accepta, quantumq; momenti ad summam universi belli fa-

ctura eſſet. Ipſe tamen omnibus viribus quæ ſibi in Italia poſt tot
conſerta prœlia, tot expugnatas urbes relinquebantur, ſimul colle-
ctis invicto animo per id tempus bellum ſuſtinuit. Et quod mirum
cuique videri debet, exercitum ex Hiſpanis, Afris, Gallis, atque ex
aliis gentibus miſtum, ſic concordem ſive autoritate, ſive prudentia
tenuit, ut ne minima quidem ſeditio diſſenſiove militaris ſit in ca-
ſtris audita. Nec jam Romani Sicilia, Sardinia, Hiſpaniiſque rece-
ptis, hunc hoſtem in Italia delere, aut ex Italia deducere prius po-
tuerunt, quàm in Africam mitterent P. Cornelium Scipionem, qui
ex propinquo inferens Pœnis arma, in tantum diſcrimen rem Car-
thaginenſem impulit, ut extemplo neceſſitate coacti Annibalem
ex Italia revocarent. Erat per id tempus, ſicut ante dictum eſt, in LXV
agro Brutio Pœnus ac excurſionibus magis quàm juſtis prœliis ge-
rebat bellum, niſi quod aliquando cum Sempronio conſule tumul-
tuariam pugnam conſeruit: nec multo interjecto ſpacio, cum eo-
dem juſta acie dimicavit. Primo certamine Pœnus, ſecundo Roma-
nus ſuperior fuit. Nec jam ultrà in Italia quicquam memoria di-
gnum apud Græcos Latinoſque autores ab Annibale geſtum com-
perio. Iuſſu enim Carthaginenſium Africam accerſitus, poſt ſe-
xtum & decimum hujus Punici belli annum Italiam reliquit, mul-
tum prius de ſenatu Carthaginenſi, multũ etiam de ſeipſo queſtus.
De ſenatu quidem, quod ſe tam diuturno tempore in hoſtili com-
morantem terra, parum ſupplemento, pecunia, & cæteris rebus quæ
ad uſum belli expetebantur, adjuviſſet. De ſe verò, quod toties Ro-
manis legionibus fuſis cæſiſque, moram ſemper poſt victoriam tra-
hens, ſpacium dediſſet hoſti ad reſpirandum. Memoriæ quoque pro-
ditum eſt, eum priuſquam claſſem conſcenderet, propè Laciniæ Iu-
nonis templum arcum condidiſſe, Puniciſque Græciſque literis in-
ſculptum, in quo res à ſe magnificè geſtæ ſummatim contineban-
tur. Decedens autem ex Italia Annibal, ſatis proſpera navigatione LXVI
uſus, paucis diebus Leptim tenuit, ac omnibus copiis in terram ex-
poſitis, Adrumentum primò, atque inde Zamam profectus, cùm
cognoviſſet quo in ſtatu res Carthaginenſium eſſent, commodiſſi-
mum eſſe ſtatuit de finiendo bello conſilium inire. Itaque placuit ei
ut ad Scipionem mitteret, qui ab eo poſtularent, ut aliquem locum
medium utriuſque colloquio deligeret, velle ſeſe de ſummis rebus
cum eo agere. Nec ſatis conſtat, utrum juſſu ſenatus an privato
conſilio id factum à Pœno ſit. Colloquii renuendi Scipioni cauſa
non eſt viſa. Quamobrem conſtituto die convenêre in patenti
campo cum ſingulis interpretibus duo celeberrimi duces, & poten-
tiſſimarum gentium imperatores, diverſis ſententiis de pace & bel-
lo ſermonem habituri. Nam Annibal maximè ad pacẽ inclinaverat
animum, quod cernebat rem Carthaginenſium deteriorem indies
fieri, Siciliam, Sardinias, Hiſpanias jam eſſe amiſſas, bellum ex Ita-
lia in Africam translatum, Syphacem potentiſſimum regem à Ro-
manis captum, omnem ſpem ſalutis in his copiis eſſe repoſitam,
quas

quas ipse velut diuturni belli reliquias ex Italia trajecisset. quibus
si quid durius contingeret, vix tantum Carthaginensibus vel exter-
ni vel civilis roboris superesse, ut ad tuenda Carthaginis mœnia
LXVII sufficere posset. Igitur longa oratione usus, vehementissimè con-
tendit Scipionem in eam sententiam trahere, ut pacem quàm bel-
lum mallet. Sed Scipio cùm in magna spe esset conficiendi belli, à
pacis consiliis abhorrere videbatur. Itaque post longum sermonem
ultrò citròque habitum, re infecta ex colloquio discesserunt. Nec
multo interjecto spacio, prœlium illud memorabile apud Zamam
conseruerunt, quod secundissimum Romanis accidit. Primo con-
cursu, elephanti Carthaginensium in suos conversi, equitatum An-
nibalis perturbarunt, & Lælius ac Masinissa ex utroque cornu pa-
vorem augentes, nullum equitibus spacium dederunt, ut se ex fu-
ga reciperent. Pugnatum est tamen à pedestri acie diu atque acri-
ter, cùm Pœni superioribus victoriis freti, in suis dextris totius Afri-
cæ salutem collocatam putarent: Romani autem animo pares, spe
etiam superiores essent. Sed Romanis non mediocre momentum ad
victoriam fuit, quod Lælius ac Masinissa profligatis equitibus, op-
portunè in prœlium redeuntes maximum terrorem injecerunt ho-
sti. Eorum enim adventu celeriter factum est, ut Pœni remittentes
ardorem pugnæ, nullum saluti suæ, præterquam in fuga, remedium
quærerent. Supra viginti millia hostium eo die à Romanis cæsa, to-
tidem propè capta dicuntur. Ipse Annibal dux ad ultimum eventum
LXVIII pugnæ moratus, è media cæde cum paucis effugit. Accersitus de-
inde Carthaginem, ut labenti reipubl. subveniret, ostendit senatui
nullam spem in armis ulterius esse ponendam: suasitq; ut postpo-
sitis cæteris rebus, mitterent ad imperatorem Romanum, qui qua-
cunque ratione possent, de pace agerent. Missi decem legati, cùm
pacis conditiones Carthaginem retulissent, ferunt Gisgonem quen-
dam paci adversantem, sententiam dixisse de renovando adversus
Romanos bello: quæ cùm à multis audiretur, indignatus Annibal
eo tempore ab imperitis viris talia jactari, dicentem adhuc homi-
nem ex superiore loco deturbavit. Et cùm hoc audax negocium ac
libera civitate indignum visum multitudini esset, suggestum ascen-
dens: Neminem, inquit, indignari oportere, si is qui à prima pueri-
tia à Carthagine profectus in bello & armis ætatem egisset, urbanas
consuetudines ignoraret. Post hæc de conditionibus pacis ita pru-
denter disseruit, ut extemplo Carthaginenses tanti viri autoritate
commoti, accipiendas eas leges quas victor & necessitas daret cen-
serent. Fuerunt autem conditiones admodum duræ, quales victores
victis in extremis rebus imponere consuevêre. Sed præter cætera
Carthaginenses annuum stipendium populo Romano usq; ad cer-
LXIX tum tempus solvere tenebantur. Cùm venisset dies in quo prima
pensio conferenda Romanis erat, & ingemiscerent omnes ad vocem
tributi, ferunt Annibalem commotum inutili lamentatione Pœno-
rum risum effudisse: & increpitum ab Asdrubale Hedno, quod in

communi totius civitatis mœstitia tam effusè lætaretur, respondisse, non lætantis hominis illum esse risum, sed eorum inanes lacrymas deridentis, quæ eo tempore in leviore malo, quod cujusq; privati civis pecuniam tangeret, potius manerent, quàm antea cùm Romani classes, arma, & amplissimarum victoriarum spolia Carthaginensibus detrahebant, victisque imponebant leges. Non me præterit autores esse, qui dicant Annibalē veritum ne petenti Scipioni dederetur, statim re male gesta in Asiam profugisse. Sed utrum subitò hoc factum fuerit, an aliquanto post prœlium illud ad Zamam commissum, parum referre arbitramur, cùm satis constet, eum desperatis rebus in Asiam profectum, exilioque mulctatum ad Antiochum pervenisse. Fama quoq; haud dubia est, tam hospitaliter, tamque honorificè acceptum esse à rege, ut statim publicis pariter ac privatis consiliis adhiberetur. Erat enim Annibalis nomen magna apud omnes gloria: communis insuper accedebat ira, communeq; in Romanos odium, vehemens stimulus ad excitandū bellum. Quare opportunè accessisse videbatur, non solùm ad inflammandū animū regis, sed etiam ad aperiendā viam gerendi adversus Romanos belli, quam unicam tantum esse dicebat, si arma in Italiam transferrentur, & Italici generis compararentur milites, quibus solis victrix aliarum gentium provincia superari posset. Centum navium classem, decem & sex millia peditum, mille equites petebat à rege. His copiis se Italiam intraturum pollicebatur, ac turbaturum Italicas gentes, quas sciret ob recentem memoriam Punici gesti belli vehementer horrere Annibalis nomen. Spem insuper afferebat de Punico renovando bello, si per regem sibi liceret Carthaginem mittere, qui factionem Barchinā concitarent, atque eorum animos permoverent, quibus imperium populi Rom. erat invisum. Assentiente rege, Aristonem quendam Tyrium delegit hominem callidum & idoneum ad hoc negocium conficiendū. Huic magnis præmiis pollicitationibusq; persuasit, ut Carthaginem peteret, amicos conveniret, & mandata quædam verbis suis ad eos deferret. Ita Annibal patria exul per totum orbem terrarum adversus Romanos concitabat bellum. Nec jam inanes eæ cogitationes videbantur futuræ, si Antiochus ut ab initio cœpit, sic etiam postea ei magis quàm adulatoribus & purpuratis suis fidem præstitisset. Sed invidia quam plerunque regiæ domus alunt, multos Annibali adversarios peperit: qui cùm vererentur, ne callidus imperator his consiliis aucupando gratiam regis, in maximum autoritatis & potentiæ gradum ascenderet, eum suspectum reddere nitebantur. Accidit etiam per id tempus, ut P. Villius legatus Ephesum veniens frequentem cum Pœno sermonē haberet, ex quo facilè data est obtrectatoribus criminandi facultas & tanta suspicio de fide Annibalis Antiocho orta, ut omninò à consilio regio excluderetur. Sunt qui dicunt eodem tempore P. Africanum unum ex legatis ad Antiochum missum cum Pœno esse loquutū, & inter alia multa, ab Annibale petiisse, ut ex animi sen-

LXX

LXXI

tentia diceret, quem maximum imperatorum fuisse censeret: Anni-
balem autem respondisse, primo loco Alexandrum Macedonum re-
gem, secundo Pyrrhum Epirotam, tertio seipsum collocandum vi-
deri. Ad hoc leniter arridentem Africanum, dixisse: Quid censeres
Annibal si me vicisses? Me proculdubio, inquit, cunctis aliis impe-
ratoribus anteferrem. Hoc responsum placuisse Scipioni ferunt,
quod se nec posthabitum, nec adhibitum in comparationem, sed
veluti incomparabilem occulta quadam assentatione à Punico in-
LXXII genio relictum videret. Post hæc Annibal occasionem nactus An-
tiochum alloquendi, jam inde à prima pueritia repetēs, sic seipsum
purgavit, sic de odio suo in Romanos disseruit, ut in pristinam gra-
tiam regis, quam propè amiserat, amicitiamque rediret. Itaque rex
constituerat animo hunc ducem cum regia classe in Italiam mitte-
re, ut præstantissimi viri & perpetui hostis P. Romani, sicut jam si-
bi persuaserat, animum ingeniumq; experiretur. Sed unus Thoas
princeps Ætolorū huic sententiæ adversatus, seu invidia, seu quod
re vera ita agendum censeret, mutavit animum regis & hanc deli-
berationem, quæ magnum momentum ad bellum habitura videba-
tur, omninò evertit. Hortatus est enim Antiochum, ut in Græciam
trajiciens, ipsemet rem suam ageret, nec pateretur hujus belli glo-
riam ad alium pervenire. Rex igitur persuasus paulò post in Græciā
proficiscitur ad excitandum adversus Romanos bellū. Vbi non lon-
go interjecto spacio, cùm de concilianda Thessalorum gente cōmu-
ni consilio agitaret, Annibal nominatim sententiam rogatus, non
tam de Thessalis quàm de summa rerum, ita elato animo disseruit,
ut approbationem omnium qui ibi aderant, assensumque moveret.
Non enim de Thessalis magnopere laborandum: sed curandum o-
mnib. modis censuit, ut Philippus Macedonū rex aut in belli socie-
tatem veniret, aut neutri parti adhærens dimicationem ociosus spe-
ctaret. Adjecit præterea consilium de inferendo ex propinquo Ro-
manis bello, suam quoq; operam ad id conficiendum amplissimis
LXXIII verbis pollicitus est & detulit. Auditus est Pœnus summa attentio-
ne, sententiaque illius laudata magis, quàm postea re aut effectu cō-
probata. Ex quo plerique mirantur, hunc ducem qui tot annos cum
populo Romano omnium pene gentium victore certaverat, eo tem-
pore posthabitum esse à rege, quo erat ejus opera & consilium ma-
xime expetendum. Quis enim in toto orbe terrarum callidior im-
perator reperiri poterat? quis ad gerendū cum Romanis bellum ac-
commodatior? Hunc tamen posthabuit rex initio gerendarū rerum,
nec multum tempus præteriit, cùm cæterorum consilia deridens,
fassus est unum Annibalem prævidisse ea quæ in rem essent. Nam
cùm bellum in Græcia prosperè evenisset Romanis, cessit ex Eu-
ropa Antiochus, & Ephesum se recepit, ibique solutus curis pa-
cem animo destinabat, minimè credens timenda esse in Asia Ro-
mana arma. Nec deerat talia concupiscenti adulatorum assentatio,
perpetuū malum regum, qui dum ea quæ volunt, libenter audiunt,

se adulari sinunt, & falli æquo animo patiuntur. Sed Annibal cui LXX
nota erat potentia Romanorum, & dominandi cupiditas, regem IV
monuit, ut de omnibus aliis præterquàm de pace cogitaret, Romanos crederet nunquam quieturos, nisi cùm experti essent, an sicut in Aphrica Europaque, ita etiam in tertia parte orbis terrarum extendere fines imperii possint. Motus autoritate viri Antiochus, extemplò Polyxenidam hominem sagacem & maritimis certaminibus assuetum, adventanti Romanorum classi ire obviam jussit, & Pœnum in Syriam misit, ut magnam vim navium compararet. Huic deinde classi Annibalem ipsum & Apollonium quendam ex purpuratis suis præfecit: qui cùm audissent Polyxenidam cum Romanis congressum haud prosperè rem gessisse, prœlium ipsi cum Rhodiis, qui socii erant populi Romani, committendum putarunt. Annibal in ea pugna Eudamum præfectum Rhodiorum a sinistro cornu invadens, jam prætoriam navim circumvenerat, & sine dubio superior erat, cùm ex alio cornu hostes fugato Apollonio advolarunt, & victoriam propè jam certam ex manibus extorserunt. Post hanc nava- LXXV
lem pugnam parum feliciter tentatam, nihil ferè memoria dignum ab Annibale gestum accepimus. Nam debellato Antiocho, Romani præter alias conditiones quot imposuerunt regi, Annibalem perpetuum suæ reipub. hostem sibi tradi postulabant. Hæc Annibal multò ante prospiciens, subitò post illam memorabilem pugnam ad Magnesiam commissam, qua regiæ opes conciderunt, ab Antiocho discessit, & longis erroribus evagatus, tandem ad Prusiam Bithyniæ regem confugit, non quod in amicitia ejus spem multam reponeret, sed quia per orbem terrarum longè terra marique dominantibus Romanis armis, locum magis necessarium quem posset, quàm tutum quem vellet, sibi petendum censebat. Sunt qui victo Antiocho in Cretam profectum ad Gortynios Annibale dicunt, ibique extemplò vulgatum esse, eum magnam vim auri argentique secum ferre. Ex quo veritum ne Cretenses sibi manus injicerent, tale remedium invenisse ad periculum evitandum. Amphoras plumbo aurato refertas in templo Dianæ collocari jussit, simulans se earum veluti thesauri sui maximam curam sollicitudinemq; habere. Ex altera parte statuas æneas quas pecunia impleverat, domi abjecit. Dum illi templum custodiunt, ne amphoræ se insciis auferan- LXX
tur, interim Annibal velis in altum datis in Bithyniam profugit. Est VI
autem in Bithynia vicus juxta littus maris, quem incolæ regionis Libyssam appellant, de quo vulgatum carmen circumferri solitum ajunt: *Corpus Annibalis Libyssa tumulabit terra.* Eo in loco diversabatur Pœnus, non inerti quidem ocio vitam agens, sed in nautis, equis, ac militibus exercendis studium adhibens. Dicunt autē scriptores quidam, hoc tempore Prusiam gerentē bellum cum Eumene Pergami rege, qui socius & amicus erat populi Romani, classi Annibalem præfecisse. Hunc verò novo commento Eumenem aggressum, ex navali prœlio victoriam reportasse. Nam priusquàm pugnā

inirent,

inirent, Annibalem tradunt magnam serpentum copiam in vasa fictilia conjecisse, deinde inito prœlio, dum omnium animos oculosque occuparet certamen, vasa in hostium naves immisisse, atque eo pacto implicatos hostes & re nova perterritos, in fugam vertisse. Ejus autem sic gestæ rei non vetustiores annales, sed Æmilius & Trogus meminerunt. Itaque fides penes autores sit.

LXXVII Cæterùm horum regum contentionibus Romam perlatis, senatus Q. Flaminium, cujus ob res in Græcia gestas celebre nomen est, legatum in Asiam misit, ut (quantum conjectura assequi possum) cum utroque rege de pace ageret. Is cùm ad Prusiam venisset, iniquo animo ferens hominem inimicissimum nomini Romano ex tot domitis gentibus populisque cæsis superesse, magna contentione à rege impetravit, ut sibi Annibal dederetur. Iam inde ab initio Pœnus levitatem Prusiæ suspectam habens, in diversorio plures cuniculos fecerat, septemque exitus præparaverat ad capessendam fugam, si qua repentina necessitas compulisset. Auxerat etiam non mediocriter hanc suspicionem suam Flaminii adventus, quem sibi tum publicè ob commune odium urbis, tum privatim ob memoriam Flaminii patris ad Thrasimenum lacum interempti, omnium Romanorum infestissimum esse credebat. Itaque anxius curis remedia (ut supra diximus) ad evadendum invenerat, parum sibi adversus tantas opes profutura. Cùm milites regii frequentes ad eum capiendum missi undique cinxerunt domum, ad primum eorum adventum tentavit Annibal per quàm occultissimum exitum fugam capessere. Vbi eum locum custodiis teneri sensit, omni spe evadendi abjecta, statuit morte voluntaria Romanorum manus effugere. *Interitus.*

LXXVIII Alii servum ab eo jussum compressa gula spiritum interclusisse tradunt. Quidam sanguinem tauri, sicut Clitarchus Stratoclesque de Themistocle finxit, bibisse eum dicunt, atque eo potu mortuum concidisse. Livius autem locupletissimus historiæ autor, Annibalem scribit venenum ad similes casus præparatum poposcisse, & bene mortiferam illam potionem tenentem manu dixisse: Solvamus ingenti cura populum Romanum, ubi mortis jam consumpti senis tantum tamque præsens desiderium tenet. Romani patres Pyrrhum Epirotarum regem infestis signis appropinquantem mœnibus Romanæ urbis à veneno monuerunt ut caveret. Hi autores fuere, ut regiæ dignitatis junctæque dextræ oblitus hospes, hospitem scelere proderet. His dictis regem Prusiam multis execrationibus detestatum, veneno sibi conscivisse mortem LXX. ætatis anno, quidam memoriæ prodiderunt. Defuncti corpus apud Libyssam collocatum dicunt in lapideo sepulchro, in quo scriptum fuit, *Annibal hic situs est.*

LXXIX Sed ejus mortis nuncium accipientes Romani, variè id prout cujusque ingenium erat interpretabantur. Plerique Flaminium crudelitatis arguebant, quod veluti præclari cujusdam facinoris gloriam adepturus, autor extitisset opprimendi exacta ætate virum, à quo nullum ulterius periculum reipub. jam propè victrici

omnium gentium timeri poterat. Quidam verò factum excusantes, Flaminio etiam tribuebant laudi, quod perpetuum hostem populi Romani de medio sustulisset: cui etsi vires corporis ac robusta ætas, non tamen ingenium, consilium, rei militaris peritia deesset, quibus Prusiam ad arma concitare, Asiamque novis bellis commovere ac perturbare potuisset. Erant enim per id tempus ita amplæ Bithyniæ regni opes, ut non facilè contemnendæ viderentur. Nam posteris temporibus Mithridates Bithyniæ rex, diu navalibus terrestribusque copiis populum Romanum fatigavit, adversusque L. Lucullum ac Cn. Pompeium præstantissimos imperatores cum magnis exercitibus in acie stetit. Idem à rege Prusia duce præsertim Annibale timeri poterat. Quare nonnulli ea præcipuè causa Q. Flaminium opinantur ad Prusiam missum esse legatum, ut Annibalis necem secretis consiliis agitaret. Verùm credere libet hoc quæsi- LXXX
tum esse à Quinto non tam ut præsenti morte Annibalem de medio tolleret, quàm ut homo qui tot inflixerat suæ reip. clades Romam vivus perduceretur, idque populo Rom. utile, sibi verò honorificum esse censeret. Tali genere mortis interiit Annibal Pœnus, vir, ut alia omittam, bellicis sine dubio laudibus vehementer excellens, cujus sive animus, sive ingenium, sive egregia rei militaris disciplina, quanti momenti fuerit in rebus, facilè ex eo intelligi licet, quod Carthaginenses bello tanta contentione suscepto, non prius se victos confessi sunt, quàm cum fuit Annibal apud Zamam magno illo prœlio superatus, ut bellicæ eorum vires stetisse simul cum Annibale duce, atque una cum eo consedisse viderentur.

PLUTARCHI SCIPIO, DONATO ACCIAiolo autore potius quàm Interprete.

Parens.

Cornelio Scipioni, qui primus nomine victæ à se gentis Aphricanus est dictus, patrem fuisse constat P. Scipionem virum patricium, ex nobilissima Corneliorum gente, cum quo primùm Romano imperatore Annibal Pœnus signa in Italia contulit. Is cùm multas esset in Hispanias victorias consequutus, resque gessisset memoratu dignas, demum quodam prœlio adversus hostes inito, dum sese offert ubi plurimus labor, plurimum periculi erat, subito perculsus icti occiditur. Simili penè casu Cn. Scipio ejus frater paucis post diebus fortiter pugnans interiit. Amboque hi imperatores, præter rerum gestarum nomen magnum quoq; fidei, temperantiæ virtutis desiderium non modò militib. suis qui superfuere, sed etiam Hispanis gentib. reliquerunt. At verò Cn. Scipionis P. Cornelius Nasica filius fuit, vir cōsularis, triumphalisq; qui adolescens cùm esset, pro accipiēda matre Idæa in tota civitate est vir optimus judicatus. Publii autem filii fuere Scipiones duo, egregia sine dubio proles, quorū alterū ob Asiam devictā Asiaticum, alterū verò domitorem

Nomina.

torem Africæ, ob memorabilem victoriam de Annibale & de Pœnis,
ut supra diximus, Africanum appellant. De quo hæc scribenda su-
scepimus, non tam ut ejus nomen à Græcis Latinisque scriptoribus
celebratum his literis fieret illustrius, quàm ut rerum gestarum se-
ries & domestica disciplina esset nostra opera in oculis hominum
collocata, quam veluti imaginem præclaræ virtutis imperatores &
II duces cum intuerentur, imitatione dignissimam judicarent. P. Cor-
nelius Scipio jam inde à pueritia cùm eximiæ indolis & summæ vir-
tutis specimen præ se ferret, sub auspicio patris cœpit disciplinis mi-
litaribus erudiri. Ductus est enim in castra initio secundi Punici
belli septimum & decimum agens annum, ac brevi temporis spacio
factum est, ut magnam laudem à summo viro & ab exercitu conse-
queretur, equitando, vigilando, omni militari labore tolerando. Ea
insuper documenta animi atque ingenii dedit, ut gratiam simul adi-
pisceretur, & admirationem gentium commoveret. Nam equestri
prœlio quod ad Ticinum amnem P. Cornelius consul cum Anniba-
le commisit, interfuisse Scipionem constat: proditumque memoriæ
à quibusdam autoribus est, Cornelium patrem saucium ac prope ab
hostibus circumventum, à Scipione filio jam tum pubescente fuisse
servatum. Eo deinde tempore quo apud Cannas cum magna cala-
mitate ac propè pernicie Romani imperii certatum est, cùm ad de-
cem millia hominum Canusium perfugissent, & omnes uno ore Ap-
pio pulchro, qui proximè ædilis fuerat, & Cornelio admodum juve-
ni imperium detulissent, declaravit Scipio quanta sibi virtus, quan-
taque animi magnitudo inesset. Nam quibusdam juvenibus de re-
linquenda Italia agitantibus, in consultantium cœtum prorupit, ac
III stricto gladio jurare omnes coegit se rempub. non deserturos. Hæc
aliaque ejusdem generis, magnitudine quadam animi atque ingenii
ab eo juvene edita populum Rom. compulerunt, ut ei supra ætatem,
supra etiam consuetudinem, magistratus curamque maximarum re-
rum deferret. Quippe ante legitimum tempus ædilitatem petens,
etsi tribus plebis adversarentur, quia nondum satis annorum esset,
pervicit tamen ut per tribus duceretur, atque extemplò frequenti-
bus suffragiis Quiritum ædilis curulis est declaratus. Cùm verò
pater patruusq; duo egregii imperatores, brevi intervallo in Hispa-
niâ cecidissent, curandūq; à populo Rom. esset, ut aliquis dux singu-
lari virtute in eorum locum succederet, nemo reperiebatur qui ad
hoc grave & periculosum bellum, post tantorum imperatorum in
teritum proficisci auderet. Itaque habitis comitiis ut proconsul
crearetur, cùm cæteri reipub. principes in tanta facultate silerent, u-
nus Scipio quatuor & viginti annos natus in medium prosiliens in-
genti fiducia professus est, se hoc munus libenti animo suscepturū.
Hac fortissimi juvenis audita voce, nulla mora interposita est, quin
incredibili studio suffragiorum imperium in Hispaniam Scipioni
IV decernerent. Sed paulò post secum reputantes Quirites adversus
quos Pœnorum duces, & in quibus regionibus bellum gerendum
esset,

esset, vix censebant fieri posse, ut imbecillitas ætatis tantam gravitatem rerum sustineret. Quare momento temporis quasi jam decretæ rei centurias pœniteret, magna animorum commutatio facta est. Quod ubi animadvertit Scipio, statim advocata concione, sic de ætate sua, ac de bello quod gerendum erat, disseruit, ut ad se unum intuendum omnes audientes converteret, & ad pristinam spem bene gerendæ rei populum Romanum: animo aliisque virtutibus vehementer excellens, sed præstans etiam pulcritudine oris, & totius corporis forma conspicuus, læta atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam cōciliandam. Habebat & in gestu & in motu summam dignitatem. Ad hæc animi bona muneraque naturæ, cùm militaris accederet gloria, dubium erat, gratiorne gentibus domesticis virtutibus, an mirabilior bellicis artibus foret. Imbuerat animos multitudinis superstitione quadam, quod singulis diebus ex quo virilem togam sumpserat, in Capitolium ascendere, ac sine arbitris ædem ingredi consuevit, ut crederent homines sicut jam multo ante Numam Pompilium ab Ægeria nympha, sic etiam ipsum arcana quædam in templo doceri, quæ cæteris non essent communia. Præterea ut olim de Alexandro Macedonum rege, sic ea tempestate de Scipione quidam finxisse videntur, anguem in cubiculo matris frequenter visam. Cæterùm iis omissis P. Scipio ex Italia decedens V
cum decem millibus peditum, triginta navium classe (omnes autem quinqueremes erant) in Hispaniam proficiscitur: ac paucis diebus ad Emporia delatus, copias exponit, terrestriq; itinere Tarraconem concedit. Ibi concilio edicto, legati ex sociis urbibus frequentes convenêre, qui comiter benignèque accepti grata responsa domū retulerunt. Post hæc Scipio ingenti cura ad futurum bellum intentus commodissimum esse statuit reliquias veteris exercitus quę virtute L. Martii servatæ erant, suis copiis adjungere. Nam post duorum Scipionum interitum, cùm Hispaniæ prope amissæ, Romanæ legiones fusæ fugatæque essent, unus L. Martius Romanus eques, collectis duorum exercituum reliquiis, præter omnium spem exultantes victoria hostes contrivit bellumq; in Hispania adversus tres Pœnorum duces incredibili virtute industriaque sustinuit. Ad has VI
igitur copias quæ in hybernis constitutæ erant cùm venisset Scipio, excitati sunt omnium animi ad spem bene gerendæ rei, & veterum imperatorum memoria renovata, ut nemo miles esset qui juvenem intuendo explere desiderium posset. Ipse verò collaudatis militibus quod de republ. non desperassent, ante omnes L. Martium in præcipuo honore habuit, ut ostenderet virum qui suis virtutibus confideret, alterius gloriæ non invidere. Exacta hyeme cùm novum veteremque exercitum ex hybernis deduxisset, omnium primum Carthaginem novam oppugnare constituit: nulla enim ex Hispanis civitatibus opulentior habebatur, nulla commodior erat ad bellū terra marique gerendum. Quinetiam Carthaginensium duces omnem apparatum belli, & quicquid precio dignum habebant in

hanc

hanc urbem congesserant: eam quoque ac ejus arcem validis præsidiis munierant. Ipsi verò ne tribus una regio premeretur, diversa petierant loca, nihil minus eo tempore quàm Carthaginis oppugnationem timentes. Scipio jam omnibus necessariis comparatis, ad eam obsidendam cum omni exercitu profectus, terra marique urbem aggreditur. Negocium arduum & diuturnum apparebat futurum, quod urbs munita erat. & defensores ita animati, ut non modò tueri Carthaginis mœnia, sed erumpere in hostem & castra Romanorum aggredi auderent. Verùm multa interdum quæ viribus
VII superari nō possunt, ingenio conficiuntur. Compertum habebat Scipio stagnum, quod haud procul abest à Carthaginis mœnibus, æstu maritimo decrescere, & vado ea parta transiri posse. unde ad murum facilis esset accessus. Tali occasione, qua nulla major ad capiendam Carthaginem dari poterat, utendum ratus, cum tempus commodum visum est, expediri acies, & distributis copiis urbem vehementius quam unquam antea oppugnari jubet. Ipse interim fortissimorum virorum manum delegit, quibus imperat, ut superato stagno, in murum ab ea parte quæ minimè suspecta erat evadant. At hi quibus negocium datum est, prospere trajecto stagno cùm ex alia parte urbis acerrime pugnaretur, locum quem petebant, neglectum inveniunt, celeriterque scandentes murum hostes à tergo adoriuntur. Oppidani & externi præsidii milites, quibus tantum repentini periculi præter opinionem acciderat, extemplo mœnia deserūt, ancipitique paventes malo se in fugam conjiciunt. Instant tergis Romani, subitòque urbem capiunt, diripiuntque: ubi ingens præda, & omnium rerum quæ ad bellum usui erant, summa est facultas in-
VIII venta. Scipio ob bene navatam operam collaudatis donatisque militibus, cùm ei qui primus murum adscenderat, muralis corona danda esset, & contentio inter duos milites orta omnem prope exercitū in certamen traxisset, extemplò concione advocata, compertum se habere dixit ambos pariter murum ascendisse, atque ambos coronis muralibus donandos esse. Quo factum est, ut omnis contentio quæ jam ad summum pervenerat, tolleretur. Post hæc obsides, quorum in ea urbe ingens copia erat, civitatibus Hispaniæ restitui jussit, ex quo maxime humanitatis & clementiæ nomen sibi comparavit, multosque populos hac indulgentia movit, ut ad Romanum redirent à Punico imperio. Sed omnium primum ejus famam & benevolentiam auxit id, quod à cunctis scriptoribus ut summæ virtutis exemplum celebratur. Adducta est enim in conspectum imperatoris una ex captivis virgo longe ante alias specie aut pulchritudine insignis. hanc & Scipio custodiri diligentissime & servari integerrime jussit: pauloque post cùm desponsatam comperisset Luccejo principi Celtiberorum, sponso ad se accito (is adolescens erat) integram inviolatamque restituit. Res est profecto celebranda literis, & ipse Scipio dignus, ut tantæ mansuetudinis, & continentiæ ab omnibus scriptoribus ferat fructum. Hujus beneficii memor Luccejus

jus cùm liberalitatem, modestiam, & singularem in omni genere virtutis præstantiam Romani ducis per suos populos divulgasset, paulò post cum magna equitum manu in Romanorũ castra rediit.
Carthaginensium duces Mago, Asdrubal Barchinus, & alter Asdru- IX
bal Gisgonis filius, Carthagine nova amissa, etsi non ignorabant quantum ad opinionem gentium & summam universi belli esset detrimenti acceptum, tamen rem primò tegere, deinde vulgatam extenuare verbis, quoad poterãt nitebantur. Scipio verò multis populis principibusque Hispanis inter quos duo reguli Mandonius & Indibilis fuere, sic adjunctis cõstituit animo in ea loca iter facere, quibus in locis Asdrubalem Barchinum esse audiebat, ut prius cum eo, quàm Mago & alter Asdrubal se ei conjungerent, decertaret. Asdrubal Barchinus prope flumen Besulam habebat castra, avidus & ipse certaminis, & suis copiis satis fidens. Verum ubi appropinquare Scipionem cognovit, ex planitie in tumulum quẽdam satis natura munitum sese recepit. Quem insequutæ Romanæ legiones nullam moram interponendam putârunt, quin cedenti instarent hosti, & primo adventu castra adorirentur. Non secus quàm si una expugnaretur urbs, circa castra pugnatum est. Carthaginenses natura loci & necessitate, quæ etiam ignavos excitare solet, fidentes, impetum hostium sustinere nitebantur. Romani contra spe & audacia pleni acriter dimicabant, atque eo magis, quod in conspectu Scipionis atque omnis exercitus res gerebatur, ut nullum paulo fortius factum latere posset. Itaque non prius remissa oppugnatio est, quàm omni conatu annixi Romani vallum superârunt, pluribusque locis castra irrumpentes in fugam compulerunt Pœnum. Asdrubal verò dux priusquam castra in potestatem Romanorum venissent, cum paucis militibus fugit. Hoc prœlio facto, Scipio consuetudine sua omnes capti- X
vos Hispani generis ad se vocari, & sine precio dimitti jussit. Adolescentem ex his regii generis, Masinissæ nepotem comiter benigneq; acceptum ad Masinissam remisit, magnificentissima quoque adjecit dona, ut ostenderet Imperatorem exercitus non minus liberalitate & domesticis virtutibus, quàm bellicis artibus ornatum esse oportere. Est enim belli finis victoria, cujus fructus maximè in liberalitate clementiaque consistit. Hinc ducum gloria, hinc imperatoriæ laudes emanant, ut in præsentibus accidit rebus. Nam Hispanorum multitudo quæ ibi frequens aderat, hanc indulgentiam Romani ducis admirata contineri non poterat, quin eum honoris & virtutis gratia appellaret *Regem.* Sed Scipio hanc vocem Romanis auribus insuetam subitò oppressit, nec eum titulum sibi tribui passus est, quem optimorum civium consuetudini, & Romanæ libertati adversum esse sciebat. Hortatus est tantum Hispanas gentes, ut si in referenda gratia memores esse vellent, fidem in populum Romanum benevolentiamque servarent. Dum hæc à Scipione gerebantur, interim alii XI
duo Carthaginensium duces accepto nuntio malè gestæ ad Besulam rei, jungere copias properarunt: paulòque post Asdrubali Barchino se con-

ſe conjunxerũt, ut communi conſilio de ſumma belli decernerent.
Itaque inter ſe colloquuti, poſt longam diſceptationem in eâ ſen-
tentia convenêre, ut Aſdrubal Barchinus in Italiam ubi Annibal fra-
ter & caput belli erat, tranſiret : Mago verò & alter Aſdrubal in
Hiſpania remanerent, ſupplementum à Carthagine peterent, nec
prius cum imperatore Romano ſigna conferrent, quàm undique
convocatis auxiliis ingentes copias contraxiſſent. Poſt hæc peten-
te Italiam Aſdrubale, miſſus eſt ex Africa in ejus locum Imperator
Hanno : quem primo adventu Celtiberiam concitantem M. Syl-
lanus juſſu Scipionis aggreditur, prœlioque commiſſo ſuperat ca-
XII pitque. Erat una urbs quam incolæ regionis Oringen appellant,
opulentiſſima ſanè & accommodatiſſima ad renovandum bellum :
ad hanc oppugnandam cum parte copiarum miſſus L. Scipio, lo-
cum munitiorem invenit quàm ut primo impetu capi poſſet. Ita-
que corona circumdedit urbem, paucíſque diebus expugnatam di-
reptamque in poteſtatem redegit. Inſtabat jam propinqua hyems,
& tempus admonere videbatur ut hyberna utrique peterent. Qua-
re his rebus proſperè geſtis, Scipio Tarraconem, Mago & Aſdrubal
Giſgonis filius ſe ad Oceanum receperunt. Sequenti æſtate magna
contentione renovato in ulteriore Hiſpania bello Romani Cartha-
ginenſeſque propè Beſulam congrediuntur, juſtaque acie prœlium
committunt. In quo poſt longum certamen ſuperior Scipio in fu-
gam vertit hoſtes, magnoque numero eorum interfecto, neque ſui
colligendi, neque conſiſtendi facultatem dedit, neque prius victo-
riæ modum impoſuit, quàm Aſdrubal & Mago ex continenti pulſu,
Gades ſe recipere coacti ſunt, omnibus prope copiis amiſſis. Erat
in exercitu Carthaginenſiũ Maſiniſſa juvenis magni animi, magniq;
conſilii, qui opportunitate capta clam cum Syllano congrediendi,
primus aperuit ei amicitiæ aditus, ſive Scipionis liberalitate alle-
ctus, ſive tempus veniſſe ratus, in quo victoribus Romanis adhæren-
dum cenſeret. Hic eſt Maſiniſſa, qui poſtea beneficio Romanorum
potentiſſimus evaſit Numidiæ rex, ac multis in rebus populo Ro-
mano uſui & adjumento fuit. Cæterùm eo anno, qui erat decimus
quartus ſecundi Punici belli, felici auſpicio proconſulis Scipionis,
Hiſpania prima ex continentis regionibus victa, poſtrema tamen
in provinciæ formam redacta ab Auguſto Cæſare longo intervallo
XIII fuit. Scipio non contentus maximis rebus, quas brevi tempore
in Hiſpania geſſerat. cùm jam ſibi Africam animo deſtinaret,
commodiſſimum eſſe ſtatuit Syphacem Maſſæſulorum regem o-
mni arte in Romanorum amicitiam trahere. Itaque explorata vo-
luntate regis, cùm non alienam à ſocietate populi Romani compe-
riſſet, extemplò omnibus rebus poſtpoſitis, duabus quinqueremib.
in Africam contendit. Veniebat à Gadibus eodem tempore Aſdru-
bal Giſgonis filius, ac veluti ex compoſito hi duo clariſſimi impera-
tores regem adierunt. certatim quiſque pro ſua rep. amicitiã petitu-
ri. Syphax hoſpitio ambos comiter benignèq; accepit, operamque
de-

dedit, ut pariter eadem mensa, eodem cubiculo uterētur, ne alter alteri prælatus in honore videri posset. Tradunt Asdrubalem præsentis Scipionis animum ingeniumque admiratum, secum agitasse, quantum periculi ex eo viro suæ civitati atq; omni Africæ imminerret. Iuvenem enim acrem, & summis virtutibus præditum, tum multis prœliis victorem esse cernebat: nec in tam florenti ætate adduci posse credebat, ut pacem quam bellum mallet. Suspicabatur etiam, ne Syphax ejus autoritate & præsentia motus, ad Romanos animum inclinaret. Nec jam eum fefellit opinio. Nam Syphax etsi primo adventu parem se utrisque præbens, sermonem induxisset de finiendo inter Romanos Carthaginensesque bello, tamen postea negante Scipione, inconsulto senatu quicquam agi de pace posse, posthabendum Asdrubalem censuit, ac desiderio Scipionis obsequutus, cum populo Romano fœdus iniit. Scipio in Hispaniam reversus, Iliturgium & Castulonem & quasdam alias civitates quæ populi Romani detrectabant imperium, partim ipse vi expugnavit, partim auspicio L. Martii in ditionem redegit. Et ne tot tantisque rebus prospere gestis aliquod deesset lætitiæ genus, Carthaginem novam profectus ludos gladiatorum magnifico apparatu fecit, quibus non solū spectando, sed etiam pugnando, multi clari viri interfuerunt. Sed ex Hispanis duo præter alios insignes nobilitate principes, Corbis & Orsua, de regno inter se dissidentes, eo die controversiam finiēre, altero eorum alterius manu interempto. Gravis spectantibus eorum dimicatio, gravior etiam (quia patrueles erāt) mors interempti fuit. Post hæc Scipionem longè majora quàm ea quæ gesserat meditantem, adversa valetudo corripuit: cujus fama per Hispaniam vulgata, & ut plerunque fit, sermonibus aucta, ad spem novarum rerum non solum Hispanas gentes, sed etiam Romanorum exercitum, quem ille ad Sucronem reliquerat, concitavit. Soluta primum militum disciplina imperatoris absentia fuit, mox rumores de ægritudine ejus & de periculo vitæ in exercitum delati, tantam seditionem motumque fecerunt, ut quidam contempto tribunorum imperio, hisque demum fugatis duos gregarios milites sibi crearent imperatores, qui non solùm nomen imperii à vanis autoribus delatum sed etiam fasces & secures præ se ferre ausi sunt; adeo furor plerunque & mala ambitio mortalium mentes exagitat. Nec quievēre Hispanæ gentes, & Mandonius præsertim atque Indibilis, qui affectantes Hispaniæ regnum, post expugnationem Carthaginis novæ ad victorem Scipionem defecerant. Deinde Romanorum potentiam longe lateque diffusam, iniquo animo tolerantes, aliquam novandarum rerū occasionem quærebant. Acceptis autem rumoribus non solum de morbo, sed prope etiam de morte P. Scipionis fideque adhibita, extemplo exercitum comparârunt, & Suesitanis qui socii & amici erant populi Romani, intulerunt bellum. Verùm convalescente Scipione, ut ex fama ejus mortis falso credita multiplex tumultus fuerat exortus, sic comperta veritate rei, territi sunt omnium

XIV (margin, beside "Scipio in Hispaniam reversus")
XV (margin, beside "Nec quievēre Hispanæ gentes")

animi, nec quisquam ausus est in novandis rebus ulterius progredi. Scipio magis externis bellis quàm domesticis seditionibus assuetus, etsi militibus qui deliquerant graviter succensendum putabat, tamen ne dum iræ indulget excessisse in puniendo modum existimari posset, de hac re ad consilium refert. Major pars in eos à quibus initium tumultus ortum erat, animadvertendum, & reliquis ignoscendum censuit. sic enim fieri posse ostendit, ut pœna ad paucos, exemplum ad multos perveniret.

XVI Hanc sententiam secutus Scipio, extemplò exercitum seditionis autorem ad accipiendum stipendium Carthaginē novam acciri jubet. Edicto paruerunt milites, alii suam culpam, ut plerunq; sibi indulgent homines, leviorem rati, alii Scipionis freti ingenio, quod mite in puniendo esse compererant. Dicere enim solitus fuit, malle se unum civem conservare, quam mille hostes perdere. Vulgatum quoque erat alium Scipionis exercitum paratum esse in armis, & adventum eorum operiri, ut omnes copiæ simul junctæ adversus regulos in Suesitanos ducantur. Quamobrem ex Sucrone discedentes, magna spe veniæ consequendæ Carthaginem veniunt. Sed postridie ejus diei quo urbem ingressi sunt, in forum vocati ac inermes consistere jussi, armatis legionibus circumdantur Tum imperator Romanus tribunal ascendens, universi multitudini sese ostendit ea valetudine, eo vigore, qualis in pubescente ætate unquam fuerat. Concionem deinde habuit longe acerrimam, & gravissimis querimoniis plenam, ut nemo miles ex inermi exercitu esset, qui aut à terra oculos erigere, aut dicentis vultum sustinere per pudorem posset. Conscientia enim perpetratæ rei ac suppliciorum metus terrebat animos, & optimi ducis præsentia noxiis pariter atque innoxiis ruborem incutiebat. Itaque tristi silentio torpebant omnia. Posteaquam finem dicendi fecit, principes seditionis in conspectum multitudinis producuntur. Ibi virgis cæsi, more majorum, securiq; percussi, horribile spectaculum visentibus præbuēre.

XVII His rebus ita compositis, Scipio reliquis militibus novo sacramento adactis, expeditionem in Mandonium atque Indibilem pronuntiari jubet. Nam hi secum reputantes, à militibus Romanis qui Castrensis seditionis autores fuerāt, pœnam esse repetitam, omnem spem abjecerant veniæ impetrandæ, atq; ex eo viginti millia peditum, duo millia equitum comparaverant, ut his copiis adversus Romanos progrederentur. Quod ubi cognovit Scipio, priusquam augerentur regulorum vires, & plures populi conspirarent, maturat à Carthagine proficisci, & quanta maxima celeritate potest, ad hostem pergit. Reguli loco satis munito habebant castra, sicque suis copiis fidebant, ut nec alios provocare, nec provocari pugnam detrectare parati essent. Factum est autem propinquitate castrorum, ut paucis post diebus à Romanis lacessiti in prœlium descenderent, in quo quidem aliquandiu summa contentione dimicatum est. Tandem Hispani à tergo circumventi, ac in orbem pugnare coacti superantur. Vix tertia pars ex eorum numero aufugit. Mandonius

atque Indibilis nullum remedium perditis rebus esse cernentes, Legatos ad Scipionem miserunt, qui suppliciter pacem peterent, & veniam deprecarentur. At Scipio etsi quantum in se atque in populum Romanum facinus admisissent, intelligebat, tamen non minus decorum putans hostem clementia & mansuetudine superare, quam armis, regulis ignovit, pecunia tantum ut militi ad stipendium solverent imperata. Per id tempus Masinissa à Gadibus profectus in XVIII
continentem venit, ut amicitiæ fidem, quam per M. Syllanum absenti Scipioni obtulerat, præsenti confirmaret, simul ut ipsum Scipionem alloqueretur, quem ob res egregiè gestas præstantissimum esse virum constituerat animo. Verum nec jam opinioni Numidæ virtus P. Scipionis, nec expectationi (ut plerunque accidere consuevit) præsentia defuit. Nam præter ingentia animi bona, quibus Scipio cæteros alios anteibat, præ se etiam ferebat eximiam formam, & omni amplo dignam imperio. Erat præterea vir benignus in audiendo, facundus in respondendo, & in conciliandis hominibus egregius artifex: habitu corporis virili, cæsarie promissa utebatur. Hunc igitur Masinissa salutatum veniens, ut primum conspexit, sic virum admiratus esse dicitur, ut nec ab eo dimovere oculos, nec intuendo explere desiderium posset. Amplissimis verbis ei gratias egit pro nepote ad se remisso, & fidem se præstaturum inita amicitia dixit: quam postea erga populum Romanum usque ad exitum vitæ constantissime coluit. Iam verò omnes Hispaniæ populi aut im- XIX
perium aut societatem Romanorum acceperant, cùm Gaditani idem sibi licere arbitrantes, sponte Romanis se dedidêre: gens vetusta origine, & si famæ credere libet, ut Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, ita Gadis ad Oceanum colonia Tyriorum fuit. Scipio receptis Hispaniis, pulsis Carthaginensibus, cùm nihil relinqueretur quod sibi constituendum putaret, L. Lentulo & Manlio Accidio provincia tradita, Romam rediit. Venienti senatus extra urbem datus est in æde Bellonæ, ubi cùm res à se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, ostendissetque quatuor hostium duces, quatuor exercitus multis prœliis à se victos, Carthaginenses ex Hispaniis ejectos, nullas gentes in his terris relictas, quæ non venissent in populi Romani potestatem, res amplissimo triumpho dignas esse censebat senatus. Sed quia nemini adhuc contigerat, ut cùm proconsul & sine magistratu esset, pro rebus gestis triumphanti invehi liceret in urbem, nec patribus visum est, nec ipse Scipio magnopere contendit, ut novo exemplo morem majorum sui causa commutarent. Ingressus urbem paulò post ingenti studio populi XX
Romani consul declaratur. Tradunt raro unquam frequentiorem multitudinem, non tam ad celebranda comitia, quam ad conspiciendum P. Cornelium Scipionem Romam venisse. Itaque non solum Quirites, sed externi etiam homines hunc unum intuebantur, publice privatimque dicebant mittendum in Africam esse ad inferendum ex propinquo Carthaginensibus bellum. Idem cùm senti-

ſentiret Scipio, de hac re ad populum ſe relaturum ſignificabat, ſi
tam ſalutari conſilio adverſaretur ſenatus. Quidam enim ex patri-
bus, atq; inter eos præcipuæ autoritatis Fabius Maximus huic ſen-
tentiæ acriter reclamabat. Scipio in contrarium nitebatur, ratio-
nibus multis oſtendens hac una via ſuperari Pœnos, & Annibalem
deduci ex Italia poſſe, cætera vana eſſe conſilia. Poſt longam alter-
cationem Scipione Sicilia decreta, permiſſumque à ſenatu eſt, ut ſi
arbitraretur utile exque repub. eſſe, cum omni exercitu in Africam
trajiceret. Hoc ſenatusconſulto in populum ædito, ſic erecti ſunt
omnium animi ad ſpem magnarum rerum, ut jam de Africa cogita-
XXI rent, & bellum poſſe confici non diffiderent. Sed Scipioni in rebus
neceſſariis comparandis maxima difficultas proponebatur, cùm ob
ærarii inopiam, tum ob juventutis penuriam, cujus florem præteri-
tæ clades à Pœno illatæ abſumpſerant. Ipſe tamen ne tantæ expe-
ctationi deeſſet, ingenti ſtudio in apparatũ belli intendit. Et adfue-
runt ei multi Etruriæ atque Vmbriæ populi, quorum alii arma, qui-
dam frumentum ac omnis generis commeatum ad juvandum exer-
citum detulerunt. Quadrageſimoquinto die, quod vix cuiquam
credibile videretur, fabricata inſtructuque claſſe ex Italia decedens
Scipio Siciliam contendit. At cùm exercitum in ordines redigeret,
eos præcipue ſeligendos putavit, qui ſub M. Marcello multos an-
nos meruerant, ſummamque ſcientiam rei militaris habere exiſti-
mabantur. Siculos autem partim autoritate, partim gratia impulit
ad ſubminiſtrandum auxilium futuro bello, quod in Africam trans-
ferre cum primum per anni tempus poſſet, omni ſtudio parabat.
Tradunt præter alia Scipionem ex variis civitatibus CCC. juvenes
legiſſe totius provinciæ nobiliſſimos, ac eis præcepiſſe, ut certa die
cum armis equiſque adeſſent Hi ut imperatum erat cum præſto
fuiſſent ad conſtitutam diem, optionem detulit conſul, qua vel
ipſe ſecum in Africa militarent, vel totidem aliis ſubſtitutis equos
armaque largirentur, utrum vellent acciperent. Singulis remiſſio-
nem militiæ petentibus, dati ſunt vicarii ccc. Romani juvenes, quos
Scipio inermes ex Italia adduxerat, eo conſilio ut Siculorum impen-
ſa, ſicut evenit, armis equiſque inſtruerentur. Horum opera mul-
XXII tis poſtea certaminibus fideli atq; utili in Africa uſus eſt. Iam tem-
pus hybernorum erat, cùm Scipio non ſolum in apparentibus belli,
ſed etiam in componendis Siciliæ rebus curam adhibendam ratus,
Syracuſas petit Vbi cum ex multorum querimoniis cognoviſſet, ſa-
tis magnam copiam Italicorum militum in eadem urbe verſari, qui
res bello partas, deinde Syracuſanis per ſenatum reſtitutas retine-
rent, ſtatim eos partim edictis, partim judiciis compulit ad ea im-
plenda, quæ ſenatus cenſuiſſet. Qua ex re magnam gratiam & juſti
conſulis famam apud Siculas gentes eſt adeptus. Interim per C. Læ-
lium multa cum præda ex Africa redeuntem certior fit, Maſiniſ-
ſam regem cupidiſſime adventum ſuum operiri, monere atq; roga-
re, ut ſi Reip. commodo facere poſſit, quamprimum in Africam tra-

 jiciat,

jiciat. Idem cupere multos Africæ populos, qui odio habentes Carthaginensium imperium, aliquam novandarum rerum occasionem expectent. Nec jam ulla Scipionis socordia eam profectionem distulerat, cùm raro quisquam alter imperator aut efficacior, aut solertior in rebus agendis fuerit. Verum Siculæ res & occasio recipien- XXIII
di Locros impedimento fuere, quo minus negocium pro suo arbitratu conficeret. Accessit etiam causa quædam Pleminii legati, qui Locris à Scipione relictus, cùm omne genus improbitatis, libidinis, avaritiæ in oppidanos exercuisset, facile multitudinem perpulit, ut omnia mallet, quam impurissimi hominis imperium ferre. Missi igitur à Locrensibus Romani legati cùm in senatum venissent, & gravissimas injurias à Pleminio acceptas questi essent, sic patres moverunt, ut non solum in Pleminium, sed etiam in Publium Scipionem atroces sententiæ dicerentur. Hinc obtrectatores Scipionis amplam materiam calumniæ nacti, asserere non dubitabant, eum cognovisse Locrensium injurias, Pleminii scelera, suorum militum dissensiones, atque omnia lentius tulisse, quam optimum consulem deceret. Addebant præterea exercitum in Sicilia habere vecordem, & omni disciplina solutum militari, ipsum ducem oscitantem totum se ad voluptates & ocium contulisse. Et præter cæteros Fabius Maximus in Scipionem invectus sic modum excessit, ut extemplò revocandum ex Sicilia, abrogandumque ei imperium censeret. Hæc nimis aspera visa omnibus sententia est. Quamobrem Q. Me- XXIV
telli consilium secuti patres decreverũt, ut decem legati in Siciliam transmittentes, cuncta quæ de Scipione ad senatum delata erant, diligenti studio perquirerent, si nocentem invenissent, statim jussu senatus in Italiam revocarent: sin verò falsa essent crimina & vanæ invidorum calumniæ, dimitterent ad exercitum, hortarenturque ut fidenti animo bellum susciperet. Profecti in Siciliam legati, in discutiendis singulis rebus nullam Scipionis culpam invenire potuerunt, nisi quod injurias à Pleminio Locrensibus illatas nimis leni animo pertulisset. Erat enim Scipio in remunerando largus, in puniendo mitis & clemens. Exercitum verò, classem, & omnem apparatum belli cùm intuerentur, sic admirati esse dicuntur copiam & ordinem singularum rerum, ut postea in urbem redeuntes amplissimis laudibus P. Scipionem efferrent, & rejectis invidorum calumniis, ad certissimam victoriæ spem senatum populumque Romanum revocarent. Cæterùm domesticis impedimentis sublatis, XXV
aliæ foris supervenerunt curæ, quæ non mediocriter animum Scipionis mentemq; turbarunt. Nam oratores à Syphace missi denunciarunt ei, novum sibi fœdus cum Carthaginensibus ictum, affinitatem cum Asdrubale contractam, filiam ejus sibi matrimonio junctam: propterea monere, ut si suæ Reipub. consulere velit, Africa abstineat, eosdem enim quos Pœni haberent, se amicos inimicosque habiturum. Hos legatos Scipio, ne mandata regis efferrentur, extemplo ad Syphacem remisit cum literis, quibus postulabat, ut initæ socie-

societatis junctæq; dextræ memor, caveret ne quid nomine Romano & regia fide indignum moliretur. Post hæc concione advocata, legatos Syphacis venisse in Siciliam dixit, ut sicut antea Masinissa, sic etiam hi nimiam dilationem adventus sui quererentur. Itaque maturandum in Africam esse, atque ideo cunctis militibus edicere ut arma expediant, & ad profectionem necessaria comparent. Hoc edictum Romani ducis ubi per Siciliam vulgatum est, statim multitudo ingens Lilybæum confluxit, non hominũ solum qui in Africam trajecturi erant, sed eorum etiam qui spectatum venerant Romanam classem, qua raro unquam instructior aut omni armatorum
XXVI genere ornatior visa fuerat. Ipse vero Scipio satis jam omnibus constitutis, è Lilybæo solvit tanta cupiditate transmittendi, ut nulli ei neque remi neque venti satisfacerent. Devectus est tamen paucis diebus ad promontorium Pulchri, atque ibi omnes copias in terram exposuit. Sed celeriter ejus adventus Carthaginem nunciatus sic civitatem turbavit, ut conclamatum esset ad arma, stationesque in portis murisque dispositas, quidam autores sint. Nam à M. Regulo usq; ad eum diem L. prope annorum intercesserat spacium, ex quo nullus imperator Romanus cum valido exercitu terram Africam intraverat. Merito igitur pavoris ac tumultus omnia erant plena. Augebat etiam terrorem Scipionis nomen. cui Carthaginenses quem ducem aut opponerent, aut parem arbitrarentur non reperiebant. Asdrubal Gisgonis filius egregius ea tempestate imperator habebatur, quem victum à Scipione fugatumque ex Hispania meminerant. In eo tamen atque in Syphace potentissimo rege magnam spem servandæ patriæ reponentes Pœni, hunc rogare, illum monere non desistunt, ut quanta maxima celeritate possunt, Africæ rebus subveniant. Sed dum hi copias jungunt, interim Hanno Amilcaris filius proximam regionem tueri jussus, obviam Ro-
XXVII manis progreditur. Scipio populatis agris, ditatoque exercitu ingenti præda prope Vticam cum omnibus copiis consederat, ut celebrem urbem & opportunam ad bellum terra marique gerendum, si qua via fieri posset, in potestatē redigeret. Et sub idem tempus Masinissa in castra Romanorum venerat, ardens incredibili cupiditate belli gerendi adversus Syphacem regem, à quo non multo antea paterno regno fuerat expulsus. Hunc Scipio quia juvenem acrem & manu promptum in Hispania cognoverat, priusquàm majores copiæ à Carthaginensibus cogerentur, speculatum mittit hostium castra, atque ei præcipit, ut omni ingenio adhibito Hannonem ad pugnam eliciat. Masinissa ut imperatũ erat, hostem irritando, sensimque trahendo perducit ad ea loca, quibus in locis Scipio cum armatis legionibus constiterat, expectans occasionem gerendę rei. Defessa jam erat hostium acies, cum Romani recentibus copiis obviam facti, prœlium ineunt. Primo congressu superatur Hanno, & ipse cum parte copiarum occiditur. Reliqui terga dantes, qua potest
XXVIII quisque fugam per diversa petunt. Post hanc victoriam, Scipionem

ad oppugnandam Vticam redeuntem, absistere incepto coegit subi-
tus Asdrubalis & Syphacis adventus, qui ingētes peditum equitum-
que copias secum ducentes, haud procul à Romanis posuerunt ca-
stra. Quod ubi animadvertit Scipio, statim soluta obsidione, castra
in quodam promontorio communivit, unde procedere obviam ho-
sti, & vexare Vticenses, & classem subductam tueri posset. Cæterùm
cùm tempus postulare videretur, ut hyberna utrinq; peterent, pla-
cuit ei ad Syphacem mittere, qui tentarent animum regis, & quan-
tum tum in eis esset à Carthaginensium amicitia abducerent. Hunc
enim sciebat Sophonisbæ nuptiis agitatum, & quasi muliebribus
instructum furiis, eo insaniæ devenisse, ut non modò Romanos
non juvandos, sed etiam contra jus fœderis oppugnandos censeret:
quod si qua uxoris satietas hominem cepisset, jam ad sanitatem eum
reverti posse arbitrabatur. Syphax auditis his quæ nomine Scipionis
ad eum deferebantur, tempus jam esse respondit, ut non de relin-
quenda Pœnorum societate, sed de abjiciendis belli consiliis aga-
tur, se optimum pacis autorem fore pollicetur. Huic sermoni Sci- XXIX
pio aures adhibendas putat, solerti animo rem novam meditatus.
Nam ex omni exercitu strenuos milites delegit, quos serviles vestes
indutos comitari oratores jubet, ut quid fieri velit ostendit. Hi ut
præceptum erat, dum legati & Syphax de conditionibus pacis inter
se agunt, & longior consulto producitur sermo, speculatum profici-
scuntur hostium castra, omnes aditus exitusq; explorant. Hoc sæ-
pius facto, ad Scipionem revertuntur. Certum erat induciarum con-
stitutum tempus, quo elapso Scipio simulat se omni spe pacis abje-
cta, arma, classem machinasque parare, ut quemadmodum antea
orsus fuerat, Vticam oppugnatum redeat. Hoc quàm latè per re XXX
gionem vulgari, hoc ab hostibus credi volebat. Ipsi verò tribunis
militum convocatis, consilium suum aperit. Docet bina esse ho-
stium castra, parvo inter se divisa spatio, quorum altera ex lignis hy-
bernacula, altera ex arundinibus contexta habeant, utraque deleri
incendio posse. Quamobrem Masinissam & C. Lælium ad se vocat,
atque eis præcipit, ut intempesta nocte Syphacem aggrediantur,
ignem castris injiciant, se ex altera parte Carthaginenses invasu-
rum pollicetur. Hi mandata impigre exequentes, constituta hora
Numidarum castra adoriuntur, & ignem arundinibus applicant,
quæ subito incendium effuderunt, & pene in omnem locum castro-
rum distulerunt. Numidæ fortuitum primo incendium arbitrati,
ad opem ferendam celeriter concurrerunt: mox ubi in legiones ho-
stium incidentes trucidari cœpti sunt, ancipiti paventes metu, se-
se fugæ mandarunt. Simili pene ratione ab altera parte exercitus
cui Scipio præerat, incensa sunt Carthaginensium castra, & profli-
gati hostes, tanta fugientium strage, ut ad XL. millia hominum ex
Pœnis Numidisque ea nocte absumpta quidam autores sunt. Hæc XXXI
clades Carthaginem delata, sic terruit civium animos, ut alii ex Ita-
lia Annibalem revocandum, alii pacem petendam à Scipione cen-
serent,

ferent. Sed factio Barchina potens pollensque cùm abhorreret à consiliis pacis, pervicit ut novi delectus haberētur ad restituendum bellum. Igitur Syphax & Asdrubal magna multitudine peditatus equitatusque coacta, celerius opinione omnium exercitum repararunt, atque rursus in conspectu Romanorum posuerunt castra. Qua re cognita, Scipio non cunctandum existimavit, dum milites sui alacres essent & fiduciæ pleni, quin pugna decertaret. Accidit autem ab initio ex propinquitate castrorum, ut levia quædam committerentur prœlia: ad extremum verò omnibus copiis concursum est, tantusq; ardor Romanorum militum fuit, ut primo impetu Numidas Pœnosq; in fugam converterent, magnamq; partem fugien-
XXXII tium interficerent. Asdrubal & Syphax citato cursu ex media cæde profugerunt. Ad quos consectandos Scipio Masinissam & C. Lælium cum expedito equitatu misit. Syphax in Numidiam, atq; inde in antiquum regnum profectus, ex omni genere hominum exercitum coegit, obviamque Masinissæ & Lælio factus prœlium committere non dubitavit, malo tamen consilio, cùm esset hostibus longe inferior non tam dimicantium numero, quàm, quod nec miles cum milite, nec duces cum ducibus erant conferendi. Itaque à bellacissimis viris facile superatur, & quod Masinissa vix ausus esset optare, in prœlio capitur, & cum multis nobilibus viris ad Scipionem perducitur. Ceperat primum lætitia omnium animos, cum Syphacem in castra adduci nunciatum est: deinde ubi vinctus in conspectum multitudinis est perductus, tanta viri præsentia & pristinæ majestatis recordatio misericordiā intuentib. movit. Meminerant enim quā celebre ejus regis nomen, quam florentes opes & amplissimi regni vires paulo ante extiterant, postea verò ex tanto fastigio prolapsum cernentes miserabantur. Ipse autē imperator Romanus benigne eum affatus, quæsivit quænam tanta causa animū ejus mu-
XXX tasset, impulissetq; ad inferendum Romanis bellum. Tum rex vete-
III ris hospitalitatis, junctæque dextræ memor, fidenti animo Scipioni respondit, se conjugis Sophonisbæ amore captum, tantum facinus quantum omnes scirent, in populum Romanum admisisse, atq; exemplo eas dedisse pœnas, quas cæteri pro documento habere possent, ut in fide atq; officio permanerent. Sed in extremis malis hoc sibi solatii contigisse, quod inimicissimum hominem Masinissam, eadem insania, qua ipse laborasset, correptum videret. Nam post victum captumque Syphacem, Masinissa Cyrtham caput regni petens, cum urbem in potestatē redegisset, Sophonisbā multis precib. sibi blandientem ardere cœperat, mulieriq; fidem dederat, se eam à Romanorum manib. vindicaturū: & ut id commodius præstare pos-
XXX set, novis nuptiis sibi devinctam uxorem duxerat. Hæc celeriter ad
IV Scipionem delata, magnopere hominem perturbarunt. Constabat enim auspiciis Romanorum victum Syphacē esse, & quæcunque suæ ditionis fuerant ad eorum judicium pertinere: quod si Masinissa inconsulto Scipione patrocinium Sophonisbæ suscipiendū putarat,

simul & imperium ducis & majestatem populi Romani visus fuerat contempsisse. Accedebat huic culpæ turpissima libidinis causa quæ tanto gravior videri debuit, quanto erat Romani imperatoris continentia major, quam Masinissa ante oculos habebat ad imitandum. Nam Scipio præter cætera virtutis documenta, in omnib. locis quibus hostem superaverat, à captivis mulierib. victrices semper abstinuerat manus. Indignatus igitur adversus Masinissam, etsi primum in castra redeuntem præsente multitudine benigne accepit, postea tamen sejunctum à cæteris ita objurgavit, ut sentiret Numida moderatissimo simul & severissimo imperatori sibi esse parendum. Itaque lacrymans & consilii inops in tentorium abiit, pauloque post, cum fidem Sophonisbæ datã præstare non posse cerneret, atq; ex eo graviter angeretur, venenum ei cum mandatis misit, quo mulier repente hausto, voluntariã sibi conscivit mortem. Cæterùm Carthagi- XXXV
nenses tot tamq; multiplicib. acceptis cladibus, cum res in eum locum deductas viderent, ut jam non de propagando imperio, sed de servanda patria esset cogitandũ, Annibalẽ ex Italia revocarunt. Qui celeriter in Aphricam reversus, sive quod præsentis juvenis felicitatem horreret, sive quod labenti & pene inclinatæ Reip. diffideret, omnium primum cum P. Scipione de pace agendum censuit. Quapropter petenti locus ad colloquium datus quo simul congressi lõgum sermonem de tollendis controversiis habuere, ad extremum Scipio eas conditiones detulit Pœno, quibus facile apparuit, non tædere belli Populum Romanum, & ipsum juvenẽ spe victoriæ magis, quam concordiæ desiderio trahi. Itaq; omni spe pacis adempta colloquium dirimunt, atque in posterum diem certamen parant duarum nobilissimarum bello gentium, duo clarissimi duces, imperium orbis terræ brevi spacio suis Rebuspub. aut daturi, aut erepturi. Locus prope Zamam fuisse traditur, ubi supremas vires quasi in mediũ effundentes, pugnam memorabilẽ conseruêre: in qua victores Romani, primum hostium elephantos, deinde equites in fugam verterunt, demum acrius inferentes pedem, totam aciem profligarunt. Cæsa aut capta ex Carthaginensium copiis supra XL. millia hominum à Romanis ferunt. Annibal ex tanta cæde incolumis evasit, nullo strenui ducis eo die munere prætermisso. Nam si unquam an- XXX
tea, tum ea pugna aciem peritissime instruxerat, loco subsidiisq; fir- VI
maverat, atque in ipso certamine dum manus conserebantur, sic militibus suis officium præstiterat, ut summi Imperatoris laudẽ etiam à hostib. tulerit. Post hanc victoriam, Scipio nactus Verminam Syphacis filium, opem Carthaginensib. afferentem, fugavit, & usq; ad mœnia portumq; Carthaginis exercitũ admovit, ratus id quod accidit, Pœnos supplices ad pacem petendã venturos. Nam ut ad bella suscipienda alacer & promptus fuerat Carthaginensium animus, sic eo temporis mollis ac minime resistens mens eorum fuit, Annibale præsertim superato, in quo antea omnẽ spem servandæ patriæ collocatam habebant. Itaque consternati animo, legatos ad Scipionem

nem mittunt, qui clementiam victoris implorent, & multis precib.
XXX pacem expoſcant. Iam Romæ de provincia Africa contentiones e-
VII rant, & alter ex novis conſulib. in exercitum properabat pari impe-
rio ad gerendum bellum: quamobrem veritus Scipio ne tanti belli
confecti gloria ad alium perveniret, æquo animo à legatis Cartha-
ginenſium ſe exorari paſſus eſt. Conditiones igitur pacis Carthagi-
nenſibus datæ ex victoris arbitrio, & præter alia, omnis claſſis, qua
maxime confidebant, adempta. Ea cùm cremaretur, tam miſerabile
ſpectaculum intuentibus præbuit, ut nòn ſecus in urbe, quam ſi
Carthago à ſtirpe interiiſſet, comploratum ſit. Ad quingentas e-
nim naves omnis generis crematas quidã autores ſunt. Verum hæc
nos admonere debent fragilitatis humanæ, cujus nimia (ut ille in-
quit) in proſperis rebus oblivio eſt. Qui enim antea ampliſſimis vi-
ctoriis conſequutis, omni prope Italia in ditionẽ redacta, urbe Ro-
ma, audaciſſimè obſeſſa, imperium orbis terræ animis deſtinabant,
non multo interjecto ſpacio, in eum locum deducti ſunt, ut omni
imperio amiſſo, nihil præter Carthaginis mœnia poſſiderent, eaque
ſervare poſſe diffiderent, niſi ſalva eſſe ſineret hoſtium exorata cle-
XXX mentia. Poſt hæc Scipio ex ſententia ſenatus, Maſiniſſam Regem
VIII non ſolum in patrium regnum reſtituit, ſed adjecta opulentiſſima
parte Syphacis regni præponentem inter Africæ reges fecit: ſingulis
deinde pro meritis præmia tribuit. Demum compoſitis Africæ re-
bus, exercitum in Itàliam reportavit: ſub cujus adventũ multi mor-
tales Romam confluxêre, ut præſtantiſſimum belli ducem, poſt
tantas res geſtas, intuerentur. Itaque celeberrimo triumpho urbem
eſt invectus, quem ſequutus eſt Terentius Culeo ſenator pileato ca-
pite, quia beneficio ejus ex ſervitute fuerat exemptus. Syphacem
vero regem Polybius in triumpho ductum, quidam priusquam Sci-
pio triumpharet mortuum ſcribunt. Multi antea Punico, & poſtea
Macedonico atq; Aſiatico bello triumphantes, plura vaſa aurea, ar-
genteaq; & majorem copiam captivorum præ ſe tulerunt. Sed unus
Annibal victus, & tanti belli confecti gloria triumphum P. Scipio-
nis ſic celebrem reddidit, ut facile cæterorum aurum pompamque
ſuperaret. Africa enim ſubacta, nulla gens poſtea fuit, quæ vinci à
populo Romano erubeſceret. Quamobrẽ ex hac provincia gradus
imperii in Macedoniam, in Aſiam, atq; in reliquas partes orbis ter-
XXX ræ eſt factus. Cæterùm Scipioni, quem poſt Africam devictam jam
IX Africanum appellare licet, Romam reverſo, neq; civiles dignitates,
neque urbani honores defuerunt. Nam cùm cenſorum comitia ha-
berentur, & multi competitores ex ſuperna nobilitate concurrerẽt,
ipſe & Elius Petus prælati omnib. ſunt: creati cenſores, magiſtratum
poſtea ſumma integritate concordiaq; geſſerunt. Sequentes deinde
cenſores alii atque alii principẽ Senatus Africanum legerunt: quod
genus honoris iis tantum viris deferri conſuevit, qui autoritatem &
gloriam maximis in Remp. meritis præſtantiſſimisq; reb. geſtis eſ-
ſent conſequuti. Nec multo interjecto ſpacio, creatus eſt iterũ con-

ſul, collegaq; ei datus Sempronius Longus, Sempronii illius filius, quem Annibal magna affectum clade ad flumen Trebiam ſuperavit. Hi primi fuiſſe dicuntur, qui in ſpectandis ludis patres à populo ſecreverunt: quam ſelectionē plebs Romana moleſtiſſimè tulit, adverſus conſules indignata, qui honorem ſenatorii ordinis extuliſſe, ſuum contempſiſſe viſi erant. Et ipſum etiam Africanum aliquando pœnituiſſe tradunt, ſe veteris moris tollendi, novi introducendi autorem fuiſſe. Erant per id tempus quædam contentiones de finibus XL
imperii inter Maſiniſſam & Carthaginenſes exortæ, ad quas componendas Scipio duoque alii legati à ſenatu miſſi, cùm cauſam diſcordiæ cognoviſſent rem totam integram ſuſpenſamq; reliquerunt. Atque eo conſilio id factum dicunt, ut Pœni domeſticis contentionib. occupari tenerentur, neve aliis negotiis vacare, vel ad ſpem novarū rerū erigere animos poſſent. Vigebat enim cum rege Antiocho bellum & Annibal Pœnus cum eo erat, qui nunquam ceſſabat in populum Romanum veteres hoſtes concitare, novos acquirere & omnibus modis Carthaginenſibus ſuadere, ut ſervitutis jugum ſub titulo fœderis ſibi à Romanis impoſitum abjicerent, & regum amicitiam experirentur. Verùm paulo poſt Romani rebus proſpere geſtis Antiocho à Græcia pulſo, cum jám Aſiam animis deſtinarent, Africanum intuebantur, veluti hominem natum ad bella magni ponderis finienda. L. autem Scipio & C. Lælius conſules erant, & uterque ſibi Aſiam provinciā decerni cupiebat. Res arbitrio ſenatus permiſſa erexit ſtudia patrum, ſenatoresq; dubios reddidit de tantis viris judicium facturos. Sed cùm apud patres major Lælii gratia, major etiā exiſtimatio eſſet, & ſenatus ad eum inclinaret negociumq; deferret, ſurrexit P. Africanus frater major L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus eſt, dixitque, & in fratre ſuo ſummam virtutem eſſe ſummumq; conſilium, neque ſe ei legatum defuturum. Extemplo hæc vox ingenti patrum lætitia excepta, omnem dubitationem XLI
ex eorum animis dempſit. Decretum eſt igitur frequenti ſenatu, ut L. Scipio in Græciam adverſus Ætolos, deinde in Aſiam ſi ei viſum eſſet, tranſiret, ad inferendum Antiocho bellum, & P. Africanum ſecum duceret, quem Annibali victo & pro Antiocho in acie ſtanti victorem opponeret. At vero P. Scipionis pietatem quis non jure miretur? quam non ſolum à prima adoleſcentia Cornelio patri, ſed etiam L. fratri id ætatis iisq; rebus egregiam præſtitit. Et quanquam erat Africanus, qui Annibalē vicerat, de Pœnis triumpharat, omnes belli gloria & virtute anteibat, imperio tamē minoris natu ſe ſponte ſummiſit, ut is in honore obtinendæ provinciæ gratioſo collegæ præferretur. Ex eo autem bello L. Scipio conſul Africani conſilio egregio quidem & fideli uſus, maximam gloriam in patriam reportavit. Nam primum in Græciam trajiciens inducias ſex menſium Ætolis dedit, ſuadente Africano poſthabitis omnibus Aſiam caput belli peteret. Pruſiam deinde Bithyniæ regem animo fluctuantem, Africani opera ab Antiochi ſocietate avertit. Magnum enim erat Afri-

Africani nomen, & omnes qui consulem adibant, rem aliquam im-
XLII petraturi, eo patrono utebantur. Cùm verò in Asiam pervenis-
set, & legatus Antiochi Heraclides Byzantius præsto fuisset, ut de
pace ageret, & publicè expositis mandatis æquas conditiones im-
petrare non potuisset, privatim sicut præceptum erat, Africanum
adiisse traditur, ac multis modis tentasse animum viri, ut in regis
desiderium traheret. Nam & filium adolescentem, quem captum
in potestate haberet, Antiochum remissurum dixit, & Africanum
in totius regni societatem titulo tantum sibi reservato, libentissi-
mè susceptur um adjecit. P. autem Scipio sicut multis aliis virtuti-
bus, ita fide & probitate præstans, cæteris posthabitis filium ut gra-
tum munus se accepturũ respondit, & pro privato officio quantum
in eo esset privatam gratiam relaturum: sed ante omnia regem hor-
tari ut abjectis belli consiliis, quascunque dederit senatus populus-
XLIII que Romanus conditiones accipiat. Paucis verò post dieb. Antio-
chus filium ad P. Scipionẽ ut pollicitus erat, remisit: quem alii jam
inde ab initio belli à Chalcide Oricum petentem, alii parvo navi-
gio trajicientem, quidam proficiscentem exploratum consilia ho-
stium, captum fuisse tradunt, atque eo tempore ad patrem Eleæ æ-
grotantem remissum dicunt. Ea indulgentia regis, gratissima (ut par
erat) Africano fuit, visusq; ex longo intervallo adolescens, animum
ejus solicitum & corpus ægrum magnopere recreavit. Verùm P. Sci-
pio ut aliquod grati animi judicium præ se ferret, per legatos qui ad
eum venerant, amplissimas gratias Antiocho egit pro filio ad se re-
misso. Deinde eum monuit, ne prius in aciem descenderet, quam se
ab Elea in castra reversum sciret. Motus autoritate viri Antiochus,
aliquamdiu se castris continuit, & prœlium in longum differendũ
putavit, sperans per Africanum se aliquem aditum ad consulẽ ha-
biturum. Postea verò cùm consul ad Magnesiam consedisset, & la-
cessendo atque irritando hostem ad pugnam excivisset, continere se
non potuit rex, quin justa acie decertaret. Ei prœlio inter alios re-
XLIV gios duces Annibal Carthaginensis interfuisse traditur. Victus pro-
fligatusq; Antiochus, cùm perditis reb. nullũ remedium esse confe-
ret, ad Africanum, qui paulò post commissam pugnam levatus mor-
bo in castra venerat, confugit, ac per eum à cõsule impetravit, ut de
pace agi liceret. Venientibus ergo in castra legatis Antiochi, peten-
tibusque ut regi suo ignoscerent, & quascunq; vellent conditiones
dicerent pacis, Africanum ex communi omnium sententia respon-
disse tradunt, non esse consuetudinem Romanorum, ut vel adversis
rebus succumbere, vel secundis efferri sciant. Easdem conditiones,
quas ante victoriam detulissent, se deferre, ut Europa abstineat Rex,
cis Taurum montem usque ad Taniam amnem possessione Asiæ cæ-
dat, in viginti annos tributum pendat, viginti obsides ex arbitrio
consulis dedat. Et ante omnes Annibalem Pœnum concitatorẽ belli
poposcit. Sed is ut in ejus vita scripsimus, terra marique fractas vi-
dens Antiochi opes, se manib. Romanorum subripuerat, & ad Pru-

ſiam Bithyniæ regem perfugerat. Antiochus acceptis conditioni- XLV
bus pacis, benigne ſibi à populo Rom. factum dixit, quod magna cura liberatus, modicis regni terminis uteretur. Ampla enim Imperia & nimiæ quæ expetuntur opes, tot tamque varias & undique circumfuſas moleſtias habent, ut non minus vero quàm eleganter à Theocrito dictum ſit:

Imperia ampla.

Non mihi ſint, nec opes Pelopis nec multa talenta,
Nec celeri curſu ventos ſuperare fugaces:
At vacuo curis liceat cantare ſub antro,
Et procul è ſpecula mare proſpectare profundum.

Conſul debellato potentiſſimo rege Aſiæ, celeriuſque opinione omnium bello maximo confecto, Romam rediit, & ſpecioſo triumpho urbem eſt invectus. Cognomen quoque ex devicta provincia meruit, ut ſicut ante Africanus ab Africa, ſic etiam iſte Aſiaticus ob Aſiam ſubactam diceretur. Nec P. Scipio cujus cõſilio L. frater Remp. feliciſſimè geſſerat, expers honorum fuit. Nam paulò poſt duo clari cenſores T. Q. Flaminius & M. Claudius Marcellus eum principem Senatus tertiò legerunt. ſicque iis duobus luſtris ex quo eſt ab initio conſtitutus, in ea dignitate permanſit. Verùm operæ- XLVI
precium eſt contemplari quum varia & quám imbecillis ſit rerum humanarum conditio. Erat ea tempeſtate cumulata omni genere honoris Scipionum Corneliæque gentis gloria, & Africani autoritas in eum gradum pervenerat, ut non eſſet privato viro in libera civitate ulterius expetendum. Hanc magnitudinem ſuſtinere non potuit inimicorum invidia, ſed erupit tandem ea quæ animis latebat, & in tantarum rerum autores ſeſe effudit. Nam duo tribuni plebis, Portii Catonis (ut quidam ſuſpicantur) opera concitati, diem Publio Africano dicunt, & pecuniæ ab Antiocho rege acceptæ, & non in publicum relatæ eum inſimulant. Is ſuæ probitatis conſcius vocanti magiſtratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progreſſus, orationem amplam magnificamque habet de rebus à ſe pro Rep. geſtis: quarum commemoratio non pro gloria, ſed pro ſuo periculo habita à multitudine, quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Inſtant tamen tribuni, multis calumniis hominem onerant, & quaſi culpæ obnoxium ſuſpicionibus magis quã argumentis accuſant. Sequenti die citatus iterum Africanus ad conſtitutam XL
horam preſto adeſt, & cum magno comitatu amicorum per mediam VII
concionem ad roſtra progreditur. Ibi ſilentibus cunctis: Memini, inquit, Quirites, me tali die de Annibale & Pœnis egregiam victoriam conſequutum: quamobrem poſtpoſitis litibus hinc eundum in Capitolium cenſeo, ut pro Rep. feliciſſimè geſta divino numini gratias agamus. Proficiſcentem deinde P. Scipionem non modò in Capitolium, ſed etiam ad omnia templa urbis, ſequuta univerſa concio eſt, magiſtratu cum ſolis miniſtris relicto. Hæc velut ultima proſperatis dies & frequentia hominum, & benevolentiæ ſignificatione, quacunque antecedenti felicior Africano illuxit. Nam poſtea

ruri

ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Itaque Linternum se contulisse traditur, seu vehementi indignatione commotus, quod post tanta beneficia in civitatem collata pro mercede ignominiam reportaret: seu quia satietate gloriæ captus, generosius duceret sponte inimicorum invidiæ cedere, quam vi & armis magnitudinem suam tueri.
XLVIII Accusantibus deinde tribunis contumaciam viri, ac L. fratre absentiæ suæ causam in ęgritudinem referente, unus è tribunis plebis Tiberius Gracchus, cui simultates cum Africano erant, contra opinionem omnium hanc excusationem accepit, & Scipionis causam modò cum summis laudibus efferendo, modò adversarios deterrendo, sic egregiè tutatus est, ut postea senatus frequens, qui hanc injuriam iniquo ferebat animo, amplissimas ei gratias egerit. Sunt autem qui volunt Publium Scipionem priusquàm Linternum concederet, librum pro reddenda ratione à L. fratre in senatum allatum suis manibus concerpsisse, atque id non fraude aut arrogantia fecisse, sed eadem fiducia animi, qua aliquando in quæstores est usus, cùm claves ad aperiendum ærarium contra leges poposcit, ut necessitati Reip. subveniret. Quidam etiam dicunt, non Africanum, sed Asiaticum fuisse, quem tribuni plebis in judicium vocarunt: & P. Scipionem qui in Etruria per id tempus erat legatus, hac re cognita celeriter in urbem rediisse, & primo adventu cùm offendisset L. Fratrem damnatum & paratos ministros, qui eum vinctum in carcerem ducerent, sic animo exarsisse, ut viatorem tribunosque pl. vi à corpore fratris repulerit.
XLIX Adjiciunt præterea Tiberium Gracchum tribunum pl. questum primò, solutam esse à privato tribunitiam potestatem, deinde postpositis simultatibus, quæ sibi cum Scipionibus intercedebant, eorum patrocinium suscepisse, ut tribuni potius à tribuno, quam à privato victi viderentur. Eodem die senatum in Capitolio cœnantem autorem fuisse scribunt, ut Africanus minorem ex filiabus Tiberio Graccho desponderet. Hac sponsione facta rediens domum P. Scipio, cum uxori novam affinitatem nunciasset, indignata mulier dixisse fertur, non debuisse eum inconsulta matre filiam despondere, etiam si Tiberio Graccho locare potuisset. Id responsum Scipioni jucundissimum fuit, cùm vidit conjugem in eandem sententiam, in qua ipse constiterat, de locanda filia incidisse. Nec sanè me fugit hæc quæ modò dixi, nõnullos de Tiberio filio, & Appio Claudio ejus socero tradidisse. Nam Polybius & alii locupletissimi autores, Corneliam, quæ Cajum & Tiberium peperit, post mortem Africani Graccho nupsisse scribunt. Fuit enim Africano Æmilia uxor L. Pauli filia, qui consul pro Rep. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum majorem natu P. Cornelio Nasicæ, minorem seu in vita seu post mortem patris, Tiberio certè Graccho nuptam constat.
L De filiis verò pauca reperiuntur, quæ pro certis afferri possint. Diximus de adolescente ab Antiocho capto, & ad patrem liberaliter remisso, de quo nullam postea scriptores, quod compertum habeam, mentionē faciunt, nisi quod eum

præ-

præturam gessisse & in magistratu consequendo à Cicerejo patris scriba adjutum fuisse quidam autores sunt. Proditum quoque memoriæ est, Africanum minore à filio P. Scipionis adoptatum fuisse. M. Cicero in eo libro, qui Cato major inscribitur: Quam fuit imbecillis, inquit, P. Africani filius is qui te adoptavit. Et in sexto de Rep. libro pater Æmilius Scipionem filium hortatur, ut sicut Africanus avus colat justitiam & pietatem. De exitu autem P. Scipionis varia LI
scriptores tradidêre. Alii Romæ mortuum, elatumque scribunt, & ad fidem hujus rei monumētum ad portam Capenam ei factum, & tres statuas superlocatas ferunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia Q. Ennii poetæ. Huic sententiæ illud Ciceronis convenire videtur: *Charus*, inquit, *Africano superiori fuit noster Ennius. Itaq; etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus.* Alii autores sunt, & frequentior fama est, Linterni Africanum mortuum, ibique ex sua institutione sepultum esse, ne patria parum memor beneficiorum, suum funus celebraret: monumentumque ei factum, ac statuam superpositam, quam postea tempestate disjectam Livius se vidisse testatur. Præterea apud Cajetam in Marmoreo sepulchro æneaque urna hæc inscripta reperiuntur:

Devicto Annibale capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
(Respice res hominum) quam brevis urna premit.

Ego vero quæritans quo anno ætatis Africanus obierit, IIII. & L. LII
annos eum vixisse, pauloque post interiisse, apud quosdam oratores Græcos inveni. Fuit autem vir non solum omni bellica laude dignus, sed etiam domesticis virtutibus præstans, quæ sic ejus animū ingeniumque alebant, ut dicere solitus sit, nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus: nec minus solum, quam cum solus esset. Interdum enim multitudinem consulto fugiens tanquam in portum se in solitudinem recipiebat. Sed ea erat rerum gestarum gloria ut quocunque proficisceretur, concursum omnis generis hominum commoveret. Tradit fama cùm in Linternum secessisset, prędones quosdam eū salutatum venisse, ut tantum virum intuerentur, dextramque illius fide & victoriis præstantem contingerent. Magna est enim virtutis vis, & magna apud omnes gentes, cùm non solum bonos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat.

ANNIBALIS, ET P. SCIPIONIS COMPARATIO.

Iam verò res admonere videtur, ut Scipionis & Annibalis gesta, & LIII
ea quæ ad domesticam pertinent disciplinam, paucis verbis conferamus. Primum si res bellicas considerare velimus, satis constat ambos fuisse summos præstantissimosque belli duces, ac non modo ætatis suæ, qua nulla bellacissimorum virorum feracior fuit, sed etiam superiorum temporum cuilibet regum imperatorumve pares.

Id

Id autem mirari libet, cùm potentissimos adversarios domi habe-
rent, qui omnia sua consilia oppugnare nitebantur, tanta eos in ex-
ternis bellis sustinere aut perficere potuisse. Nam ut cætera omit-
tam, P. Scipio adversante Fabio Maximo, aliisque principibus civi-
tatis, quanta contentione perfecit, ut in Africam mitteretur ad ge-
rendum ex propinquo Carthaginensibus bellum? Annibal verò
quem aut qualem adversarium habuit Hannonem principem facti-
onis adversæ? Ambo igitur multis domi forisq; difficultatibus vi-
ctis, non felici quadam temeritate, ut plerisq; contigit, sed arte, inge-
LIV nio, consilio, res omni memoria dignas gessere. Verùm Annibalis fe-
rociam pleriq; mirantur, qui expugnata Sagunto ausus sit ab ulti-
mis terrarum finibus in Italiam venire, ingentes peditum equitũq;
copias secum ducere, validissimam remp. quam maiores sui nõ me-
diocriter formidaverunt, bello lacessere, multis exercitibus, consuli-
bus, Imp. cæsis, sub mœnib. Romanæ urbis castra ponere, externos
reges, longinquas nationes commovere ad inferenda Romanis ar-
ma. Hæc qui fecerit, maximum ac fortissimum ducem habẽdum pu-
tant. Alii verò in Scipionem cõversi summis eum efferunt laudibus,
quatuor nobilissimos duces, quatuor exercitus in Hispania fusos fu-
gatosq; devictum & captum ingentes nominis regem enarrant. Po-
stremo illam memorabilem pugnam extollunt, qua Scipio collatis
signis Annibalem profligavit. Nam si Fabio, inquiunt, laudi datum
fuit, quia non est à Pœno superatus, quid de Africano dicendum e-
rit, qui celeberrimum ducem magno prœlio fudit, & gravissimum
bellum confecit? Hunc insuper aperto Marte bella gerere, cum
hoste æquo campo congredi consuesse memorant. Annibalem cõtra
insidiis, dolis, atq; omni genere fallaciæ uti solitum tradunt. Itaq; o-
LV mnes Græci Latiniq; scriptores callidissimum ducem appellant. Sũt
præterea qui Annibalem laudandum censent, quod tam diuturno
tempore, quo bellum cum Romanis gessit, exercitum conflatum ex
omni genere hominum sic quietum & concordem tenuit: ut nulla
unquam in castris audita seditio sit. Vituperandum è contra arbi-
trantur, quod post illam memorabilem cladem Romanis illatam,
segniter sit victoria usus: quod Campaniæ Apuliæq; deliciis sic mi-
lites suos corruperit, ut non iidem postea viderentur, qui Romanos
ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cãnas fudissent. Hæc cum omnes
autores in eo reprehẽdant, tum perfidiã & crudelitatem maxime de-
testantur. Nam ut cætera omittam, quæ immanitas illa fuit, cum ho-
minis Arpinatis uxorem & liberos in castris accitos vivos cõbussit?
Quid de illis dicendum, quos ex talia decedens in Iunonis Laciniæ
delubro necari jussit? At Scipionem si scriptoribus magis quam in-
vidorum calumniis credere libet, moderatissimum ducem, nec solũ
in pugna strenuum, sed etiam post victoriam clementem fuisse dice-
mus. Itaq; sæpissimè accidit, ut eiusdem virtutem hostes, misericor-
diam victi, fidem cæteræ gentes experirentur. Iam vero continentia
& liberalitas viri quanta aut qualis fuit, qua in virginem captivam,

qua in Lucejum principẽ Celtiberorum eſt in Hiſpania uſus? Quod LVI autem ad utrunque attinet, ambo liberalibus artibus eruditi, ambo doctorum hominum amatores fuiſſe dicuntur. Tradunt enim ut Africanum Ennio, ſic Annibalem Soſillo Lacedæmonio familiariſſime uſum. Sunt etiam qui Pœnum literarum Græcarum non modò non ignarum fuiſſe ſcribunt, ſed in hoc quoque genere laudis tantum ei tribuunt, ut hiſtoriam de rebus geſtis Manlii Vullonis Græco ſermone ſcripſiſſe velint. Ego verò M. Tullio libenter adhæreo, qui in libro de Oratore Annibalem dicit audiviſſe, Epheſi Peripateticum Phormionem, de imperatoris officio & de omni re militari copioſiſſimè diſſerentem, pauloque poſt rogatum quidnam de illo philoſopho judicaret, reſpondiſſe: non optime Græce, attamen Græce. Multos ſe deliros vidiſſe ſenes, ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Ambo præterea apti in dicendo, Annibal etiam acutus in reſpondendo fuiſſe traditur. Cùm aliquando Antiochus populo Romano bellum illaturus copias in aciem deduxiſſet, non tam armis quam auro argentoque ornatas, quæſivit à Pœno, an ſatis hæ copiæ ſibi viderentur. Tum ille: Satis, inquit, ô rex, quamvis hoſtes avariſſimi ſint. Illud autem verè dici poteſt, Annibalem LVII res geſſiſſe magnas, attamen reipub. ſuæ calamitoſas. Cauſa enim pernicioſiſſimi belli, cauſa peſtis atque exitii fuit. Scipio contra ſic remp. ſuam protexit, patriam conſervavit, imperium auxit, ut qui ea meminerunt, Romã ingratam appellare non dubitent, quæ Africanum ſervatorem urbis cedere ex urbe maluit, quàm paucorum furorem audaciamque reprimere. Ego verò nec eam civitatem gratam appellare poſſum, quæ præſtantiſſimi viri ſimul & innocentiſſimi tam abjectè ignominiam tulit: nec tã vituperare ſcio, quàm vituperandam cenſerem, ſi ad eam injuriam inferendam contuliſſet manus. Verùm ſenatus, ut omnes autores aſſeverant, Tiberio Graccho opem Scipionibus afferenti gratias egit: & plebs relictis tribunis qui reum citabant, per omnia templa urbis Africanum ſequuta, facile declaravit, quanta benevolentia, quantoq; honore dignum cenſeret Scipionum nomen. Quod ſi ex talibus indiciis civium animi metiendi ſint, non tam ingrata civitas in abjicienda beneficiorum memoria, quàm in toleranda injuria lenis mollisque cenſenda erit: pauci enim fuêre, qui reliquis indignantibus, tale facinus audendum putarunt. Cæterum vir magni animi Scipio facile contemnens LVIII inimicorũ invidiam, cedere ex urbe maluit, quam inteſtinis diſcordiis civitatem evertere. Nec jam ipſe ut Coriolanus, Alcibiades, aliique permulti ex antiquorum memoria, infeſta patriæ ſigna inferenda putavit, nec exteras gentes, potentiſſimos reges commovendos cenſuit, ut eorum auxiliis fultus, ei civitati vim afferret, quam ſpoliis triumphisque decorarat. Quantum enim Romanæ liberati conſuluerit, facilè intelligi potuit, cùm regale nomen ab Hiſpanis delatum repudiavit: cùm populo Romano ſuccenſuit, quod eum perpetuum conſulem & dictatorem vellet facere: cùm in comitio, in

rostris, in Capitolio sibi statuas fieri vetuit. Quæ omnia posteris temporibus ad Cæsarem, qui Pompejum profligavit, à servientibus civibus sunt delata. Eæ igitur aliæque ejusdem generis sunt Afri-
LIX cani propriæ virtutes, maximæ ac verissimæ laudes continentiæ. Verùm ut hæc omnia ad unam summam referantur, hi duo celeberrimi duces non tam domesticis virtutibus, quibus Scipio magnopere præstitit, quàm bellicis artibus & rerum gestarum gloria, comparabiles esse videntur. Exitus quoque vitæ similitudinem quandam præ se ferunt, quod ambo extra patrium solum obierunt: quanquam Scipio non à republica damnatus ut Annibal, sed voluntario sibi exilio indicto vitam extra urbem finiendam putavit.

FINIS.

G. XYLANDRI AUGUSTANI

DE MENSIBUS ATTICIS, AD ANNOTATIONES SUAS APPENDIX.

PLURA opinione mea, Lector candide, annotavi: haud scio an pauciora aliorum vel expectatione, vel desiderio. Lubens omisi permulta, quæ ad hoc Opus exornandum videbantur plurimum allatura momenti: ut Genealogias regum quorundam, ac principum virorum (quas statueram per occasionem veluti emblematum loco intexere) ut locorum descriptiones aliquot, ut philosophicarum nonnullarum quæstionum explicationes, ut eorum quæ eadem de re diversi autores scripserunt inter se comparationes, ut multorum errorum refutationes, multorum non recte scriptorum emendationes, ac quædam in genus alia:

Verùm hæc ipse quidem hic spaciis exclusus iniquis
Prætereo: atque alias mihi fors memoranda relinquo.

quippe & Annotationum majus est factum, quam initio putaveram, Opus, utcunque omnia me contrahente: & mole laboris, variisque curis & negociis defatigato ignoscent, qui non sunt ingrati: neq; tam præterita à nobis multa ægre ferent, quā ea quæ diximus non adeo pauca boni consulent. Memini me initio fere Operis pollicitum, me nonnihil de Græcorum, Atticorum inquam, apud quos fuit ἑλλάδος ἑλλὰς, mensibus commentaturum hoc loco. id nunc promissum, qua debeo & possum fide repræsentabo Non est autem mei instituti, rem ipsam pertractare, quod & operosum & odiosum fore scio, & alio pertinet: sed ὁδοῦ πάρεργον tantum, quædam admonere

diligentem lectorem. Etenim qui prius Plutarchi hæc parallela Latino sermone descripserunt, Lapus, Guarinus, aliique, dum Atticorum mensium nominibus Romana aptare conantur, neque inter se aut cum aliis, neq; secum adeo singuli conveniunt quod qui mihi non credit, facile, si Græca cum Latinis conferre velit, verum esse deprehendet. Ego qui rem plurimum habere controversiæ, minimeq; explicatus faciles scirem, id sum secutus, quod & tutissimum erat, & (nisi fallor) rectissimum. Reliqui ipsa Græca mensium nomina, ita ut lector in iis vertendis & ad Romanum morem exprimendis, cum sequi potissimum interpretem atque autorem posset quem vellet. Quo fiebat, ut neque ego interponere sententiam in re apud doctos controversa opus haberem: & lector nullo negotio, quid scripsisset Plutarchus, videret. Ne autem vel contempsisse aliorum conjecturas, vel ob inertiam supersedisse labore eorum nominum vertendorum viderer: hic utcunque Lectori satis faciam, & cùm de ipsis mensium nominibus, tum de eorum etiam partibus dicam aliquid. quod omne tantum ad explicanda Plutarchi dicta, unum hoc loco nostrum scopum, referetur. Ac quia plerique Gazæ (cujus aureolus extat de Mensibus liber, Græce ab eo scriptus) sententiam, ut hominis doctissimi & accuratissimæ diligentiæ, sequuntur: priusquam de singulis dicam, omnes ordine vulgato recensebo, comparatis inter se ex ejus autoris opinione ominibus.

Januarius.	Γαμηλιὼν.
Februarius.	Ελαφηβολιὼν.
Martius.	Μȣνυχιὼν.
Aprilis.	Θαργηλιὼν.
Majus.	Σκιροφοριὼν.
Junius.	Εκατομβαιὼν.
Julius.	Μεταγειτνιὼν.
Augustus.	Βοηδρομιὼν.
September.	Μαιμακτηριὼν.
October.	Πυανεψιὼν.
November.	Ανθεστηριὼν.
December.	Ποσειδεὼν.

Γαμηλιὼν ergo Ianuarius est Gazæ. Iam illud primo omnium satis est verbo attigisse, quod extra omnem cōtroversiam est positum: tametsi Romani & Græci suos menses à novilunio seu conjunctione solis & lunæ auspicarentur, tamen inter se iis minime convenisse, ut ne si constaret quidem de ordine omnium utrinque, tamen præcise inter se componi compararíq; possent. In causa fuisse cum alia, tum Astronomicarum rationum ignorationem atque incertitudinem liquet: quam intercalandi etiam importunitatem haud raro auctam apparet. verum hæc alio pertinent. Sane in Romulo Plut.

(nam

(nam eum potissimum sui ipsius verbis explicandum puto) affirmat, nihil convenire inter Græcorum & Romanorum novilunia: ubi Romæ natalem, qui in ipsum 30. mensis diem inciderit, celebrari à Romanis AD. XI Kal. Maij ostendit. Atque idem in Aristida, de Plataicæ pugnæ die loquens fatetur, quanquam suo tempore accuratius cœlestium corporũ motus supputarentur, tamen alios aliter inter menses inchoare suos, Gamelionis in hoc Opere nusquam meminit (quod recordari possim) Plut. itaque non opus habeo de eo multo afferre. Suidas, nescio quo autore, Ianuarium hunc interpretatur. γάμος nuptias significat. Nuptiis autem præesse creditum fuit Iunonem, id quod epitheta ejus varia apud Græcos & Latinos (quæ huc congerere nolo: & maxima eorum pars apud Gyraldum de Diis gentium legi potest) demonstrant. Inter alia, etiam γαμηλία à nuptiis dicta est, quibus eam præesse Cecrops Athenis docuit, colique eo nomine: & mensem, quo ei sacrificaretur, Gamelionem appellari voluit. Eustat. in σ. Iliad. Varinus, alii. Febr. ἐλαφηβολιὼν ex autoritate Gazæ creditur. ἔλαφος certum est, βολὴ ictus vel conjectus. Cæterum apud Homerum quoque ἐλαφηβόλος pro venatore dicitur, species pro genere:

——ὥσπερ λὶς ἠΰ γένειος
ὅρα δ᾽ ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσει ἀνήρ.

Iliad. 18. Elaphebolia sacrificia, in venatricis Dianæ honorem peragi solita referunt Græci grammatici: quo tempore, non invenio. Laudo autem Gazæ solertiam, qui hybernum esse mensem, & quidem Gamelione posteriorem, priorem Munichione demonstravit. Ne hujus quidem meminit hoc in opere Plutarchus. Sequitur μουνυχιὼν, Martio adsignatus mensis. Hunc in Theseo Plutarchi Ianuarium vertit Lapus, ut & Donatus Acciajolus in Demetrio: Guarinus in Lysandro Martium: in Phocionis extremo Lapus Græcum reliquerat nomen, idque rectius. Munychia pars est Athenarum maritima, satis celebrata in historiis: describitur etiam à Strabone lib. 9. Idem Munychiæ Dianæ meminit, quæ Pygele (urbs est Ionica, non procul Epheso) coleretur. Fuisse eam cultam Athenis, & nimirum à loco id nominis, aut contra, sortitam, patet ex Atticis Pausaniæ, & iis quæ sunt apud Gyraldum collecta ex Græcis commentariis. esse autem Martium, aut ei proxime respondere æquinoctii etiam ratione demonstravit Gaza. Et quidem Varinus Camers in præclaro Lexico suo annotavit: μουνυχιὼν, ὁ δέκατος μὴν παρ᾽ ἀθηναίοις οὕτω καλεῖται, &c. Munychion decimus Atheniensibus mensis vocatur. Est autem Martius, decimus à Iunio: à quo incepisse ordinem (quippe à solstitio æstivo) mensium, ipsumque adeo annum, perspicue docuit Theodorus. Existimo autem hoc Varinum ex Suida (ut pleraque alia) aut utrumq; eodem ex libro descripsisse. nam quod apud Suidam δεύτερος legitur, non δέκατος, librarii est (ut permulta alia) mendum, proximus est Aprilis, cui respondeat θαργηλιὼν. Hunc in Timoleonte Majum Tudertinus: Donatus in Demetrio (nam in Al- *Suidæ locus castigatur.*

cibiade omiserat) Martium transtulit. Sacrum fuisse Apollini & Dianæ, ut pote natalem eorum, ac tum lustrari Athenas consuevisse, & Thargelia celebrata, quibus sacris primitiæ eorum fructuum quos jam tera à sole iterum elato calefacta (nam θέρος calorem, γῆ terram significat: quæ videatur noctis origo fuisse) ediderit, consecrarentur in olla concoctæ quæ θάργυλος dicatur: hæc, inquam, & multa alia apud Laertium in Socrate, Suidam, Hesychium, Varinum & alios sunt in promptu. Scribit Plutarch. in Camillo, ubi de diebus nefastis disputat: Trojam captam fuisse circa 24. diem Thargleonis: autoresque hujus historiæ laudat Ephorum, Callisthenem, Damasten, Phylarchum. Adscribam etiam Dionysii Halicarnassei verba sed Latine, eandem rem continentia: Troja, inquit, capta est sub finem æstatis, septendecim diebus ante solstitium æstivum, vigesimatertia die mensis Thargelionis, ut quidem Athenienses tempus solent supputare. Restabant adhuc 20. post solstitium dies ad explendum istum annum. Ergo harum 37. dierum spacio, quæ à capta Troja usque ad anni finem effluxerunt, existimo Achæos & res urbanas transegisse, & legatos eorum qui defecerant accepisse (ἐπιδέξασθαι lego, non ἐπιδείξασθαι) & fœdus cum iis icisse. Insequenti anno, &c.

Dionysii locus excutitur.

Torsit hic Dionysii locus Gazam haud leviter. accepit enim hæc verba ita, ut qui ab eo, aut Ephoro potius, unde hoc sit mutuatus, Hecatombæoni mensi solstitiali proxime antecedere Thargelionem (quasi diceres Aprilem) Iunio omisso qui inter eos est medius Scirophorione, affirmari putaret. Itaque omisso Dionysio, de Ephoro ita disputat, ut vel eum lapsum incuria pro Scirophorione Thargelionem scripsisse, vel libros ipsius à librario inerti fuisse corruptos judicet. Quam satisfaciat aliis Gaza, non laboro: mihi quidem nequaquam satisfacit. Si quæcunque non statim assequimur in bonorum scriptorum libris, ea incuriæ eorum imputabimus: quid jam non collocetur, tot sciolorum examinibus circumvolitantibus? aut qualis tandem fuisse existimabitur Ephorus, qui in mensium nominibus & ratione temporum describenda ita extra se (quod suspicatur Gaza) abripi se pateretur? Nam quod ei σφάλμα in homonymo Iberiæ vocabulo objicitur, longe aliud est falli ambiguitate, quam labi oscitantia, & in scribendo οὐκ ὄντος οὐδὲ ἑαυτοῦ. Ne dicam, fieri potuisse ut Dionysius ex alio scriptore, ac non ex Ephoro hoc desumpserit, cui hoc modo injuria fiat. Deniq; si tantam negligentiam Ephoro recte objicit Gaza, quid Dionysio fiet, qui id non senserit, sed cæcum cæcus sit secutus? quid Plutarcho? scriptoribus prope ἀκριβῶς nonnunquam accuratis. Nam locus quem ex Plutarcho citavi, omnino id quod de librario queri possemus, amolitur: & cùm diserte ibi de iis quæ barbari mense Thargelione acceperint in commoda scribitur, tum Ephoro alii tres testes apponuntur. nisi fortassis & conspirasse in hanc corrumpendam historiam librarios omnes omnium ætatum & scriptorū opinabimur, & ὑποβολιμαῖον esse quod de Ilio capto inter alia ibi refert Plutarchus:

quorum

quorum neutrum persuaderi potuisse Gazæ, persuasum habeo. Iam ut conemur locum Dionysii explicare, mirari satis nequeo, quid in mentem venerit iis, qui ex his verbis colligere voluerunt, Thargelionem Hecatombæoni contiguum indicari. Equidem diserte Dionysius dixit, triginta septem diebus ante novi anni initium captam esse Trojam. Quod si ergo Thargelioni (cujus die XXIII. ea capta fuisse hic perhibetur, si Atticam mensium seriem & rationem sequamur) de his septem tribuas: nonne triginta adhuc pro Scirophorione mense dies restabunt, & annus insequens à prima Hecatombæonis initium sumet? Hæc est, nisi vehementer φιλονεικεῖν & nodum in scirpo quærere pergamus, apertissima & simplicissima Dionysii verborũ sententia: & quidem facile eam ex tam claris verbis mediocriter attentus homo & non ineruditus eruerit. atq; haud scio an omnes, quibus hactenus scrupulum hic locus injecit, meam opinionem sint amplexuri, quæ neque Thargelionem loco movet, neque Scirophorionem, neque omnino in ullam incurrit absurditatem aut insolentiam. Quod si quos perturbat id, quod septemdecim ante solstitium diebus capta Troja dicitur: cogitent non eum diem octavum præcipitis seu decrescentis (φθίνοντος) Thargelionis à Dionysio appellari (cum sit XIII. Scirophorionis, siquidem Kal. Hecatombæonis in solstitium competerent) sed indicari errorem illius temporis hominum in ordinandis mensibus. nam ratione anni, non solstitii, dies captæ Troję Attico more ab eo dicitur, id quod est, XXIII. Thargelionis: solstitium autem eo anno non in Kalendas seu pleniluvium Hecatombæonis, verùm in decimum Scirophorionis incidisse monet, quanquam non expresse, ita tamen ut intelligenti satis sit dictum: eo enim pertinet mentio XX. dierum, qui à solstitio ad complendum annum sequerentur. Hæc ego in medium proponere volui, ut locum Dionysii docte admodum scriptum, qua explicarem, qua tuerer: salvo interim eorum honore, qui aliquid verius afferent. tametsi non dubito, fore multos eruditos viros, quos iste locus hactenus torsit, qui probaturi sint nostrum studium. Sequitur σκιῤῥοφοριών, qui sit Majus, σκιὰ umbra est: inde σκιῤῥὸν puto detractũ, ut sit umbraculum: quasi σκιαῤῥόν. A Sciris seu Scirophoriis sacrificiis mensis nomen habet, quibus umbraculum ex arce solenni pompa deferebatur, signumq; ædificandi dabatur. ut brevis sim, te ad Scholiastem Aristophanis remitto, qui initio ἐκκλησιαζουσῶν, ejusque deinde verbis Suidas rem totam explanat. Mensem hunc proximum ante Hecatombæonem fuisse, diserte in Agesilao Plutarchus docuit, ubi inter fœdus Spartæ exclusis Bœotis XIV. Scirophorionis die ictum, & cladem, quam apud Leuctra quinto die Hecatombæonis passi sunt Spartani, dies viginti intervenisse refert. Grynæus hunc Aprilem, illum Martium, neutrum recte transtulit. ἑκατομβαιὼν ergo Iunió conferatur: nomen à sacrificiis majoribus habens. Solstitium æstivum in hunc incidisse, primumq; Atticorum mensium fuisse Gaza demonstravit. De vocabulo ἑκατόμβη alibi quam hic dicere præ-

ſtat. Lapus in Theſeo & Majum vertit, & Aprilem: Guarinus in Alexandro, Auguſtum: quam recte, ſatis liquet. Plutarchus in Theſeo oſtendit, Cronion, id eſt Saturnalem, antiquitus dictum fuiſſe. Hippodromium Bœotis, Macedonibus Loum: hoc in Alexandro, illud in Camillo indicat. Subjungit huic Gazá μεταγειτνιῶνα: quem nos Quintili ſive Iulio conciliemus. Carnium Syracuſani, Panemum Bœoti appellabant, ut in Nicia & Camillo Plutarchus refert. Majum Aretinus tranſtulit in Demoſthenis vita. VVolfius Gazam eſt ſecutus. Certe Plutarchus hunc videtur Septembri, non Iulio comparaſſe: niſi ſi locus in Poplicola de Capitolii dedicatione ſit depravatus, quod non video qua ſit factum occaſione: & vero erraſſe in hac re, aut deceptum fuiſſe Plutarchum, non facile crediderim. Idus quidē Septembris ibi plenilunio Metagitniontis tribuuntur. Metagitnia Apollinis ſacra, menſem hunc ſecundum Suidas ſcripſit. Proximus huic βοηδρομιὼν, qui Sextili ſive Auguſto reſpondeat. Eſt autem βοηδρομεῖν, cum clamore & feſtinatione ad auxilia accurrere hinc ſacrum Boedromia, de quibus Plutarchus in Theſeo, Suidas, alii. Lapus Iunium vertit in Theſeo (qui tamen ſui oblitus in Phocione, Novembrem extulit: niſi id quoque correctori debemus) ut & Guarinus in Alexandro, & Donatus in Demetrio. Hunc quidem menſem Metagitnionti fuiſſe contiguum, ex Plutarchi Ariſtida colligitur, ubi de pugnæ Plataicæ tempore loquitur. Subit huic μαιμακτηριὼν, quem à Bœotis Alalcomenium dictum Plutarchus ibidem dicit: & conjici eo ex loco poteſt, Boedromioni eum ſucceſſiſſe. Opponitur noſtro Septembri μαιμᾶν impetum dare eſt. Sed Iovem Mæmacten, cui ſacra tum Mæmacteria agerentur, videntur non impetuoſum tantum ob tempeſtates, ſed & luſtralem ſeu placando aptum exponere Græci; quod hic non moror. Quintum hunc Athenienſium menſem Suidas, & Ianuarium eſſe annotavit: idemque habet Varinus, quorum neutrum cum Gazæ opinione convenit: imo ſi quintus ſit, nullo modo Ianuarius eſſe poſſit. Arrianus libro II. de exped. Alex. hoc menſe ſcribit victum ab Alexandro Darium Iſſica pugna: quam finita æſtate, & jam incipiente autumno commiſſam fuiſſe, veritati non videtur alienum. Secundum hunc ponitur qui ad Octobrē noſtrum quadret πυανεψιὼν ſic dictus à Pyanepſiis ſacris (πυανεψίαν etiam dici ea, Suidas ex Lycurgi oratione quadam docet (quæ tum Apollini fiebant coctis quæ πύανα dicerentur etiam leguminibus, quaſi κυαμέψια, ut annotavit Euſtathius in 22. Iliadis. Sed conſulendus eſt de hac re in Theſeo Plutarchus: unde colligi poteſt autumnalem menſem fuiſſe, frugibus ſcilicet terræ jam collectis atque conditis ineuntem. Lapus eo non animadverſo, Iulium vertit: itemque in Cicerone Aretinus. Plutarchus porro in libro de Iſide & Oſiride docet, hunc menſem, quem Athenienſes Pyanepſionem nominant, Bœotorum eſſe Damatrium, Ægyptiorum Athyr: nimirum circa occaſum Pleiadis

dis Coſmicum, id eſt, autumnalem. Ventum eſt jam ad Novembrem, cui à Gaza tribuitur ἀνθεστηριών. Nimirum quod cum ſingulis aliis ſuos videretur locos aſſignaſſe, hic unus de duodecim reſtans huc competeret, cæteris locis occupatis. Id Gazæ argumentũ quam ſit validum, non diſputo: valeret quidem, ſi conſtaret certo, ea omnino menſium nomina duodecim menſibus, ſingula ſingulis quadrare: neque ullum ex menſibus fuiſſe binominem, aliumque aliquem contra præteritũ. ego Gazæ ſententia in medio relicta, quid alii ſenſerint obiter indicabo. Antheſteria Bacchi in honorem actitata, ſatis ex Græcis commentatoribus manifeſtum eſt: neque hic de iis diſputo, multo minus de etymo. Nam ex eo velle aliquid certi colligere, lubricum eſt. reprehendit enim Gaza Philoſtratum, quod Vernum hunc menſem ſcribens, à floribus (ἄνθος flos, ἀνθεῖν florere eſt) vocem effictam ſenſerit: & ipſe hybernũ haud minus commode inde exponi poſſe ait, quaſi floribus privantem, παρὰ τὸ ἄνθος καὶ στερεῖν. Vt facile intelligi poſſit, ſi ἔτυμον debeat pro argumento ordinandorum menſium recipi, de nullius loco ſatis nobis conſtiturum. Suidas, Varinus, & alii, octavum eſſe menſem Atticum annotaverunt. ita non quidem November erit, ſed Ianuarius. idem ſcilicet cum Gamelione. Sane Plutarc. noſter (cui vel ipſo Gaza teſte ſumma rerum harum peritia accuratiſſimumq; tribui debet judicium) in Sylla de Athenis captis ſcribens, factũ id aſſerit Martiis Kalendis, quæ maxime dies novilunio, id eſt, principio Antheſterionis reſpondeat. Cui adſtipulatur Appianus Alexandrinus, æqualis prope ejus, & doctus admodum, bonusq; ſcriptor. Is lib. bell. Civil. ſecundo, de cæde C. Iulii Cæſaris verba faciens, hæc ad extremum habet: οὕτω μὲν ὁ γάιος καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν εἰδοὺς μαρτίους, ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. Duæ poſtremæ voces in libro impreſſo deſunt, ſed leguntur in manuſcripto Auguſtanæ bibliothecæ codice. Sic (inquit) C. Cæſar obiit Idib. Martiis, circa medium nempe Anteſterionis. Hæc recte ab iis dicta ſunt, ut quidem conſentaneum puto. Novembris porro Græcum nomen quæramus oportet aliud. Apud Macrob. quoque 1. Saturnal. 12. inter vernos menſes Antheſterion ponitur, qui ſit Aprilis, & à floribus tum ſe exerẽtibus dicatur. Hæc itaque ſunt controverſa. Reſtat adhuc unus ſcrupulus. Plutarchus in fine Arati, Antheſterionem cum Dæſio eundem facit. Idemque Alexand. Magnum vita exceſſiſſe ſub finẽ Dæſii docet. Ergo ſi recte utrunque (ut non dubito) ſcripſit Plutarchus: non recte faciunt, qui in Iunium menſem obitum Alexandri conjiciunt, eo quod Suidas Δέσιον, Deſium menſem Iuniũ exponit. quod ſi omnino Macedonum vel Dæſius vel Deſius eſt Iunius: malo tamẽ Plutarchũ ſequi, & Dæſium Sicyoniorum ab eo diverſum putare. Poſtremus in Gazæ ſerie eſt ποσειδεών, quaſi Neptunium diceres. Hic Poſideon Suidæ December eſt, veluti & Gazæ. Plutarchus in Cæſare, cum quidẽ ſolſtitium hybernum ei tribuit, Ianuarium interpretatur: qua in re nihil eſt abſurdi: cum olim ſolſtitium id in finem Decembris inciderit. Hæc

de mensium nominibus volui paucis commemorare. nam quæ alia sunt nomina, ut Bucatii, Artemisii, Choeac, Thoth, Pharmoti, persequi hoc loco non statui. Haberem & de partibus mensium & vocabulis ἕνη δὲ νέα, τρίτη, &c. φθίνοντος, εἰδοῖς, πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν, & aliis quæ dicerem: nisi commodiori ea tempori servarem. Quæ ex diariis regiis Plutarchus in fine Alexandri Magni descripsit, ea ad confirmandum quod Gaza docet de numeris φθίνοντος mensis non augendis, sed minuendis usque ad trigesimam diem præclare faciunt. ἕνην καὶ νέαν idem in Solone pulcre interpretatur: & in Demetrio ejus comparatione instabilitas fortunæ elegantissimis Sophoclis versibus exprimitur. Cætera diligens lector colliget atque expendet.



INDEX

INDEX AUTORUM QUI IN HAC TERTIA PARTE VITARUM PLUTARCHI CITANTUR ET ALLEGANTUR.

INDEX RERUM ET VERBORUM IN HAC TERTIA PARTE VITARUM PLUTARCHI MEMORABILIUM & fidelissimus & locupletissimus.

Continet hic Index Magistratus, Leges, Oracula, Prodigia, Apophthegmata, Stratagemata, Bella, Orationes, & alia, cum ingenua delectatione usum latissime patentem conjunctum habentia.

Anti-

Ape-

B.

C.

Cor-

Hanno

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

INDEX RERUM ET VOCABULORUM MEMORABILIUM, QUÆ IN ANNOTATIONIBUS INTERPRETIS ALLEgantur & explicantur; ad Alphabetum Latinum in collocandis Græcis vocabulis accommodatus.

FINIS.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0030455



